

SVPERIORIS ICONISMI DECLARATIO

Representat ergo actum solemnem S. Concily Florent. in quo Eugenius IV. Pont. decretum unionis
Fidei Æthiopum, Ægyptiorumq Legatis ex throno porrigit; adstante Pontifici Venerabili Seruo Dei Beat. Al-
berto a Sarthiano ord. Min. reg. obs. qui eandem unionem ijs gentibus suasit, earumq Legatos ad S. Synodum
Florentiam usq perduxit: ut graphice expressam extat, in ualuis æneis templi S. Petri in Vaticano, unde hoc nost-
rum exemplar fideliter desumptum est.

B. ALBERTI ASARTHIANO

ORD. MIN. REG. OBSERV.

VITA, ET OPERA.

ILLAM COLLEGIT, ET CONSCRIPSIT;
Ista in ordinem redegit, & recensuit; omnia Argumentis,
& Annotationibus illustrauit

F. FRANCISCVS HAROLDVS

HIBERNVS, EIVSDEM ORDINIS
Chronographus Generalis.

OPVS POSTHVMVM,

Reuisum, correctum, Notis, & Indicibus auctum, ac in lucem editum

PER

F. PATRICIVM DVFFIVM

Olim in Vniuersitate Louaniensi Artium, & S. Theologiæ Lectorem primarium,
Maiestatis Catholicæ ad Vrbem Theologum, Lectorem iubilatum,
& Generalem Ordinis Chronologum.

R O M AE,
Apud IOANNEM BAPTISTAM BVSSOTTVM.
M.DC.LXXXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI

P. F. MARCO ZARSOZA

SAC. THEOLOG. LECTORI IVBILATO,

Olim Miniſtro Prouinciali, Comiſſario Generali Ordinis, &c.

Nunc

TOTIVS SERAPHICÆ RELIGIONIS

MINISTRO GENERALI.

MOS præſentis ſæculi (Reuerendiſſime Pater) in præſcriptionem abijt, vt in nihil e prælo prodeat, quod ſibi patronum non deligat. Vita, & Opera Beati Alberti Sarthianenſis Regularis Obſeruantiæ Profeſſoris eximij, Propagatoris egregij, ſtrenui defenſoris, publicam lucem aſpicere cupiens, diuino quodam ſupremi numinis præſagio, diu hæſit cogitabunda in cuius tutelam confugeret. Sed Te in Totius Ordinis S. P. Franciſci Generalem Miniſtrum electo, tibi ſe reſeruatam arbitrata, moram omnem abrumpit, in Tuum patrocinium confugiens, iure ſuo Te ſibi patronum deligit: quem B. Alberto non abſimilem efficiunt vitæ integritas, morum grauitas, diſciplinæ zelus, gradus honoris. Ille Seraphici Patriarchæ ſedulus imitator inſpiratæ diuinitus Minorum Regulæ exactam obſeruantiam ſibi ipſi conſtanter indixit, per gentes, & regna longè latèque diffudit, contra obloquentes neruosè aſſeruit, fundauit, defendit. Quantis Tu laboribus Seraphici inſtituti puritatem reſtitueris, reſtitutam conſeruaueris, conſeruatam amplifica-

ueris, & per Hiſpaniarum Prouincias dilataueris, quot in eo promouendo obloquia tuleris, in ſtabiliendo difficultates ſuperaueris, nouit Iberia, miratur Italia, Roma reueretur: prius ipſe obſeruans, quam obſeruantiam præcipiens, prior opere quam verbo, exemplo quam imperio, cœpiſti facere, dein docere. Ille Apoſtolicus præco, & Euangelij tuba Regna, Prouincias, Vrbes, populos in Catholica Religione inſtruxit, & ad Chriſtianos mores reduxit, infideles ad fidem, ſchiſmaticos ad concordiam, diſſidentes ad pacem componendo. Tu Apoſtolicus per Hiſpaniarum Regna Miſſionarius, magno populorum applauſu, maiori animarum fructu, hęreticos aliquot aduenas charitatis tuę dulcedine, argumentorum pondere, ſermonum vigore, ad Eccleſiæ gremium, peccatores ad pœnitentiam, diſcordes ad reconciliationem, bonos ad meliorem vitam ſuauiter monendo, fortiter increpando, operibus præeundo traxiſti. Albertus fratrum ſuorum regimini admotus, Prouinciæ S. Antonij Præfectus, Vicarius generalis Ordinis per Pontificem deſignatus, ſubditos ad regularem obſeruantiam, & primæuam Ordinis diſciplinam ſalutaribus monitis, ſanctioris vitæ exemplis, in funiculis veritatis, & charitatis coarctauit, probos fouit, & dilexit, diſcolos diſciplinæ rigore coercuit, rebellium cuntumaciam iuſtitiæ malleo confregit, omnes eximia complexus eſt charitate. Tu Guardianus Gaditanus, Miniſter Prouincialis Bethicæ, Commiſſarius Generalis Ordinis reformandis moribus, Franciſcano depoſito (Regulam à Chriſto dictatam intelligo) exactè cuſtodiendo totus ſtuduiſti, arctioris vitę zelatores confortando, pauperum Patriarchæ ſinceriores filios promouendo, improborum obmurmurationes patienter ferendo, recalcitrantium peruicaciam iuſtæ correptionis ferula comprimendo, omnes in Chriſtianæ charitatis viſceribus ad æmulanda chariſmata meliora, quà verbo, quà opere, inducendo. Fuit denique Albertus noſter

Iulia-

Iuliano Cardinali Ordinis Protectori acceptus, & Eugenio Quarto Pontifici Optimo Maximo percharus, & summis votis in Ministrum Generalē Ordinis expetitus. Nisi vehementer fallor, nec in hoc ab Alberto dissides. Alderanus Cardinalis Cybo Seraphicę Religionis apud Sanctam Sedem Protector Te vnice complectitur. INNOCENTIVS XI. Pontifex vere Maximus, Te optauit, si non aptauit, in supremum Seraphicæ ratis Nauclerum. In tuam igitur tutelam Beati Alberti Vita & Opera, sympathiâ quàdam permota, recurrunt, vt præterita in tanto Heroe imitando respicias, in quibus Deum collaudes; & futuris, si quid in premendis eius vestigijs addendum superest, prospicias. Sed nec quod ab Hiberno studio, & calamo prodeant, minus tibi debentur: non inde solùm quòd Iberno ad Iberū facilis sit accessus, verum quòd Tu olim Gaditano cœnobio Præfectus, & Prouinciæ Bethicæ clauo Præsidens, Hibernos patria extorres, hæreticarum persecutionum procellis agitatos, rerum omnium egentes, magno numero, maiori charitate & affectu plus quam paterno exceperis, foueris, nutrieris. Suscipe erga benigno, quo assoles, vultu librum tot Tibi titulis debitum, & Te Deus Ecclesiæ commodo, Seraphicæ Religionis decori, Regularis Obseruantiæ profectui diu seruet incolumem, ita sperat, ita vouet, Romæ ex Musæo Isidorensi die 2. Iulij 1688.

Cliens, & filius
Fr. Patricius Duffius.

Licentia Reuerendifs. P.Miniftri Generalis.

Fr. Petrus Marinus Sormanus à Mediolano Lector Iubilatus, Sanctæ Inquifitionis Qualificator, Ex Guardianus Ierofolymitanus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S.P.N. FRANCSISCI Minifter Generalis, & Seruus: Dilecto nobis in Chrifto P.F.Patricio Duffio S.Theologiæ Lectori Iubilato, Scriptori & Chronologo generali Ordinis ac Prouinciæ noftræ Hiberniæ ftrict.Obf.in Collegio S.Ifidori de Vrbe Alumno, falutem in Domino fempiternam.

QVandoquidem Vita, & Opufcula B.Alberti Sarthianenfis per P.F. Francifcum Haroldum S.Theologiæ Lectorem iubilatum, & Ordinis noftri Chronologum, piæ mem. confcripta & collecta, a Theologis, quibus examinanda commifimus, encomijs celebrentur, & typis digna iudicentur, tenore præfentium icentiam tibi facimus ea prœlo committendi, feruatis tamen Sac. Conc. Trident. Ialijfque Apoftolicis, & noftri Ordinis Conftitutionibus. Datum Romæ in Conuentu noftro S. Mariæ de Aracœli hac die 25. Febr. 1686.

Fr. PETRVS MARINVS Minifter Generalis.

Loco ✝ Sigilli

De mandato fuæ Reuerendifs. Paternitatis
F.Iofeph a Leone Secr.Gener.Ordinis.

Cenfura Thologorum Ordinis.

NOs infrafcripti Ordinis Fratrum Minor. Prouinciæ Hiberniæ Sac. Theologiæ Lectores iubilati iuffu Reuerendifs. P. Miniftri Generalis Ordinis percurrimus Vitam, & Opera B. Alberti a Sarthiano, eiufdem Ordinis, collecta, in ordinem redacta, recenfita, Argumentis & Annotationibus illuftrata a R. Adm. P.Francifco Haroldo Sac.Theolog.Lectore iubilato, ac totius Ordinis noftri Chronologo generali, & in ijs nihil inuenimus fanæ doctrinæ, aut probis moribus aduerfum, fed potius deprehendimus in Notis, & Argumentis fingularem eruditionem, in Epiftolis Chriftianæ pietatis fpiritum; in vita & actibus præclara Apoftolicæ prædicationis, & legationum fpecimina: Quapropter ad vfum publicæ vtilitatis luce digniffima cenfemus: ex Collegio S. Ifidori hac die 18. Iunij 1685.

F.Francifcus Porterus Lector iubilatus.
F.Patricius Duffius Lector iubilatus.

Vitam

Vitam Beati Alberti Sarthianensis, Ordinis nostri Seraphici Herois religiosissimi, deuote contextam, eiusdemque Epistolas Notis eruditissimis a Reu.Ad. P.Francisco Haroldo Ord.Chronologo illustratas, ea, qua par est, erga Reuerendiss. P.N.Ministrum Generalem obsequij diligentia perlegi, in vtroque cum & pietatis eminentiam, à Beato Epistolij familiaritate expressam, admiratus sim; & in Collectore non oscitantem vtriusque operis indaginem, ac dilucidationem; singulari approbatione dignam existimaui. Quamobrèm ne huiusmodi lucubrationes, in obscuro detentæ, piorum, eruditorumque notitiæ atque deuotioni subtrahantur, æquum iudicarem easdem, superiorum permissu, publici iuris fieri, eo magis quod & Catholicæ fidei consona, & moribus valde proficua continere perspectum habeam. Datum Romæ in Conuentu Aracœlitano die 14. Septembris 1685.

F.Laurentius à Sancto Paulo ex Suetia.

Censura pro parte Reuerendiss. P.Mag.Sac.Palatij Apostolici.

IVssu Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatij Librum cui Titulus est *B. Alberti à Sarthiano Ord.Min.Reg.Obseru.Vita, & Opera*, attentè æquè, ac delectabiliter lustraui: eoque pariter illustratus sum; siquidem & perelegans dicentis eloquentia, & præclarissima Beati Viri gesta lucis plurimum vndequaquè effundunt. Nihil præterea legenti occurrit, quod sanctis moribus, sacrosanctisque Fidei dogmatibus vel leuiter aduersetur. Quare dignum censeo vt opus è penu Seraphicæ Paupertatis ditissimum, publicam eruatur in lucem, hanc enim maximè promeretur, quod ad eam dilatandum summopere iuuat. Ita sentio in Conuentu Nostro Sanctæ Mariæ de Victoria. Romæ die 14. Iunij 1688.

F.Blasius à Purificatione Carmelita Discalceatus
Sac.Theolog.professor ac sui Ordinis Generalis Historicus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Steph. Ioseph Menattus Episc. Cyrenen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Ioseph Clarionus Sac.Theolog.Magister, ac Reuerendiss. Patris Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sac. Palatij Apost. Magistri Socius, Ordinis Prædicatorum.

INDEX

INDEX
CAPITVM VITAE B. ALBERTI
SARTHIANENSIS.

INDEX
OPVSCVLORVM.

IN

INDEX EPISTOLARVM.

Prio-

BEATI

BEATI ALBERTI SARTHIANENSIS ORD. MINOR. OBSERV. VITA.

CAP. I.

Isagogicum.

Diuturna, trifidaq; Supremi Pontificij, & indiuiduæ potestatis scissura, per Sacri Concilij Constantiensis authoritatem denique sublata, & Vicarij Christi in terris indiuiso Imperio, in vnum Martinum V. Pontificem, communi Catholicæ totius Ecclesiæ voluntate collato, aliquas tanti mali fibras, ex Petri Lunij duritie relictas, & per Aragoniam, Gothaliamque pullulantes euulsit, & extinxit penitùs Frater Petrus de Fuxo senior, è Bernæ Principibus, ord Min. S.R.E. Cardinalis(1) *bina legatione* in Hispania, ad id negotij strenuè, & fœliciter perfunctus.

Demortuo Martino, post inchoatum prosperi Pontificatus annum decimum quartum, pacifica, & legitima electione successit Eugenius IV. qui, quantas tempestates, per eorum audaciam, quos ipse ad Basileensem Synodum coegit, & per Antipapam, ab ipsis constitutum, perpessus sit, quanta Apostolicæ potestatis constantia, Pontificijs laboribus, & fœliciori successu, in reprimendo nouo schismate, comprimendis Europæ Hæreticis, Asiæque veteris æui schismaticis ad Romanæ solius Catholicæ Fidei communionem, & Supremi Pastoris obedientiam reducendis, Turcarum in Cyprum, & Rhodum, ac Romanum Imperium præpediendis insultibus, paci demùm tum Ecclesiæ, tùm sæculi Principibus, populisque restituendæ sudauerit, adeò nunc orbi notum est, vt nostro testimonio non egeat.

Illis in rebus gloriosè peragendis Eugenio Pontifici, eiusque successoribus, Nicolao V. Calixto III. & Pio II. insignem operam contulere, præter alios succedaneos eiusdem instituti sodales, præclara quatuor lumina, quibus initia restauratæ tunc per Italiam, & extra, regularis obseruantiæ sincerioris instituti Seraphicæ religionis, maxima bonorum omnium veneratione micabant, Bernardinus Senensis, Albertus Sarthianensis, Ioannes Capistranensis, & Iacobus Picenus, viri omnes vberi doctrina, eloquij facundia, ingenti virtutum cumulo, & patratis Dei potestate miraculis, illustres: qui tamquam quatuor Euangelicæ tubæ, per Europam, Asiamque resonantes, multa Eugenij præsertim Pontificis potestate sibi collata, morum candorem,

Catholicæ Fidei puritatem, diuini Numinis cultum, & Ecclesiæ Romanæ dignitatem; eiusdemque Capitis vnius Christi in terris Vicarij potestatem, ijs etiam populis inculcarunt, qui latinas leges (2) *à mille fere tunc annis rebelles*, tolerare nolebant, quæ tom. 5. & 6. Annalium Minorum fusè narrat Lucas Vvadingus.

Cœteris tribus id fortunatè successit, vt ipsorum egregia facinora, pro Ecclesiæ ritu congesta, & ad iuris normam discussa, & ipsa copiosiora perstiterint, & solemnius comprobata sanctitatis vitæ, & Beatitudinis æternæ nomen, cultumque reportauerint, nec solùm in pulpitis, quæ & ipsi olim in aliorum Sanctorum laudibus exercebant, digna retributione prædicentur, eorumque exempla ad imitationem alijs proponantur, sed eorum etiam heroicas virtutes, & mira supra naturam opera hymnis, canticis, & harmonicis tubis, Christianorum templa resonent, & præclara merita nobis egentibus inuocentur auxilio.

Sed Albertus noster, quamquam initiationis ordine fuerit (3) *post Bernardinum secundus*, & alijs (si sacra Capistrani in Turcas prælia demas) laboribus non minor, nec impar sanctimonia vitæ, nec patratis miraculis ante, & post mortem vacuus, propter quæ etiam populorum applausu, & perpetuo scriptorum testimonio Beati titulum, & piam venerationem ducentos iam triginta, & qui excurrunt annos possidet; Et Eugenius ipse Pontifex ijs encomijs, quæ huic narrationi subijciam, ipsum adhuc viuentem, alijque fœliciter perfunctum perpetuis temporibus exornant; posterorum tamen in curia factum est, vt neque beatitudinis cultum ab Apostolica Sede retulerit, nec actorum eius integra extet memoria, quæ compingendis ad canonizationem documentis, diligentiùs colligi, & firmiori authoritate confirmari solent; sed nec ipsa, quæ Christi Ecclesiæ, & Eugenio Pont. quantumuis publica, & magna præstitit obsequia tanta fide nobis innotescerent, si Lucas Vvaddingus noster, solerti studio ipsorum certissima documenta solicitè conquisita, & ex (4) *Vaticanæ Pontificiæ, ac Fesulanæ Minorum* bibliothecarum tenebris eruta, claris suis Annalibus per opportuna loca non inseruisset, & prius indicasset Horatio Iustiniano: quæ illi occasio fuit, vt vniuersalis Ecclesiæ bono, integra Concilij Florentini acta, publica luce donauerit.

Ego post Vvaddingum tanto B. Alberti neglectu, fateor, subindignatus, cum cœtera præstare non valeam, quod mei saltem est muneris, præclari hominis, quæ extat, memoriam hac narratione complecti, & quæ reliqua sunt, eruditi, & elegantis eius calami monumenta, virtutumque documenta colligere statui, atque vno hoc volumine publico conspectui, & multorum, vt credo, vtilitati, voluptatique exponere, vt vel hęc saltem Beatorum sociorum gloriæ pars illi non desit, cui pro data occasione non impar extitit portio meritorum.

CAP. II.

CAP. II.

Beati Alberti Patria, Parentes.

QVamquam vnanimi constantissimaque scriptorum omnium, & loquentium consuetudine non alia appellatione, quàm Sarthianensis vel à Sarthiano cognominetur Albertus, ex his tamen ipsis non defuerunt, qui patriam ei Mediolanum adscripserint, Rodolphus Tossinianensis, eumque secuti Henricus Vvillottus Belga, Antonius Posseuinus Italus, cumque ijs Arthurus à Monasterio Gallus, qui comprobandæ, seu excusandæ huic assertioni suapte coniectura subdit, Sarthianensem fortassis ab illius Hetruscorum oppidi, vel prolixo incolatu, vel religionis ibidem deposito tyrocinico dictum fuisse, & Ludouicus Robelledo Hispanus, alijque pauci, omnes quippe ab Alberti vel patria, vel ætate, vel ab vtraque procul distantes, nec vllo rationis, vel vetustæ authoritatis fulcro innixi, vt nec nouus augur, qui Albertum Mediolani quidem natum, sed à patre confestim in Tusciam ablatum, & Sarthiani educatum, indeque ortum Sarthiani cognomen, ait. At qui viuentem virum Dei, & factis clarum cognouerunt, eoque familiariter vtebantur, Eugenius IV. Pontifex, B. Ioannes Capistranus, B. Bernardinus Fossensis, & Flauius Blondus Foroliuiensis, Thuscum, & Sarthianensem eum, vt & Marcus Vlissiponensis, & Lucas Vvaddingus scribunt, & alij quotquot eius faciunt mentionem, neque alio cognomine ijdem ipsi vtuntur, qui rem nominis videntur negare.

Blondus Hetruriam describens asserit, Sarthianum oppidum, vltra Clusium, Alberto Minorita diuinorum dogmatum prædicatore insigni ornatissimum, & Leander Albertus, qui Italiam vniuersam, vt vicatim, & punctim, quodammodo describeret, suis oculis perlustrauit, ea vbiq; pernotans, quibus loca ipsa cohonestare posset, Sarthianum Alberto (vt latinus interpres Ririander expressit) ex Minorum ordine, maximo concionatore, inclytum appellat. Ipsi Sarthianenses perpetua traditione, apud se natum retinent, qui etiam viuenti Alberto, vt veri conciues, & contribules collatam ab Eugenio Pont. supremi capitis totius ordinis Minorum vicariam dignitatem, communibus literis, & misso nuncio congratulati sunt: earumque responsa cum alijs ad Bernardinum Senensem scriptis, quod ambæ propria B. Alberti manu exaratæ sunt, tanquam sacras reliquias peculiari loculo, prope altare maius in templo Minorum, sub veteri ipsius B. Viri effigie reuerenter conseruant, cum ex aduerso Mediolanenses nihil vnquam sibi in Alberto, præter doctrinam, & dilectionem, defuncti corporis sepulchrum, & edita apud eos miracula, ratione, vel prisca authoritate vindicassent, atque hanc de Alberti patria sententiam Lucas Vvaddingus, ex vetusto eius vitæ compendio, & Senensium fasti recenter typis editi, ex certissimis monumentis traxisse se contestantur.

At nobis tandem compertum est, Albertum ipsum patriam suam extra omnem disceptationis aleam extulisse, quando epistola 20. eandem

Rempublicam, eandemque Ecclesiam sibi, & Nicolao Nicolo communes facit, quæ aliæ esse non poterant quam Hetruriæ, in qua nempe Nicolaus certo natus est, & Albertus superiore tempore, hoc est ante contractum epidemiæ morbum, prædicabat, & epistola 25. ad eundem Nicolaum Florentiæ natum de S. Bernardino Senensi scribens, de ipsorum, atque æque sua patria, sic loquitur: *audio illum*(Bernardinum)*in nostram Hetruriam nuper ingressum, vel Aretium, vel Cortonam, vel Perusiam applicuisse, in vna illarum, siue in altera qualibet nostræ patriæ ciuitatum, diuinæ prædicationis salubriter, vt assolet, verba facturum*: quibus verbis Hetruriam, non vtcumque sed vt patriam, & suam, & Bernardini, & Nicoli iuxta vocat.

Sed, vt rem euidenter conficiat, epistola 102. ad Antonium Randensem, huius patriam Insubriam, suam autem Hetruriam affirmat: & in fine libelli. *Quo nobis*, inquit, *relicto, Randensi, & Sarthianensi, siue oppidis, siue quid aliud nuncupare potiùs natiuitatis nostræ terras volueris*. quo nihil clarius, nihil solidius in hanc rem adferri potest. Ergo B. Alberti maiores, natales, cunabula, adolescentiæque alimenta (nam de educatione postea dicemus) Sarthiano; sepulchri autem, & miraculorum præsertim à morte patratorum gloriam Mediolano gratulemur: cum nihil Sarthiani ferè delitescens puer patrasse legatur, quo vel ipse famam adeptus esset, vel oppidum à solo eius incolatu, vel obscuro religionis tyrocinio, non potiùs à natalibus inclytum, ornatissimumq; à Blondo, & Leandro dici posset, quin potiùs ætate cum fama crescens, locum qui eum, vt ita dicam, capere non posset, vix fortè per transennam attigit, sed irrequieto motu, Italiam totam, bina legatione Græciam, Syriam, Palestinam, Aegiptum, Cretam, Rhodum, & Cyprum docendo, & operando peragrabat; Aethiopiam etiam, & Indiam bis pertentans, si penetrare permissus fuisset. Vnde Marianus Florentinus Alberti fermè Synchronus, & comprouincialis, eius patriam desertis his verbis prodit: *hic Fr. Albertus ex quodam castro Clusinæ Diœcesis ortus est, quod Sarthianum dicitur*.

Nec inane huius veritatis argumentum existimo, maiorem posthumi honoris Alberti curam habuisse, semper Thuscos, quam Insubres, vt horum suppostititius, illorum autem genuinus filius fuisse censeatur, denique siue Tossinianum, siue Vvillotum, siue alium quemcumque huius erroris primum editorem in æquiuoco deceptum fuisse, demonstrabimus, si æquiuocationis originem detegamus. Itaque cum B. Alberto Sarthianensi florebat, simul Mediolani, alius Albertus patria indubitata Mediolanensis, de quo sic scribit Vvaddingus tom. 5. Annalium: *Hoc etiam anno* 1448. *floruisse virtute, pietate, & plurimo animarum lucro Beatum Albertum Morigium, Mediolanensem prædicatorem eximium commemorant monumenta conuentus Sancti Angeli, illius vrbis, ad me transmissa*. facillimum ergo fuit, confundere duas personas, vnius nominis, eiusdem instituti, in eadem ciuitate, eodem cœnobio, eodem prædicandi munere, animarum lucro, virtutum æstimatione, sanctimoniæ, & beatitatis titulis, eodem tempore illustres, vt vna, eademque censeren-

rentur, quamquam solo cognomine de cuius re disceptatur, semper diuersæ. Maluit ergo Vvillotus Belga, centum triginta annis vtroque posterior, & pluribus centenis PP. MM. loco distans, cœtera omnia identitatis signa sequi, quam vnicum diuersitatis, vt vtramque vnam, eandemq; Mediolanensem diceret. Reliqui ergò Vvillotum secuti, illo solo duce, in eundem impegerunt scopulum, in eandem inciderunt foueam. Atque hinc recentiores Mediolanenses (quod veteres non crediderunt) prædam honori suæ patriæ commodam, & aliquorum, & si errore, attributam in fiscum suum promptè referunt. Quamquam & ipsi Albertum nostrum, Berdinum Sarthianensem, vel de Sarthiano perpetuò appellent, alterum autem, & Morigium, & Mediolanensem.

Id interim B. viri laudibus accrescat, si duæ nobiles prouinciæ Insubres, & Hetrusci de eius cunabulis concertare videantur, nostra verò narratione constet, non amplius Mediolanensem eum dici posse, quàm Antonius Vlissiponensis Thaumaturgus ille noster, Patauinus appellatur.

Est hoc Sarthianum Clusinæ Diœcesis oppidum, in ditione Senensi, cuius oppidi Priores, Albertus magnificos patres, & dominos suos appellat, vetus emporium, non solum incolis, sed externis etiam populis, ad septimanale forum concursantibus frequens, nec B. Alberti tantum natalibus in Franciscanis monumentis celebre, sed ipsius etiam Seraphici P. Francisci prædicatione, & fundato per ipsum ibidem, secundo ab oppido milliari, ordinis cœnobio, postea ad oppidum ipsum exterius translato, & insigni victoria, quam in eodem veteri loco, de tentante Sathana, & suæ carnis ardore, miro stratagemate per niuis algorem, reportauit; quam Vvaddingus de illo cœnobio disserens, ad pij lectoris voluptatem describit: ea sunt oppidani pietate in seruos Dei, vt alterum nunc reformatorum S. Francisci, & alterum Capucinorum conuentum, ac vnum monasterium monialium sustentent, propter quæ & incolarum claritudinem à pomparum, fastorumque Senensium scriptoribus, oppidum nobile vocatur.

De parentum Alberti nominibus, & conditione vitæ, apud omnes, qui eius acta scripserunt, altum silentium est: mihi verò nuper per epistolam de his inquirenti rescripsit Bonifacius à Sarauezza, Sarthianensis tunc reformati cœnobij præfectus, cognomen ipsi Berdinum esse, vt etiam in pompis Senensibus, & legitimo instrumento ad nos misso, vocatur. Sed fasti (an typographi lapsu) Bendinum habent. solus Tossinianus humili loco natum scribit, quo nom ine domum, non oppidum indicare voluisse monstrat, dum Mediolani ortum, & si deceptus, dicat; sed & domum, & oppidum intelligere liceret ex ipsius Alberti epistola ad Antonium Randensem, vbi vtriusque parentum, & patriæ humilitatem, commiscet, nec se in alterutro Randensi maiorem indicare videtur; si hoc ipsum insigni, & consuetæ ipsius modestiæ, & religiosæ submissioni, potiùs quam abiectioni, generis, vel patriæ tribui non debuisset, ne se, vel superbè extollere, vel Randensi præferre, in aliquo videretur. Nobis enim præter ea, quæ de patria diximus, ex legitimo documento constat, familiam Berdinam etiamnum hodie

hodie Sarthiani supereſſe, ibique inter primas, opibus,& authoritate pollere, cuius indubitatam prolem fuiſſe B. Albertum noſtrum non ſolum reliqua ſoboles tota, ſed & conciues, & vicini ſemper tenuerunt, & modò tenent: neque priſco etiam æuo ignobilem, aut obſcuram fuiſſe, ex eo nobis colligere poſſe videmur, quod Curtius alias Rhicardus Ceruinus, Marcelli II. Romani Pont. pater (5) *ex nobili, & clara* Politiana in Thuſcia *Ceruinorum familia*, vt Ciaconus eam in Marcello vocat) poſt mortem Caſſandræ Benciæ nobilis, & honeſtiſſimæ fœminæ matris Marcelli Pontificis, vir Principibus ob virtutem etiam charus, ac tùm agri Piceni, Pontificius queſtor ſeu, vt vocant, theſaurarius, Portiam Berdinam, ex eadem Sarthianenſi Berdinorum domo, per ſecundas nuptias coniugio ſibi copulauerit. Cenſendus enim non eſt Richardus eam labem domui ſuæ inferre voluiſſe, vt ignobilis, & obſcuri generis fœminam, vel ſibi vxorem, vel naſcituræ forſitan proli matrem, Caſſandræ Benciæ ſubinduceret. Portia verò cum viueret, conſanguinitatis intuitu, erga B. Albertum deuotiſſima ſemper fuit, eiuſque ſanctimoniç venerationem, & pium cultum, ad maiorem Dei gloriam, etiam in alijs, quantum licuit, promouebat.

CAP. III.

Natiuitas, Educatio Sæcularis.

NAtum autem felicem hunc filium, anno poſt Chriſtum, milleſimo tercenteſimo octuageſimo quinto, inde ſcimus quod anno 1415. trigeſimum ætatis annum agentem, ad regularis obſeruantiæ profeſſores tranſijſſe conſtanti Chronographorum aſſertione perhibeatur. At quales alioquin fuerint Alberti parentes, Chriſtianos profectò, & pios fuiſſe conſtat, cum natum infantem S. Franciſco deuouerint, & modeſtæ indolis, viuidiq; ingenij puerum illius, quod nominauimus,cœnobii religioſis, tum conuentualibus, educandum commendarint. Apud hos cum puer adhuc, prima literarum, virtutumque, & morum honeſtatis rudimenta poſuiſſet, græcas deinde, & latinas litteras, à Guarino Veronenſi, alijſque celebris famæ, humanioris literaturæ profeſſoribus, ac diuina dehinc myſteria, à Bernadino Senenſi didicit, quæ ſic ab Iſidoro Vgurgerio in pompis Senenſibus dicta, amplius explicarunt Marcus Vliſſiponenſis, & Lucas Vvadingus, alijque, quorum alij Ioannem Laſcarum, alij Emanuelem Chriſoloram, B. Albertum græcis literis erudijſſe referunt. Albertus ipſe in ſuis paſſim epiſtolis, Guarinum in vtraque lingua præceptorem ſuum profitetur, nullius alterius facta mentione, tametſi non adeò præpropere, in præceptorum eius album inferendum eſſe Guarinum, indicent, tùm illi, qui Laſcarum, & Chriſoloram tempore priores magiſtros illi attribuunt, tùm ipſius B. Viri epiſtola 8. vbi ad Nicolum de Guarino ſcribens, ſic ait: *ſtatueram equidem, Veronam quam primum poſſem, omnibus poſthabitis proficiſci, vt illius viri clariſſimi, & amicitia fruerer, & doctrinarum maximè græcarum, vbertate ditarer*; & infra: *poſtquam virum conueni, non feſellit opinionem meam*, quaſi prius illum

lum non conueniſſet; conuenit ergò iuxta hæc, vt frueretur eius amicitia, non prius contracta, ſed tùm primùm contrahenda: neque ad græcas literas, multò minùs latinas diſcendas, quas ante prorsùm ignoraſſet, vir ingenioſiſſimus, & litterarum auidiſſimus, annorum tunc ætatis triginta ſeptem, & religioſæ vitæ ſeptemdecim; ſed vt quibus iàm vtcumque tinctus erat, earum vbertate ditaretur, ſeu vt epiſtola 3. fatetur eloquentiſſimo Guarino præceptore fretus, oratorijs, vt ait, verbis vti poſſet, *cum reliqua omni mea ætate*, inquit, *eis noſtratibus, & ſanè vilibus, me vti ſolitum, tu optimè quidem noris, quod tamen ſi ita cenſes, vt me, ſiue is doctiſſimus ſanè vir erudierit, ſiue ego flumen ex eo eloquentiæ, vſque adeò mea ſtudioſiſſima diligentia hauſerim, vt tanta mea induſtria, dicendi copiam, atque elegantes grauium verborum ſententias, me comparare potuiſſe tibi perſuadeas, ego ſummo illi Principi gratias agam, à quo tam egregio ingenio præditus ſim, vt tanti æſtimari tuo iudicio, poſſim*; & iterum epiſt. 6. *nam cum ego ad Guarinum noſtrum (6) græcæ, & latinæ eruditionis fontem pro illius mira doctrinarum copia ebibenda, Idibus Septembris Veronam proficiſci conſtituiſſem*.

Ego verò hæc ità intelligo, vt Albertus quidèm in eis, de ſolo diſcipulatu ſuo Veronenſi loquatur, nec tamen anterius Guarini magiſterium neget, cum ipſe epiſtola 26. de Guarino loquens, diſertè dicat, *nam is eſt qui me in literis, & græcis, & latinis, linguam tantum inſtruentibus auditorem, alioquin non ſatis ſtrenuum, in adoleſcentia habuit*; & epiſt. 87. ad Epiſcopum Coronenſem, *propter veterem* (inquit) *amicitiam, qua pueri penè quondam in ſchola, ſub Guarino præceptore græcis literis ludebamus*, vt iam manifeſtum fiat, Albertum ab adoleſcentia, & pene puerum græcis, & latinis literis, imbutum fuiſſe, priuſquam Veronæ Guarinum audiſſet, virili ętati quam adoleſcentiæ vicinior, idque præcipuè per ipſum Guarinum, & vt ego ex loci commodo autumo (7) *Florentiæ docentem*: quamquam & Chriſoloram, & alios per ætatem, eodem loci audiſſe potuerint, nam cum Chriſolora in Italiam venit, anno Chriſti 1397. Albertus duodecim ætatis annos habuit. Cumque ille prius Venetijs, deinde Florentiæ docuit, forte ſexdecim aut circiter. Neque poſſibile puto, ipſum Veronæ, primo aſpectu Guarini latinas epiſtolas, & orationes ad populum, & viros doctos (quas etiam græcis inſpergit). tam latinè potuiſſe conſcribere, ſi prius ab alijs præceptoribus, vel etiam ab ipſo Guarino, ſuoque ingenio, & induſtria, in vtraque lingua, vel mediocriter quidem doctus non fuiſſet. Imo quoad græcas literas attinet, nimis difficile videtur, vt, niſi eas ante didiciſſet, potuiſſe ipſum per menſes circiter decem, hoc ęſt, ab Idibus Septembris ad Kalendas ſextiles anni ſequentis, per quos, non amplius, Veronę, Guarinum audiuit, illam peregrinæ, difficiliſque linguæ tam inſignem peritiam conſequi, vt quod boni ſcriptores teſtantur, illum in Concilio Florentino, dicentem græcorum aliqui in Græcia natum, ſibi perſuaderent.

Vide Pogium in funere Nicolai Nicoli.

Maneat igitur Albertum, quod ad rem literariam attinet, legendi,

ſcri-

scribendique rationem, & grammaticas leges, morumque candorem, à religiosis Sarthianensibus Ord. Min. adhuc puerum didicisse, adolescentem verò, tùm in sæculo, cùm in religione constitutum, tam græcæ, quàm latinæ literaturæ profectum ab illis, tam Guarino, quam alijs, celebris famæ, humaniorum litterarum professoribus, habuisse, ac demùm prouecta iuuentute, ad Guarinum Veronæ audiendum accessisse, vt eam copiam, & nitorem, tàm latini, quàm græci sermonis imbiberet, eisque ditaretur, quæ ex ipso superius descripsimus. Nec me moratur ab hac sententia, ipsius serui Dei, de cœteris præceptoribus suis perpetuum silentium, vt qui tùm sub Guarini ferula constitutus, ea scripserit, quæ in hanc rem, ex epistolis ante attulimus, quique fortassis vagum, triuialeque, ac breue aliorum vniuscuiusque magisterium, non tanti æstimauerit, quanti coronidem à Guarino ipsius eruditioni impositam, qua talis euasit Albertus, vt inter eos illius temporis discipulos numeretur, qui, vt Blondus Flauius affirmat, nedum postquam sunt dimissi, sed quousque etiam sub ferula declamarent, & scriberent, præceptores dicendi, scribendique elegantia superabant. Ità latinum, græcumque sermonem ducente Deo, in vno suo pectore, copulauit Albertus, vt vtramque gentem vnam facturum se olim, & sub vnius latini Pontificis, tamquam vniuersalis Ecclesiæ Christi Capitis, potestatem, reducturum, tunc præsagire videretur, quod postmodum, pro sua parte fecisse, posterius dicemus.

CAP. IV.

Religiosæ vitæ initia inter Conuentuales.

QVA verò, vel ætatis suæ, vel æræ Christianæ periodo Franciscanæ Religionis habitum inter eius ordinis Cœnobitas, tùm Conuentuales, Sarthiani primum suscepisset, & regulari tyrocinio educatus fuisset, eius vitæ scriptores, non produnt. Verum ipse facem nobis præfert, cuius lumine, rem acu propemodum tangere possimus. Etenim epistolam ad patres prouinciæ Mediolanensis in comitijs congregatos, scribens, vt salutaria eius monita, illis acceptiora forent: *sustinete, oro vos*, inquit, *modicum quid insipientiæ meæ, nec contemnatis fratrem vestrum, qui etsi non vita sua, saltem exemplis Sanctorum Patrum nostræ Religionis, potest verbis quadraginta annorum indicem texere, quadraginta enim anni sunt, quibus sum educatus, cum fratre centum, & decem annorum.*

Quibus verbis ego illum, de prima educatione, à Conuentualibus, in priori tyrocinio accepta loqui, nullus dubito. Nam secunda cum Obseruantibus consensu scriptorum decennio posterior erat: si autem ab anno 1445. qua æra Christi hæc scripsit, dempseris quadraginta, tunc rectè remanebit annus eiusdem æræ 1405. qui ætati Alberti vigesimus fuit, quo primum ordinis habitum suscepit, frater autem ille C. & 10. annorum fuit, B. Bartholomeus Albisius, siue de Albizzio Pisanus, vir æque doctus, & sanctus, miraculis clatus,

clarus, & in ordinis historia versatissimus, quem proinde Albertus ad rem suam, apposite testem adducit, vt vltra quadraginta annorum propriam experientiam, Pisani etiam authoritate, à quo indubiè vetustiora didicit, Patribus fortiùs persuaderet.

Pisanus Porro, & inter Conuentuales conuersatus, singularem, & sanctissimam vitam viuebat; nullis enim priuilegiis vsus est, quibus regulæ Franciscanæ rigor in vllo remitteretur. Et quamquam Sacræ Theologiæ Magister in scholasticis prælectionibus Pisis, Florentiæ, Senis, Bononiæ, & Patauii, & in sacris concionibus per præcipuas Italiæ ciuitates, atque in conscribendis doctissimis operibus, quæ aliqui triginta numerant, perpetuò occupatus, regularis nihilominus vitæ puritatem, & studium perfectionis in se, & in aliis conseruandi, promouendique zelo, flagrantissimus fuit, sanctæ orationis exercitio semper addictus, Euangelicæ paupertatis obseruantissimus, nudis pedibus semper incedens, dum extremæ senectutis necessitas pedes operire non cogebat, ac in ea etiam ætate, singulis annis, Assisianã peregrinationem ad S. Mariæ Angelorum, seu vt vocamus Portiunculæ indulgentiam lucrandam, atque inde per asperam Sacri montis Aluernæ viam, Seraphici P. Francisci vestigia, nudis quoque pedibus metiebatur, sacrorum eius stigmatum memoriam veneraturus, eiusdem etiam non præcepta modo, sed & illi consueta, & aliis per eum consulta ieiunia districtè seruabat, reliquo anno cibi, potusque parcissimus, tanto maiori solatio sui spiritus, & fructu orationis, & studii, quanto duriore carnis afflictione.

Angebatur plurimum omni remissione vetusti rigoris, Christumque, & S. Franciscum feruentissimis precibus instanter pulsabat, vt primæuum eius institutum, aliquando tandem instaurare vellent, & exauditus est, meruitque tamquam alter Simeon, vt in tanta senectute, non videret mortem donec suis oculis vidisset primordia, & non exiguos progressus sacræ regularis obseruantiæ, & cognouisset S. Bernardinum Senensem, & Albertum Thuscos suos, aliosque præcipuos eius promotores, firmissimas bases, & fortissimos Athlantes: nam eodem anno, quo ille Albertum educabat, Bernardinus præclaro concionandi munere clarere cœpit.

Alberto porro fœlix, faustumque fuit, religiosi tyrocinii sui talem in adolescentia nancisci rectorem: nam vt

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu,

Sic ille religiosæ perfectionis, & spiritus igniculos, ex Bartholomæi Magisterio, & conuersatione conceptos, non conseruabat modo, sed etiam tenero pectore confouebat, donec tandem in propriæ ipsius sanctimoniæ, populorumq; salutis, & Franciscani ordinis, atque Ecclesiæ Catholicæ honoris, & commodorum flammas eruperunt.

CAP. V.

Migratio ad Obseruantes, & conuersatio magis seuera.

Decem annos deinceps inter Conuentuales vixit Albertus, & quo crescebat ætate, eo feruentius ad omnem virtutem, tum quæ illustrat intellectum, tum

quæ affectum diuinis afflatibus inflammat, magis semper aspirabat, per quos annos, & politiori literaturæ, & naturæ cognitioni studuisse, procul dubio censendus est. Cum ebulliente demùm pietatis affectu, & perfectioris vitæ desiderio, Bernardini quoque Senensis, ac deuotorum, vti tunc vocabantur, obseruantiæ regularis, consodalium, claris virtutum exemplis, & patentibus, ijsdemque quotidianis miraculis, & celeberrima fama percitus, ad sanctissimi huius, doctissimique Viri disciplinam, & seuerioris Franciscani instituti sectatorum, consortium conuolauit, anno ætatis suæ trigesimo, & Christi Saluatoris 1415. Bernardinus autem, qui *tanquam* Sap. 3. *scintilla in arundineto discurrens* verbum vitæ, per vrbes, & agros disseminans, nullibi sistebat, Albertum in obseruantum familia susceptum, vt ad normam efformaretur commendàuit curæ Fratris Angeli Tusci, nec meliori poterat.

Erat enim Angelus, etsi de eorum numero quos laicos fratres vocamus, eo religionis zelo, ea prudentia, ea rerum tractandarum dexteritate, & integritate vitæ, vt prouinciæ Tusciæ regendæ, per Patrum suffragia, tribus vicibus præfectus fuerit, quo munere magna sui laude toties functus est, sed qualem, quantamque Alberti curam gesserit, hic ipse epistola 5. *Vbi charissimum*, inquit, *mihi parentem, ac virum profectò integerrimum, mei ordinis fratrem Angelum Tuscum, qui suo merito, & nunc prouinciæ præsit, cui illum nostri ordinis maiores præfecerunt*: & infra. *Est enim Angelus iste, vir talis, qui de me pro beneficijs eius, ita sit meritus (taceo enim reliquos, qui virtuti illius plurimum debent) vt si maxima sua in me officia, & quo me semper amore complexus sit, quantumcumque illi debeam dicere vellem, quamquam vacuo animo essem, & magna dicendi copia præditus, equidem id me consequi diffiderem, quis enim quauis oratione complecteretur? cum ego in Etruria illius curæ commendatus existerem, sua omnia erga me studia, omnem operam, curam, industriam, mentem, denique omnia, quibus sanè me rebus, dies, noctesque meæ salutis incredibili quodam, sanctissimoque metu sollicitus, ita deuinxit, ita obligauit, vt veritus ne sustinere sua innumerabilia officia non possim vel non capere animus meus, vel in accipiendo, siue in remunerando, cumulandoque verbis, illius acta illustrare non valeam, habere quam dicere gratias malle*. Atque hæc inter obseruantes educatio sub tam accurata disciplina Fratris Angeli Tusci secundum B. Alberti in ordine S. Francisci tyrocinium fuit, in quo, iuuante Domino, tantopere profecit, vt quem tunc calcare cœpit, Seraphicæ sanctitatis tramitem nunquam amplius deseruerit, nec alius Franciscanæ districtionis ipso tenacior esset.

Erant tùm, narrante Vvaddingo, reg. obseruantiæ in Italia, triginta quatuor tantum humiles ædiculæ, seu verius eremitoria, & cauernæ in locis desertis, & à mundanorum consortio remotæ, quibus, eo ipso anno, accessit spectata, & celebris domus S. Mariæ Angelorum, vulgo Portiuncula, extra Assisium: tres nimirum prouinciæ Romanæ, in agro Reatino, reliquæ in Vmbria, & Etruria, earumque omnium incolæ religiosi circiter ducenti, atque horum plerique fratres laici, tanta penuria Sacerdotum, vt in Reatinis illis, vnus Sacerdos alternis vicibus,

bus sacra perageret. Erant omnes mundo abiecti, sed accepti Deo, religione insignes, paupertate diuites, charitate feruentes, castitate nitidi, crebro ieiunantes, vilia comedentes, æmula humilitate se mutuo superantes, facie squallidi, pedibus nudi, vestibus pannosi, rerum agendarum, & scientiæ sæcularis expertes, à mundo semoti, non tam alienas, quam suas curabant animas, rerum cœlestium contemplationi, & pietati incessanter addicti.

Atque inter hos, summa humilitate, patientia, & pietatis studio, septem iam annos conuersatus est Albertus, quo maiore castigatione corporis, & sui demissione, eo ampliore spiritus libertate, & spiritualium charismatum suauioribus delicijs: proposita namque sibi sanctissimi Bernardini norma viuendi summo rigore, & seueritate disciplinæ, despectis omnibus carnis, & mundi commodis, eorumque cura iam vacuus, iugi primùm orationi, & asceticæ vitæ sanctiorumque literarum, ac cœlestis philosophiæ contemplationi, studioq; se totum tradidit. Quamquam etiam propagandi huius instituti zelo, nemini cederet, adeò tamen prudenter, & circumspectè se gessit, vt cum eximiam laudem, æstimationem, & amorem, ab obseruantibus quibus accessit, sibi comparasset, nihil tamen perdiderit eorum beneuolentiæ, quos reliquit, nam isti eo etiam deinceps familiariter vtebantur, eumque suis adhibebant consilijs, & collatis honoribus auxerunt, & ipse vicissim liberali gratificatione se illis obstrictum, etiam pro concione, profitebatur.

CAP. VI.

Guarinum Veronæ iterato audit, & S. Bernardinum dicentem comitatur.

EX Alberti effigie, in valuis Vaticanis ex ære fusis, dum adhuc tùm viueret, & opifici facile notus esset, expressa conijcimus, eum statura media fuisse, atque compacta membrorum proportione, & grato aspectu: fuit etiam constanti valetudine, quam externa tantùm intemperies, vel itinerum, laborumque perpetua molestia, subinde tentabant, voce quoque sonora, & procul perceptibili, & verborum tersa, & distincta pronunciatione, conuersatione comis, & modestus, ob doctrinam, & morum sanctimoniam, cunctis acceptus & reuerendus, ac triginta septem annorum ætate maturus, vt ad disseminandum in populos verbum Dei per omnia factus videretur: sed ipse qui ad morum æquè ac eruditionis ampliora semper aspirabat, vnum, saltem iudicio suo, deesse sibi censuit, græcę scilicet, & latinę linguarum splendorem, & copiam, *vt quibus*, inquit, *artibus virtutes facile comparantur, quarumue tandem parta emolumenta, & mibi, & cœteris vtilitati, vsui, iucunditati, veræ, solidæque gloriæ esse possunt, in bis esse laborandum mibi statuerim.* Propterea non ausus est interim suggestum pro concione conscendere, vel quidpiam seu epistolarum, seu alterius operis, ne latinè quidem, conscribere, quod publicè ederetur, vel doctis viris communicandum foret, donec eas artes, in vtraque lingua solidius possideret. *Nam affir-* Epist. 5.

 mante

mante Blondo, qui græcas tunc in Italia literas nesciissent, latinis videbantur indoctiores.

Anno igitur ab incarnatione verbi Dei 1422. & ætatis suæ trigesimo septimo, Idibus Septembris Guarinum Veronæ docentem, omnibus posthabitis, audiuit, *vt illius doctrinarum maximè græcarum*, inquit, *vbertate ditarer*. Hoc eius consilium, cum initio non probarent illi eius sancti, & simplices magistri spiritus, timentes, ne succus pietatis, & virtus humilitatis, quibus illum nutrierunt, in eloquentiæ profanæ pompam, & rhetoricum puluerem, per mentis elationem euanescerent. At cum intellexissent longè aliam fuisse mentem Alberti, vt omnem eloquij facultatem, quam adipisci posset, in argumenta pietatis, & vsum configendi vitia, & virtutes persuadendi, conuerteret, tum plurimum læti, mutarunt sententiam, & Alberti consilium optimum illis visum est, de quo ipse aliquid epistola 5. & in reliquis ità se scribendo gessit, vt sanctos vtriusque linguæ Patres, magis quam Demosthenem, aut Ciceronem imitari velle videretur. Imo nonnunquam ex instituto, illos æui sui quosdam exagitat qui profanæ eloquentiæ phrases, Christianæ pietati non congruas, affectabant, & qui antiquorum floribus, in exornandis argumentis, charitati, iustitiæ, & castimoniæ contrarijs abutebantur.

Decimum iam circiter mensem Veronæ apud Guarinum agebat Albertus, quando S. Bernardinus Senensis Taruisij inuisit Franciscum Barbarum, illius vrbis tunc pro Rep. Veneta Prætorem, quem vtrumque sibi amicissimum veneraturus, ille per dies canieulares, Verona non procul, Taurisium 7. Kal. sextiles profectus est. Hic ab vtroque perhumaniter, amanterque exceptus, vtriusq; hortatu persuasus, ac Bernardini præsertim, ad populum dicentis, admiratione permotus est, vt vel tunc tandem eum imitaturus statuerit, quo ille pergeret, quoue illum Dux eius Christus deduceret, vna ipse ab eo erudiendus, menses aliquot proficisci, qua de re ad Guarinum scribens, vt & ipsi optimo præceptori, & græculis, vt ait, condiscipulis suis, per eum valediceret, inter cœteras consilij sui rationes, Bernardini dicendi characterem, copiam, vires, & neruos persuadendi, flectendiq; quo vellet animos auditorum, eum egregia ipsius laude, breui elogio describit: nuntiat se ambos, postridie quam scribebat, seu 2. nonas Septembris ad Felrrenses, & Belunenses, Marchiæ Taruisinæ ciuitates, perrecturos, vt postquam Bernardinus illis prædicasset, ambo simul Florentiam versus, quamprimum irent. Tum ergo dicentem Taruisij per totum mensem Augusti, Feltri verò, & Beluni maiori parte Septembris & Octobris audiuit, omnem eius artem, & gratiam suo lucro reponens.

At humilis Bernardinus apud se reputans indignum esse, vt Alberti præclaræ dotes, in alijs audiendis detinerentur, per quas ipse potius, eum fructu, & laude à populis audiri deberet, pro Prælati, qua pollebat, authoritate, Pithagoricum silentium soluere tandem iussit, eumque Mutinam ciues instructurum amandauit: idque non vtiliter tantum, sed maximè necessariò. Appulsus enim Albertus pridie Idus Nouembris, inuenit ciues (8)*Guelforum, Gibellinorumque* sæuis factionibus sibi mutuo infestos, cęterisque infectos vitijs, quæ ea ciuium, maximèque primorum diffidia, in

omnem

omnem Remp. inuehere solent: sed Albertus, qua præstabat virtute, ac diuini primùm numinis adiutorio, prima illa sua vernacula prædicatione, palàm ostendit, quantum deinde per alias Italiæ ciuitates, in componendis discordijs, & conciliandis Ecclesiæ schismaticis in Oriente, & odijs exterminandis, præstiturus esset: primoque prælio diabolum, pacis, & charitatis hostem deuincit, & de zizaniorum seminatore, per diuini verbi sationem triumphauit. Nam cum eo suadente, post aliquot dies, aperta luce, omnes intellexissent, quanta sit in eis factionibus pestis animarum, cum rerum, hominumque exterminio, Dei maxima gratia factum est, vt à cunctis miro animi feruore, eis diaboli dissensionibus renuntiaretur. Habita deinde ad eos, de pace seruanda oratione, tanta animorum concordia deuincti sunt, vt non modo simultates ipsæ deletæ, ac funditùs ex animis euersæ sint, sed vt nomen ipsum omnium dissensionum seminarium è medio sublatum sit, illud nimirum diaboli classicum, & cædium, cæterarumque calamitatum incitamentum, *ego Guelfus, ego Gibellinus* non alio spiritu, quam quo Paulus Apostolus, veterum Corinthiorum dissensiones sublaturus, factionum Symbola, tesserasque prohibuit: *ego quidem sum*
1. Cor. 1. *Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi.*

Post hæc tam egregie Mutinæ gesta, Bernardinum tamen, tamquam sibi humiliter insufficiens, deserere noluit Albertus, sed postquam ille fel-
Ad Ann. 1423. n. 3. trensibus, & Belunensibus, & vt Vvaddingus narrat, etiam Virunensibus in Carinthia pari fructu, extinctę ibi eiusdem factionis, prædicasset cum eo iter in Etruriam direxit, & sub initium sequentis Ianuarij, Bononiam ambo peruenerunt, vbi dum Bernardinus rogante B. Nicolao Albergato, Bononiensi tunc Episcopo, ac postea Card. Tit. S. Crucis in Hierusalem, ea magnalia dicendo faceret, quæ idem Vvaddingus refert: Albertus quoq; calamo prodesse cupiens, Idib. Ianuarij fusam epistolam scripsit, quæ nobis ibid. n. 4.
10. est ad Nicolaum Estensem, Ferrariæ tunc Marchionem, & Mutinæ Dominum, in qua, narratis ijs, quæ ab ipso Mutinæ gesta diximus, rogat, hortatur, obtestaturque Principem, vt, quo desiderio ciues ipsi flagrabant, quoque plenius cœpta animo concordia potirentur; Nicolaus ipsis authoritate sua, adiumento esse vellet: & vltrò currentes promoueret, fomentum ipsum omnium factionum è medio prorsùs tollendo, *quos*, inquit, *si etiam inuitos in hæc studia cogeres, maiore apud Deum præmio donareris.*

Inde in pestem illam ludorum, virtutum omnium voracissimam, qua Bernardinus eodem tempore Bononiæ ciues, per malorum instrumentorum pyras, quasi per ignem expurgabat, Albertus grauiter inuectus est, & vitiorum, grauiumque scelerum lernã quæ ludendi libertatem consequitur, clarè demonstrans ludorum summam infamiam, & latè serpens virus. Principem propterea enixè hortatur, vt tùm ex ciuitate sua Mutina, tùm ex omnibus omninò suis, tantam populorum perniciem, & pessimam labem prorsus propulset, minaci hac sententia rem sibi propositam fortiùs inculcans: *vnde qui non resistunt cum possunt, & qui adminicula præbent, & qui inde gaudent, vel ditantur, vel suo malo inopes fiunt, omnes æterno interitu, nisi se abstinuerint, & satis omnibus fecerint, ac ingentibus pœnis,*

nis, dignisque cruciatibus, à Deo plectentur.

CAP. VII.

Albertus ipse cum fructu, & laude populis euangelizat.

Haec ad Estensem Principem Bononiæ scripsit Albertus, mense Ianuario anno sui stili veteris 1423. sed noui nostri, quod in notis non semel aduertimus, 1424. nec amplius ab eo scriptum quidquam habemus, vsq; ad annum 1430. quo aliquas epistolas in Etruria dedit, præter vnum epistolium ad Bartolomæum Aldobrandinum, absque diei, vel mensis assignatione, eodem anno 1424. Senis datum, ex quibus colligimus, ipsum totos illos septem, vel amplius annos, in Etruria hæsisse, nam nulla eius vestigia interim alibi reperimus. Nec interea feriatum dicere possumus, tum quod ipse ad Bartholomæum scribat, sibi pro ingentibus laborum molestijs, nullam, vel illum inuisendi frequentius, vel dulcissima consuetudine fruendi, facultatem concessam esse: quos labores in ipsa Etruria exantlatos, in posterioribus literis, non semel commemorat, quotidianæ nimirum prædicationis in diuersis Vrbibus illius Prouinciæ.

Nempe hoc munus, vt alij scribunt, posteaquam superiorum imperio, semel suscepisset, vsq; ad mortem numquam intermisit, per Italiam in primis discurrendo, quotidie fermè, tam eleganter, tam doctè, tantaque virtute præstabat, vt sui temporis sacri dogmatis præconum Rex non immeritò acclamatus vulgo fuerit. Erat verbum Dei ex eius ore gladius, vtrimque acutus, nam & doctos aliquos, alioquin aduersos, rationum pondere, & erudita eloquentia conuincebat, & ignaros claritate sermonis, & suaui quadam condescensione dulciter erudiebat, atque in Dei timorem, amoremq; & mandatorum obseruantiam fortiter concitabat. Eius erga peccatores condescensionis paradigma habet Bernardinus de Bustis, cuius propria verba describere malui, quam rem narrare meis.

Nihil, inquit; *in hac vita est efficacius, ad compungendum obstinata corda, quam sermo diuinus, quod patuit per experientiam in quodam indurato peccatore, in ciuitate Venetiarum, qui prædicante ibi B. Alberto de Sarthiano ordinis nostri, ad ipsum iuit, & rogauit, vt ei consilium daret, quomodo saluaretur: quia habebat peccatum quoddam, quod nunquam dimittere intendebat, quia impossibile sibi videbatur ab illo abstinere, cui prædictus prædicator ait, tria tibi facienda consulo, primò vt omni die Missam audias, secundò, vt quotidie aliquam eleæmosynam facias, tertiò, vt nunquam prædicationem omittas, quibus auditis abyt, & consilium adimplens, post paucos dies ad ipsum B. prædicatorem, totus contritus, & conuersus redyt, & virtute diuini verbi, mutatus à proposito, illud peccatum, in quo immersus fuerat, totaliter dereliquit.*

In illius æui vitia, quæ prolixi Pontificij schismatis, & furentis per Italiam Bellonæ reliquiæ fuerunt, Catholicæ fidei, Sacramentorum vsus, pœnitentiæ præsertim, & Eucharistiæ, Sedisque Apostolicæ reuerentiæ neglectum, publicas, priuatasque inimicitias, cæteramque multam viuendi licentiam, acer, & vehemens fuit, in eisque reprehendendis, impetu quodam

dam ſpiritus,quandoque etiam pręter intentionem, ita ferebatur, vt qui remordente conſcientia, ſe tactos, omniaque in ſe dici putabant, ij non alia tantum pericula, ſed & vitæ quoque inſidias,veritatis præconi, & ſui ipſorum ſalutis miniſtro, vt phrenetici medico intentaſſent. Ille verò in officij ſui executione, ne potentum quidem faciem reſpiciebat, quamquam id ea dexteritate, & moderatione facere ſoleret, vt nullius perſonam, nedum ex nomine, ſed nec alio indicio, præterquam ſolius communis vitij deteſtatione, detegeret.

Ab amicis aliquandò monitus, rogatuſque vt obiurgandi vehementiæ temperaret, dixit ſe quidem, quamquam id vellet,non poſſe tamen:quod & ſocij eius, experientia docti, teſtabantur. Et verò poſtulante temporis, & rerum conditione,Deum ità diſpoſuiſſe videri poterat,quando homines callo quodam improbitatis obducto, non tam amore virtutis, quam vitiorum turpitudinis execratione,& expoſitis æterni ſupplicij tormentis,terrore quodam,& incuſſo metu, ad frugem reduci poterant, qui nihil gloriosè, quod non impudenter,à ſe factum arbitrabantur.

Declamabat ſubinde ad populum coram Franciſco Sforcia Mediolani duce,& aliqua temporis errata, tàm grauiter inſecutus eſt,vt ijs, qui mala ſua conſilia nouerant, Principis animum illis inſtructum,& acta quædam è ſuggeſto ſugillaſſe videretur, atque vt in aula, magno magnatum præiudicio, aſſentantes aliqui numquam deſunt, iſti apud Principem, Alberti, vt aiebant,licentiam,auſum,temeritatem & illatum ſuo domino probrum incuſare, ingenijque ſui viribus, & compoſitis aſtutè verbis aggrauare, dictareque fraterculum vinculis, & igne dignum ſe præbuiſſe. Periculum Alberto indicatum fuit, ſtatuitque mitius agere, nihilque præſertim quæ de Principe quiſpiam interpretari poſſet, deinceps pro concione dicere, ſed longè ſecùs euenit, nam proxima vice, qua coram Duce dicturus conſcendit, nihil minus volens, ijſdem fortè ſenſibus quos prius expreſſerat, impellente ſpiritu veritatis, qui Prophetarum dirigit linguas, & frontes obfirmat, eadem, vel ſimilia pronunciauit, cuius rei clariſſimum exemplum in S. Auguſtino accidit, vt in eius vita narrat Poſſidius Cap. 15. tom. 1. vnde totum locum huc tranſcribere nos iuuat, ſic ergo loquitur Poſſidius.

Scio item non ſolum ipſe, verum etiam alij fratres, & conſerui, qui nobiſcum tunc intra Hipponenſem Eccleſiam, cum eodem ſancto viro viuebant, nobis pariter ad menſam conſtitutis,eum dixiſſe:Aduertiſtis hodie in Eccleſia meum ſermonem,eiuſq; initium, & finem contra meam conſuetudinem proceſſiſſe, quoniam non eam rem terminatam explicuerim quam propoſueram ſed pendentem reliquerim. Cui reſpondimus. Ita nos in tempore, miratos fuiſſe ſcimus, & recognoſcimus. At ille: Credo, ait, quod forte aliquem errantem in populo Dominus per noſtram obliuionem,& errorem doceri,& curari voluerit: In cuius manu ſunt, & nos, & ſermones noſtri. Nam cum propoſitæ quęſtionis latebras pertractarem,in alium ſermonis excurſum perrexi, atque ita non concluſa, vel explicata quæſtione, diſputationem terminaui magis aduerſum Manichæorum errorem, vnde nihil dicere decreueram diſputans,quam de ijs,quæ aſ-

ſerere

ferere propofueram. Et poft hæc, nifi fallar, ecce alia die, vel poft biduum, venit quidam Firmus nomine, negotiator, & intra monafterium fedente Sancto Auguftino coram nobis, ad pedes eius genibus prouolutus fefe iactauit lacrymas fundens, & rogans vt pro eius delictis Sacerdos, cum fuis, Dominum deprecaretur, confitens quod Manichæorum fectam fecutus fuiffet, & in ea quamplurimis annis vixiffet, & propterea pecuniam multam ipfis Manichæis, vel eis, quos dicunt electos, incaffum erogaffet; Ac fe in Ecclefia per Dei mifericordiam fuiffe eius tractatibus nuper correctum, atque Catholicum factum. Quod & ipfe venerabilis Auguftinus & nos, qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potiffimum in illo tractatu fibi fuerit fatisfactum, & referente eo, nobifque omnibus fermonis ferie recognofcentibus, profundum confilium Dei, pro falute animarum admirantes, & ftupentes glorificauimus fanctum eius nomen & benediximus, qui cùm voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit, & per fcientes, & per nefcientes animarum operatur falutem. Et ex eo ille homo propofito feruorum Dei adhærens, negotiatoris dimifit actionem, & proficiens in Ecclefiæ membris, in alia regione ad Presbyterij quoq; Dei voluntate petitus & coactus officium acceffit, tenens atque cuftodiens propofiti fanctitatem; & forte adhuc vfque nunc, in rebus humanis viuit trans mare conftitutus. Sfortiæ verò aulici male fibi confcij Alberti verba tamquam in Principem dicta, clamabant, & in furias verfi, denuò Principem adoriuntur; pudendum exprobrantes, quod talia fine pœna permittat: operamque fuam fatellites offerunt, modo Duci non difpliceret, ad Albertum è medio tollendum. At Francifcus, vt erat Chriftianus, & prudens Princeps, factum fuæ religioni indecorum, & magnitudine animi indignum, vindictæ fcopum Catholico, & excelfo animo reputans Sacerdotis Chrifti, & Euangelici præconis necem: finite, inquit, Fratris Alberti fermo vfque adeò nobis non difplicet, vt eo potiùs acceptior fit, quod ille munere fuo rectè fungatur, quo & Alberto vitam feruauit, & adulantium prius data confilia, concionatoris voce doctus, fibi minus conuenire monftrauit.

Non defuerunt etiam æmuli, qui Alberti quoque doctrinæ detrahere nitebantur: fed fuperuenerat eo tempore Mediolanum, nefcio quo cafu, B. Ioannes Capiftranenfis, qui claris documentis ità demonftrauit eiufmodi maleuolos (vt author eos vocat) velle fapere plufquam oportet, & ità claufit ipforum ora, vt nemo amplius aufus fuerit quidquam contradicere.

Cœterum, Alberti prædicationem fcriptores omnes tam coæui, quam pofteri, tam domeftici, quam extranei, miris præconijs efferunt, & vitæ fanctimoniam, excellentiamque doctrinæ deprædicant, quæ vel Eugenii Pontificis præclara elogia, & velut oracula fatis, fuperque comprobant, & fructus ipfe pofterius exponendus demonftrat.

Eius dictio tantopere trahebat pium fenem, & Ferrariæ tunc docentem Guarinum, olim Alberti magiftrum, vt quoties Alberto ibi prædicandum effet, toties ille lectionis horam anteponeret, eaque finita, difcipulos ad concionem vocaret,

audi-

audiſtis, inquiens, theoriam, nunc eamus ad practicam, nec vllum abeſſe ſinebat. Tanta cupidine ipſum dicentem audiendi exardebant populi, proceres, & plebei, ſimplices, & ſapientes, vt nec templa, nec fora illis colligendis ſufficerent: in apertis campis conciònandum erat, vbi interdum, omnis conditionis auditorum, ſexaginta millia, ſubindeque plura, cum ſumma auiditate, ab eius ore pendebant, nec vllus erat, qui meliorem ſe rediјſſe, quam acceſſiſſe, non fateretur, nec proximi tantum loci ciues, ſed circumiacentium omnium, longis itineribus, & relictis operis, domibuſque confluebant, nec vlla tùm aduentus, aut quadrageſimæ expectatio, nulla loci, vel temporis diſcretio fuit.

Poſtquam ille, quod diximus, S. Bernardini tunc ſuperioris imperio Chriſtiana roſtra profeſſus eſt, inceſſanter deinceps, in vrbibus, & oppidis, in pagis, & vicis, in templis, foris, & campis, arrepta quacumq; occaſione, & ſæpius non ſemel in die, ſermo Dei, viuus, & efficax, ex eius ore promptus erat. Hæreticos ad fidem, ſchiſmaticos ad vnius Apoſtolici Romani Pontificis obedientiam, ac deuotam ex animo reuerentiam, peccatores ad priſtinæ vitæ tædium, veniæ ſpem, atque frugem: Principes, & populos ad charitatem, & pacem conuertebat; non ſui tantum ordinis, ſed aliorum quoque clauſtra, vtriuſque ſexus pœnitente, & pia iuuentute replebat, & vrbes, oppidaque non tam auidè quæſitis, quam vltrò oblatis, & rogatus, vt acciperet, horum habitaculis exornabat.

Neque tantus auditorum numerus cuiquam incredibilis videri poterit, qui S. Bernardini, B. Ioannis Capiſtranenſis, aliorumque illius æui, eiuſdem inſtituti regularis obſeruantiæ Franciſcanorum acta perlegerit, quos dicturos non minor auditorum populus, à media nocte, ad multum diem præſtolantes, viciniorem concionatori locum certatim præoccupabant, & quod Ioſephus Ripamuntius, ex Donati Boſſij eiuſdem ferè temporis annalibus ſcribit, Iubileum hoc tempore in Franciſcana æde fuiſſe Mediolani, & tantam vndique peregrinorum multitudinem confluxiſſe illuc, vt in turba quidam eliderentur, & ad centum millia conueniſſe tradunt, præter indigenas, & ipſius vrbis populum, in ipſo aditu templi quindecim ingruente multitudine eſſe obtritos, atque exanimatos. Arbitror annuam Portiunculæ noſtrę ſolemnitatem fuiſſe, nec ad remiſſionem pœnarum rantummodo confluxiſſe tam frequentem concionem, quam in ſingulis Franciſcanorum templis eodem die lucrari poterant, ſed vt Albertum quoque tunc Mediolani dicentem audirent.

Frendebat in hæc Sathanas, deſolari infernum ſuum, & vacuas ſequacium ſuorum ſedes, his hominibus in Cœlo compleri, rapique è ſuis vnguibus quos multis ſceleribus, iam diu conſtrictos, ſibique obſtrictos tenebat, ſuſcitabat quæ iam narrauimus aduerſus aduerſarium ſuum, beneuolentiæ magni Principis, & propriæ vitæ diſcrimina; concitabat calamos, & linguas, qui non ipſum ſolum, ſed cœtum vniuerſum ſanctiſſimi inſtituti auerſioni, & odio multorum exponere nitebantur, aperta tandem pugna, & viſibili forma diſpergere auditorium, & prędicationis fructum deſtruere, conatus

tus est, præter ea, quæ in Aegypto, & Arabia contigisse dicturi sumus, sed diuina protectione, & B. Alberti virtute, semper, & vbique victus, & debellatus est.

Innumerus alicubi in campo erat numerus auditorum, cum feruente pro rostris Alberto irrupit in populum ceruus cornupeta, vel omnes è concione disturbaturus, vel malè habiturus multos, inde omnium confusus clamor, & paratura fugæ, cognouit seruus Dei artem diaboli, & fortiter clamauit, ne quisquam se loco moueret, inanem laruam esse affirmans, non ceruum è saltu, sed Sathanam ex orco emissum, qui verbi Dei fructum perdere moliebatur, quamobrem ab Alberto iussus laruatus dęmon, non pedibus fugit, sed ab omnium oculis confestim euanuit, nec amplius vllibi visus est, quo factum, vt populus quieti, & securitati restitutus, maiori animo, & pietatę doctrinam hauriret, doctoremque, & liberatorem suum, in ampliori haberet opinione sanctitatis, qui diuino lumine dolum detexit, & potenti virtute, hostem dicto fugauit.

CAP. VIII.

Religionem, scripta laudatione, ab aduersa vituperatione vindicat.

NON dicendo solum, sed scribendo quoque sui æui corruptelis medebatur Albertus, cum omnium hominum salutem, omni quo poterat modo promouere satageret, vt quæ subiungimus, eius commentaria demonstrant, sed aliqua græcè scripsisse fertur, quæ nobis nondum reperta sunt, sermones tamen, quos quotidie ad populum habebat, conscripsisse magno sanè posteritatis detrimento nemo prodijt, erat enim, vt ipsa perpetua dictionę, & continuatis itineribus impeditus; sic eruditione, doctrina, eloquentia, memoria, & exercitatione tam promptus, vt ad disserendum de quouis argumento, communium locorum notatio fortassis aliqua, cum breui meditatione, & quod caput est, feruens, & recta voluntas, & huic semper assistens gratia Dei, satis illi fuerint: neque enim Apostolos, & multos Apostolicos viros, nec S. Franciscum, aut eius socios, sermones suos, quos extemporaneos frequenter habuerunt, scripsisse, priusquam dixisse legimus, cum tamen & quercus, & saxa dicendo scinderent, virtutes, & vitia, pœnam, & gloriam prædicantes, cum breuitatę sermonis. Extant in Alberti operibus, quæ producturi sumus, orationes aliquot paucæ latinæ, quarum duas ad populos, ac tertiam ad sui ordinis Patres, in comitijs collectos, declamauit.

Florescere tùm Italia visa est, è scholis Guarini Veronensis, & Emmanuelis Chrysoloræ, aliorumque vtriusque linguæ præceptorum viris, non latina tantùm, sed Attica etiam eruditione clarissimis, & per eos in magnam partem restaurata est, iam olim sepulta literarum latina simul, & græca elegantia. Verum vt inter flores nascuntur vrticæ, nec vlla tam læta seges caret suis lolijs, aut mortalium quispiam ex omni parte perfectus est, sic horum hominum plures erant scribendi grauitate, & integritate morum pręstantissimi, sed alij quidam genijs suis, æuique vitiis

nimium

nimium indulgentes, non imitari se Ciceronem, aut Salustium in oratione soluta, nec in ligata Nasonem arbitrati sunt, si illorum conuicia, atque huius turpitudines è crematorum corporum putribus vrnis, tamquam eloquentiæ phœnices, non suscitassent, nec se viros fortes esse, si hanc prædam de manibus non eripuissent: nec præclarius, vel eruditionis suæ vel eloquentiæ specimen se præbituros credebant, quam vt studiorum riuales, & conciues interdum suos, maledicis inuectiuis lacerassent, quod plurium illius æui eruditorum, commune fere vitium fuit, turpissimos amplexus, ioci specie, in multorum scandalum, & Christianarum mentium perniciem, intensis eloquentiæ, & lasciuiæ viribus, in vulgus explicarent, qui propterea plurium sermonibus, calamisque vapulant, quo alii discant, se non impune laturos, si & scribendi facultatem, & tempus, & otium, per optimum Deum ad meliorem vsum concessa, pessimo dęmoni dicare præsumant: cum potius illi à Cicerone suo discere potuissent; *oportere eum omni vitio carere, qui in alterum dicere paratus est*, & isti sermonis elegantiam, & nitorem, seu vasa Aegyptiorum, ab Etnicis possessoribus mutuari, e quibus non morum corruptelam labili iuuentuti, sed castam pudicitiam Christianis mentibus, & Christo animarum zelantissimo Sponso consecrare debuerunt, id enim meliores magistri, quam Ouidius docent.

In Salustium.

Quod nostrum est, & ad B. Alberti Sarthianensis causam attinet, in Philippico hoc dicendi genere, cum aliis aliquando excessit Poggius Brandolinus, vir alioquin suo tempore, eruditione, & eloquentia clarissimus, quamquam & ipse facetiis aliquando lusisset (sacra censura iam dudum confixis) in Ouidiana verò fœditate Antonius Panormitanus venereo carmine sagittam cupidini præripuit: qui duo viri, si in melioribus argumentis, quibus alioquin cum eloquentiæ laude insudarunt se continuissent laude digniores ipsi futuri erant, & Reipublicæ melius consuluissent.

Construebant eo tempore cœnobium illi Religiosi consodales Alberti (qui à sinceriore Franciscani Canonis disciplina, obseruantiæ regularis fratres dicebantur) in fundo, quem cum suæ recreationis domuncula, ipsis dederat Carolus de Ricasolis ciuis Florentinus in loco campestri, sed amœno sui dominii, dicto Monte Caroli, per hoc Poggius quidpiam vel temporalis emolumenti, vel potius delitiarum, sibi, suisque contribulibus, vt ipse eos alibi vocat, detrahi censebat, quod sanè tùm parum esse oportuit, cum illius instituti homines, amplis domiciliis, vel vastis terrarum spatiis vti, conscientiæ sibi vertebant, cuius rei manifestum, & euidens argumentum inferius producturi sumus. Agebat apud Pontificem Poggius, quo posset obsistere sacræ huic & solitariæ religiosorum structuræ, & rumor fuit, quidquid parietum isti erigebant, ipsius industria, studioque demolitum iri, sed cum rem cognitam apud nostros esse, nihilque se apud Pontificem efficere sentiret, hic arrepto calamo literas ad Nicolaum Nicolum dedit, querulus primùm quod eiusmodi voces spargerentur, deinde in religiosos viros, qui fœlicissimis illis initiis lucidos instituti

sui sanctitatis radios, agendo, docendoque in populorum, & Principum animos vibrabant acriter inuectus est: & vniuersum sanctum cętum, ita depinxit, vt si irato tunc homini fides haberi posset, non tam religiosæ vitę sectatores, quam malè Christianos, & flagitiis litantes, eos fuisse crederes, Bernardinum tamen, aliosque per paucos innominatos, & Albertum nominatim excepit, quorum, claram sanctimoniam, & celeberrimam famam, omnem inuidiam, & acumen maledicentię iam superasse cognouerat.

Cortonę in Etruria tum conualescebat Albertus ab epidemię morbo, quem promiscuo quotidianoque auditorum accursu contraxerat, cum Nicolaus Poggii literas ad eum deferri fecisset, ac dum firmandę valetudinis causa, medicorum, & consodalium suasu aliquantisper concionibus abstineret; otio tamen vacandum non censuit, cum & se ipsum exerceret, & aliquo commentariolo, per calamum saltem S. Francisci exemplo, Reipublicæ prodesset, dumque de argumento scriptionis deliberaret, opportunè sibi oblatum arripuit. At vt erat animo moderatior, & sui magis compos, quam ipsius antigonista, non hominis denigrare famam, vel maledicentiam in authorem retorquere, nec suorum fratrum, qua non egebat defensionem instituere statuit, sed veram innocentum laudationem, per quam absq; ira, odio, inuidia, omnes Poggii criminationes grauiter, suauiterque nec minus eruditè detersit, quamquam hominem subinde modestæ fraternæque animaduersionis iure, & veteris amicitiæ fiducia increpuisset, ad illa ipsa coactus, quod metueret, aliquos acri hominis eloquentiæ vi, & sermonis lenocinio à Christi sequela fortius insistendo deterreri, & vberrimum exemplorum, atque doctrinæ fructum, quem religiosissimi viri colligebant, minui posse; quo nihil humanæ salutis inimico gratius, nihil tunc religioni, & Reipublicæ perniciosius euenire poterat, quæ Albertus ipse ad Nicolaum, & Poggium clarius prosequitur in literis, quas nos temporis ordine 20. & 21. loco collocauimus.

Ad B. Viri libellum rescripsit ipsi Poggius breuem epistolam excusatoriam, quam his verbis orsus est. *Tantum abest mi Alberte vt grauiter feram, quæ à te scribuntur, vt etiam maximas tibi & debeam, & habeam gratias, quod me, pro tua in me beneuolentia, & charitate admonere voluisti, eorum in quibus me aberrasse, in meis literis arbitratus es, non enim sum is qui tantum meis viribus confidam, vt non aliorum quoque opibus subleuari velim, atq; adiuuari, ad errores vitæ corrigendos*. Reliqua Poggij epistola talis est, vt author tunc fuisse videatur ex eorum numero, qui teste Cicerone certis quibusdam destinatisque sententijs, quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, vt quæ non probare solent, ea cogantur constantiæ causa defendere, si tamen Tullius constantiam nisi fortassis ironicè fictam, & falsam appellare voluerit agnitæ falsitatis defensionem, quam & Gentilis ipse alibi sæpius, & nos omnes Christiani pertinaciæ nomen mereri censemus. Rationes autem, quas Poggius ad se excusandum profert, ne sine causa religionem vituperasse videatur, vel rationum potius effugia sunt, vel particularium

larium paucorum culpæ, quas religio ipsa sancitis legibus, & acri castigatione persequitur, vel crimina in sæculo commissa, quæ ipsi tunc peccatores post ad religionem conuersi, pœnitentis vitæ austeritate, in se ipsis plectebant, pietateque, & virtutum exemplis in aliorum oculis diluebant. Albertus igitur ijs dissimulatis, quod eas ante liquido confutauerit, deinceps tacuit, Poggius ab inceptis destitit, & pristina amicitia inter eos redintegrata, & constans inde seruata fuit, ac religiosi locum illum, de quo tunc disceptabatur, in hodiernum diem pacificè inhabitant.

CAP. IX.

Importunas, & periculosas conciones prudenter declinat.

EOdem tempore quo B. Albertus pestilentiæ morbo languebat Cortonæ, interea ciues Viterbenses factionibus, peste peioribus, vel alijs simultatum causis agitati, intestinis odijs, ac sæuis cædibus se mutuò, miserum in modum, trucidabant, vrbemque suam depopulabantur, vt ex ipsius B. Viri epistola 12. copiosius, & clarius, quam aliunde discere potuimus, donec Leandrum Albertum legere licuit, qui in descriptione Italiæ de Viterbo agens, illarum factionum originem, & perniciosos successus ita describit. *Egregios homines multos edidit, qui summa ingeniorum excellentia, principatum vrbis sibi compararunt. Ex his Vici, diu rerum potiti, donec ab Aegydio Carilla Cardinale, ac Legato Ecclesiæ Romanæ, cuius tùm in Gallia sedes erat, pulsi, eo tamen fatis intercepto, rursus ad imperium vrbis peruenerunt, idque dein vsque ad Eugenium IV. Pontificem Max. tenuere. Hoc tempore Franciscus Vicus Vrbis Romæ Præfectus à Patriarcha Vitellesco Pontificalium legionum Imperatore, ac legato confossus Ioannem Gattum in Viterbino Principatu successorem habuit. Ille Principalem filium, qui Roma Viterbum reuersus, impetu inimicorum circumuentus perijt. Ob eius mortem, cum populus tumultuaretur, cædes multæ editæ, plurimaque deiecta ædificia, sed compositis deinde motibus, cessanteque seditione, Ioannes Gattus 2. principatum vrbis suscepit. Is tranquillo iam tum, ac pacato ciuitatis statu circa Alexandrum VI. Pontificem Max. anno à Nat. MCCCCXCVII. cæsus: qua occasione columnæ vrbem ingressi, Magancesios, qui Gattorum erant inimici, magno numero obtruncant, ædes multas diruunt, plurimas diripiunt. Tertio anno post Vrsini, qui Magancesiorum partes tuebantur, Gattos vicissim eijciunt, sæuitumque est tam vehementer, tam nec ætatis, neque sexus habita ratio, tot ædificia flammis, incendioque consumpta, prorsus vt sæua Turcarum barbaries crudelius quidquam, aut immanius designare haud quaquam potuisset. Nec aliter à Gattis dein vicissim occupata vrbe Magancesiorum habitæ partes. Et fatales huiusmodi dies Viterbum sæpius expertum est, adeò quidem, vt nunc maiori propemodum ex parte ruinis deformatum iaceat. Tales nimirum exitiosarum, nefariarumque factionum esse fructus solent.*

Guillelmus ergo Casalensis ordinis Min. Primicerius, vt extermi-

nium

nium ciuitatis auerteret, Albertum ad eos ire iussit, vt quod alibi præclarè pręstabat, Viterbi quoque ciues efficacissima sua dictione, ad pacem, & charitatem concieret. Ille vero diuino doctus oraculo non effundendum esse sermonem, vbi non
Eccl. 32. esset auditus, inter obediendi zelum, & periculorum euidentiam anxius rescripsit, rem eo videri difficiliorem, quę & dictu incredibilis, & factu impossibilis sit, quæque nec tentari sine metu, nec impetrari sine periculo, nec extorqueri sine temeritate possit, quę ipse cuncta manifesta ratione in epistola monstrat, alieno etiam periculo cautus, ac *facile*, inquit, *ero secundus ab eo, qui pro eadem causa fouet in præsentia carceres*. Inde generalem per crucifixam mundi salutem obsecrat, vt eum tanto onere leuet, vel si magis placeret, vt iussione Pontificis, ea res ipsi imperetur, quod facile factu ostendit.

Verebatur prudens Albertus, si Generalis voto satisfaceret, & suam, & ipsius generalis, ac imprimis Christi, & amicorum, ac totius nostræ religionis confusionem, *ne dicam*, inquit, *subuersionem*, ea mala tamen firma, qua pollebat, fiducia Apostolicę potestatis, ob reuerentiam sedis, euitari posse sperabat, si Pontificis authoritas intercederet, adeòque tunc, inquit, accedam lętus, hilaris, alacer, & libens, nec minus flagrabat religiosę obedientię complendę feruore, cum ait, *Si verò solum tibi placet, vt vadam, idque tu mihi rescribere non graueris, ecce modo me ad martyrium quasi proficisci existimans, ire iam pergam, ac tua rescripta in his regionibus præstolans, ad quæcumque tua volet paternitas, me accingam*.

Responsum differebat Guillelmus, eoque crescebat anxietas Alberti inter obediendi affectum, & ingentium periculorum metum angustiati, quem profunda ipsius humilitas ingerebat, per quam se superandę rerum difficultati, imparem esse censebat. Quapropter in eundem sensum iterum, iterumque scripsit, non ad ipsum solummodo Generalem, sed ad Dominicum quoque Pistoriensem, & ad Iacobum Perusinum, qui illi, vt videtur, à latere assistebant: per quę generalis, iusto metu, & euidenti ratione conuictus rescripsit tandem, & inter alia hęc verba; *Te igitur mi Alberte liberum facio ad quascunq; prædicationes sumendas, si tuo desiderio satisfactum iri à me potest. Tecum enim familiariter agere, nostra iam confirmata consuetudo facit, quia neminem mihi magis familiarem inueneram, qui posset vita, moribus, & doctrina Viterbiensis ciuitatis periculis prouidere*.

Verum quia Deo, & bonis hominibus placuit Albertus, necesse fuit, vt noua tentatio probaret illum, & vt nemo propheta in patria sua acceptus est, ita ille alioquin vbicumque absens, ibi desideratissimus, vbicumque præsens non minùs acceptus, & in veneratione habitus, in sola Etruria, quia Tuscus, ęmulos inuenit, etenim amplissima illa libertate, quam Generalis Minister illi concessit, ità vsus, vt pro sequentis Quadragesimæ concionibus, se obligauerit, tum Episcopo, tum ciuibus Cortonæ, apud quos in illo suo crudeli morbo epidemiæ, & longo languore conualescentiæ in tanta cura, & charitate habitus est: sub ipsa nihilominus ferè vigilia quadragesimæ

per

per æmulorum ſtudia nouum, & inopinatum generalis mandatum accepit, quo iubebatur in Lombardiam proficiſci, Regij Lepidi ciuibus per ſacri ieiunij tempus concionatum, atque hic iterum in torculari poſitus eſt, vnum latus premente obediendi zelo, de quo ipſe in altera epiſtola, hac de re ſcripta; *verè tibi fateor, dicere non poſſum dolorem meum, ita enim te ardentiſſimo amore, ab ipſo congreſſu amicitiæ noſtræ complector, vt penè dixerim morior, cum tu aliquid mihi iubes, quod implere nequeam*: alterum enim latus vrgebat neceſſitas ſe excuſandi pluribus, validiſque rationibus, quas in duabus epiſtolis fuſiùs, & fortiter exponit; aduerſas rationes, & æmulorum molitiones, efficaciter diſſipando.

Ac his tandem religioſiſſimis verbis epiſtolam claudit; *vt verò aptius intelligas, me iſta ſcribere, non reſiſtentis animo, ſed impotentis experimento, & conſideratione plura perſpicientis, fugiendique ſcandali cauſa, quod tu ipſe vitari, mea ſententia, à me cupis, hoc tandem finem faciens prædictis adijcio, ſi tibi meis rationibus moto, placet, vt in his regionibus maneam, lætabor, & maximas tibi habebo gratias, ſi autem poſt Paſcha tibi videbitur, vt quouis pergam, paratiſſimum profectò reperies: ſi verò omninò, ac penitus ſententiæ tuæ eſt, vt modo relictis pollicitationibus meis, neglecta famā, ſcandaliſque omnibus poſthabitis, illò accedam, non grauetur tua paternitas itidem mihi cuncta renuntiare, & ego accinctus, quamuis difficillimum iter, quamuis debilis, quamuis rumores exuſcitans, lætus, libenſque proficiſcar; magis enim tibi, cum pro amicitia, tum imprimis pro officio tuo in nos obſequar, quoad vita mihi ſuppeditabit, reliqua omnia parui pendens, quam tuam iuſſionem, tuam authoritatem, tuamq; dulcedinem, quibuslibet rebus, perſonis, temporibus anteponens, quauis incommodorum acerbitate, ac diſpendio deterrebor.*

Per iſta reor, pro ſua virtute, & reuerentia obtinuiſſe ſeruum Dei, vt à Cortonenſibus tunc non recederet, quod ex epiſtolis eius, quæ ſequuntur ſatis colligi poſſe mihi videtur. Intereà verò eodem tempore à Florentinis ciuibus deſiderabatur, vt hoc eodem anno veteris æræ 1430. qua ipſe vtebatur, ſed nouæ noſtræ 1431. quadrageſimali tempore, in maiori ipſorum Eccleſia, ſacris ſermonibus populum erudiret; quod cum ille nec prorſus negaret, nec certo promitteret, ea dilatione pendentes ciuium animi, in contrariam partem conuerſi ſunt. Quam quaſi præcipuæ vrbis incuriam, cum Nicolaus Nicolus Alberto culpæ verteret, reſcribens ipſi Albertus oſtendit, non incuriam, ſed induſtriam fuiſſe; *Si quid*, inquiens, *tibi à me erratum videtur, ſed hoc tantum de meo ſenſu, qui mihi quam cæteris, & quam cæterorum notior eſt, tibi ſinceriſſimè, veriſſimèque renuntio, me ſcilicet, ea tempeſtate bellorum, & acerbitate ciuilis diſſenſionis, ea denique peſtis voracitate, quæ paſſim in dies tuam ciuitatem depopulantur, non magnopere curare, ſi valde opportunum tempus, ad rem agendam impedientibus fortè perditis, vel etiam gaudentibus inuidis, non ſe dedit, Muſica enim in luctu importuna narratio, ſilentque inter arma Annales.*

Erat enim tunc turbatiſſima Florentina

rentina Respublica factionibus Medicœis & Vzanianis, nec aliud inde audiebatur, quam vtriusque factionis ciuium mutuæ præscriptiones, & vincula, pròut alterutra pars alteri præualebat; frequentesque non personarum tantùm, sed ipsius etiam formæ regiminis, & magistratuum mutationes; nec subinde defuerunt etiam arma, quamuis absque sanguine prudenter cohibita. Albertus autem qua pollebat prudentia, & animi moderatione, huiusmodi populares tumultus, & feruentes factiones semper euitabat, differebatq; accessum, dum deferuescerent perturbationes animorum, quibus agitata quæuis multitudo, Christi præconem, quantumuis recta, saluberrimaque suadentem, non aliter excipere, quam phrenetici medicum solent, ac tunc Florentini Medicœum (vt Albertus Viterbiensis illius exemplo didicit) qui ob eandem causam tunc fouebat carceres. Præstolabatur deinde tempus opportunum, & obseruabat morbi symptomata, ex quibus, vt certioribus indicijs, iudicium securius de ægritudine pariter, & remedijs formare posset, vtque ægri ipsi tum priuata sua, tùm communia Reipublicæ pericula ex inualescentibus malis clarius conspicientes tunc sectionem non patienter ferrent modo, sed etiam cupidè peroptarent, atque ita cunctando restituebat rem, quam intempestiuo, temerarioq; aggressu perturbaret magis. *Castigare namque irascentem, & vltro obuiam ire ei, incitare est*, vt loquitur Seneca lib. 3. de ira cap. 40. *Quapropter primam iram*, inquit, *non audebimus oratione mulcere, surda est, & amens, dabimus illi spatium. Remedia in remissionibus prosunt, nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cœtera vitia, dum feruent.* Cap. 39.

CAP. X.

Ex Etruria profectus, regnum Neapolitanum prædicando, & veterum scripta perquirendo perlustrat.

Albertum porro ad annum natiuitatis Domini 1433. in Etruria perstitisse ipse nos docet epist. 22. quam eodem anno 22. Octobris ad Nicolaum Nicolum dans, ità orditur. *Cum essem superiori anno, vrgentibus maiorum iussionibus Neapolim accessurus*: superiorem enim vocat, Initium seu vernum tempus eiusdem anni, quod ipsi suo more præcedentis anni 1432. finis fuit, vsque ad diem 25. Martij, quo præteritum incarnationis annum complebat, neque enim prius poterat orationem de laudibus pœnitentiæ ad Nicolum, vt affirmat, misisse, quam scilicet in capite ieiunij, seu Feria 4. cinerum ad populum Vrbeuetanum habuit, non ergo ante annum nostrum 33. ex Etruria Neapolim accessurus decessit, quo verò id eiusdem anni die, ex eo conijcere possumus, non nisi post pascha fuisse, nam quo loco quis Euangelij præco primam Quadragesimæ sacram concionem habet, eodem reliquas vsq; ad pascha habere, & vsus, & ratio docent. Igitur cum Dominica Paschæ illo anno inciderit in diem 12. Aprilis, debuit non diu post, ex vrbe veteri, ac tota Etruria, per Latium, vt autumo in Campaniam, &

regnum

regnum Neapolitanum abijsse, & sequenti mense Septembris, per Aprutium in Vmbriam reuertisse. Nam Aquilæ in Aprutio prædicasse, B. Capistranus inferius allegandus affirmat, nec alibi inuenio B. Albertum vltrà hanc vicem id regnum adiuisse, & sequenti mense Octobris Albertus ipse alteram Vrbino in Vmbria, vbi corporis aduersa valetudine pressus aliquamdiu substitit, alteram Ferraria 17. sequentis Ian: ad Nicolum dedit epistolam, numero nobis 22. & 25. in quibus pleniorem huius Neapolitanæ profectionis narrationem exponit. In priori quidem se, maiorum vrgentibus iussionibus, Neapolim accessisse, ac tum cum epistolam daret, post reuersionem suam Neapoli, ac reliquo omni eiusdem ciuitatis regno, misisse libellos suos, quos illuc iturus promiserat. In posteriori verò, *De libris*, inquit, *cæterarum prouinciarum, quod quæris, tam magnæ quondam Græciæ, quam totius penè oræ Italicæ, quam multo labore lustrauimus, inciderimusne inter eundum in libros quosdam, veterum tàm Ecclesiæ, quam seculi magistrorum? breuissimè tibi respondeo, nihil ad manus nostras, quamquam diligentissimè quæsiuerimus peruenisse, ne dum vetustatis, quod potuit & diuturnitas, & negligentia aboleuisse, sed ne communium quidem opusculorum, quorum solent, tàm veterum, quàm nouorum referta esse omnia*. Hinc longa threnodia deplorat librorum, & literarum in eo regno olim græcis, & latinis literis, & libris florente non neglectum solùm, sed excidium etiam, & odium, præsertim apud primores, & regij sanguinis viros, *quos*, inquit, *maximè eruditos esse oportere non dubium est*.

Author eiusmodi vestigationis librorum præcipuus fuit Cosmus Primus Medices eo tempore in Rep. Florentina virtute, opibus, & potentia florentissimus, qui, vt Augustinus Florentinus in eius epistolæ notis à nobis citatis tradit, Florentiam, Europamque omnem, omnium librorum doctissima supellectile refersit, adeò vt, eo authore, literarum studia, quasi de integro reparata fuisse, affirmare possimus, idemque author inter eos clarissimos Theologos, qui Cosmi huiusmodi studium iuuerunt, recens & nostrum Albertum, & Bernardum (reor Bernardinum dicere voluisse) nam S. Bernardinum Senensem eandem curam sibi commendatam habuisse indicat Albertus, in ijsdem literis ad Nicolum scriptis, vt & se Ferrariæ vsque ad Pascha moraturum.

CAP. XI.

Antonij Panormitani Hermaphroditum, profanam eloquentiam, luxum vestis muliebris, & vituperatores martyrum voce, & scriptis persequitur.

Ferraria 13. Kal. Maias, post longam illic, & gratam (Deo faciente) communem omnibus ex verbo Dei saluberrimam moram Rhodigium abeuntem molestus quidem ipsi, quantum ad popularis auræ contemptum, turbæ popularis impetus sepiuit, atque inter alios Franciscus Marescalcus, & Philippus Bendedeus, generosi, & pij iuuenes, ipsum extra vrbem comitati sunt. Ij,

vt erant ambo eruditi, cum eo di-ſcutrebant, de inanibus ſui æui ſcri-ptoribus, quibus cum Sanctorum Eccleſiæ virorum ſtudia compararent, iſtos iudicabant veræ ſapientiæ ſato-res, ſententiarum potiùs pondus, quam verborum ſonitus eſſe ſecutos: illos verò contrà, qui ſapientiam pro-fitentur, præter elaborata, turgida, expolita, & emendicata verba, to-tum eſſe inane, ieiunum, exangue, nec neruos, aut lacertos, ne dum Chriſtianos Philoſophicos, ſed nec oratorios quidem habens; quippe, qui nihil præclarum, nihil ſanctum, nihil graue, nihil virile ſcriptitant, quod aut decoris, ideſt honeſti, aut religionis, aut ſapientiæ, aut intenti ad virtutem animi, aliquid afferat; ſed nunc viles cauſas, quod eſt igno-bilis; nunc nullas, quod eſt cauti, vel ignaui; nunc poſtremo turpes, quod eſt corrupti hominis, frequen-ter aſſumunt. Cum hæc non detra-hendo doctrinæ, quam indocti non habent, nec infirmantes eruditorum ſapientiam,qui ſaltem quod neſciunt, à quibuſuis etiam ſtudioſo labore, diſcere non erubeſcunt; ſed ſuper-borum errori condolentes dicerent, in ſceleratiſſimi libelli Hermaphro-diti mentionem inciderunt.

Etenim Antonius Panormitanus, Ouidij Naſonis, & ſimilium poeta-rum obſcænos amores ex Orco re-ſuſcitare niſus eſt, fœdiſſima, & Chriſtiano calamo, menteque dede-centiſſima opella, quam Herma-phroditum prænotauit, duobus epi-grammatum libellis diſtincta, per quam euidenti corrumpendæ iuuen-tutis periculo, eos ad obſcænitatis ipſa facta prouocat, & orat propoſitis Ethnicorum exemplis, vt tumulo ſuo nefanda libidine litent, laſciuiæ claſ-ſicum canens, ſuumque libellum per genij ſui miniſtros clanculum diſ-ſeminabat, maiorique imprudentia ad Coſmum Medicæum inſcripſit, & Chriſtianum Principem melio-riſque literaturæ tunc Mœcenatem, & ſingulatem promotorem, Ethnicæ ſuæ turpitudinis patronum aduoca-uit.

Eum etiam ad Poggium miſit, & hic reſpondens miratur, in eo ita ex-primi multa turpiuſcula, vt non enar-rari, ſed agi viderentur; nec ficta io-candi cauſa, ſed acta exiſtimari poſ-ſent, pro charitateque ſua monet au-thorem, vt grauiora quædam dein-ceps meditetur, & miſſa facta laſci-uia, res ſerias deſcribat, *ne*, inquit, *arguatur vita impura libelli obſcæ-nitate*, ſed ſurdo cecinit, nam ille prolixam elegiam, eamque impuriſ-ſimam, perfricta fronte remiſit, quam hoc diſtico orſus eſt, quod ali-quoties repetitum velut intercalare carmen pertinax in malo commiſcet.

Deſine me placida verbis abducere terra,
Deſine me Domina diſſociare mea.

Sed hæc ſeriò an ioco per Anto-nium ſcripta fuerint, certè petram ſcandali, & grandem offenſionis la-pidem, in medium proieciſſe, pij omnes, & verè ſapientes indolue-runt.

Ex his aliqui bono publico, pri-uatæque honeſtati conſulentes, Al-bertum noſtrum interpellarunt, vt qua præditus erat eruditionis præ-ſtantia, quoque fungebatur Euan-gelici præconis officio, tanto malo iam tum ſerpenti, remedium affer-ret. Concepit ille ſcribendi propoſi-tum, ſed quoniam per continuum prædicandi laborem, & ſuccedentia Pontificiæ iuſſionis gtauiora mu-

nera,

nera, rem integram præstare, imo inchoatam prosequi, non vacabat: duabus saltem epistolis, altera ad Franciscum Marescalcum, & Philippum Benededeum, altera ad Christophorum Arimini Episcopum, ita rei turpitudinem, scribentis stultitiam, procacitatem, putidam linguam, luxuriæ fœditatem, imprudentiam, aliaque eiusmodi perstrinxit, vt ad sceleratissimi libelli fugam, odium, & execrationem, satis scripsisse visus sit, præterquam quod, vt ipse scribit, in tot iam Italiæ ciuitatibus abominanda hæc linguâ respuere, & delere conatus sit.

Aliud irritamentum lasciuiæ tunc erat (& vtinam hodie non esset) luxus mundi muliebris nobilium fœminarum, præter cætera, plus panni in caudis togarum, quas verrendo pulueri, per terram trahebant, quam reliquo pene vestitu vsurpantium, vt pauonibus, quam puellis magis assimilari possent, ac domos suas inutili sumptuum profusione grauabant, qui in meliores vsus impendi possent, & sæpius deberent. Cœpit hic abusus, vel maximè viguit Ferrariæ, atque in alijs ditionibns Principum Estensium, & magna morum insolentia, per alia Lombardiæ loca diffundebatur. Quæ loca cum B. Alberti, vt ipse refert, admonitione, hoc facinore abstinendo tùm consueuerunt, securim ad radicem ponendam censuit, vt vnde luxus exemplum fluxit, ibi remedium fortius opponeretur. Author ergo ipse fuit, vt Nicolaus III. Estensis legem caudariam conderet, publico edicto, sub pœnarum districtione præcipiens, vt fœminæ suarum ditionum omnes sublatis è medio togarum caudis, modestius deinceps, ornarentur.

At cum Patauij postea prædicaret Albertus, rumor ad eum delatus est, Nicolaum rogantibus maritis mulierum abrogasse legem; quamquam alij dicerent, tanta constantia Principem in sententia perstitisse, vt quantumlibet nobilibus viris, pro fœminis suadentibus, non iam amplius mulierum supplicantium molestias ferre valentem, & viris, & mulieribus aduersantibus respondisse: si quæ est mulier, quæ se malam haberi velit, aut si quis est maritus, qui malit scortum suam coniugem, quam vxorem putari, ijs dumtaxat caudas ferre concedimus, cęteras verò, & graues, & honestas matronas portare caudas prohibemus, etiam edicto publico, quas etiam statutæ iam per nos pœnæ subijci volumus, si secus, quam statuerimus facere ausæ fuerint.

Parabat eo tempore libellum in vestium vanitatem; sed cum hæc accepisset, quotidiana prædicatione præpeditus, nondum tunc absoluit, quapropter Nicolao Principe in sacris peregrinationibus absente, breuiorem epistolam scripsit Leonello eius filio, per quam secundi decreti dignitatem collaudat, & primum vt reuocaret grauissimis, & religionis, & politices rationibus enixè dissuadet: quoniam neque populi, nec sui ipsius, nec Principum interesset, vel decoris, vel famæ. Hæc, & alia quędam ad Poggium quidem anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo: ad alios quarto post anno scripsit Albertus.

Dum interea consuetum prædicandi munus, per Italiam prosequeretur anno 1435. percepit, malefe-riatos quosdam, & nefarios homines, in Christi Martyres, eos præsertim insolentius garrire qui vltro se

discrimini mortis, pro Christiana religione, vel tuenda, vel propaganda obijciebant, & ex Apostoli Pauli mandato prædicabant verbum, instabant opportunè, importunè, & vel hæreses quaslibet, vel spurcissima Mahometi placita arguebant, increpabant in omni patientia, & doctrina, vel magni Ignatij exemplo, aliorumque multorum, quos Ecclesia Dei gloriosos, & Beatos prædicat, qui non venienti tortori, vim faciebant, sesèque vt à bestijs deuorarentur, vrgebant; hosque nec martyrum honore, nec cœlo dignos, sed insanos, & perditos homines, suiq; ipsorum parricidas, & orco destinatos dictitare, & maledica lingua proscindere.

Qua re cognita Albertus, vt erat Ecclesiæ honestatis, & Martyrum gloriæ zelantissimus, vt ipse fatetur, excanduit, atque hanc vecordiam, & Ecclesiæ, quæ tales colit, iustam æstimationem, & martyribus emeritam gloriam detrahi, & ab ipso martyrio, maximo charitatis opere, & heroica virtute, homines deterreri posse perpendens, constituit oblatratores eiusmodi pleno scripto compescere, sed quia crimen ad Pontificis correctionem pertinere videbatur, & ipse ad S. Sedis obsequia iam tunc mancipatus erat, literas ad Eugenium dedit, quibus improborum hominum perfidiam deplorat, suumq; scribendi propositum, & designati operis dispositionem, perficiendique impedimenta exponit: martyrum iniuriam detegit, eaque breuitate vlciscitur, quam non opus integrum, sed operis argumentum, & præfationis cuiusdam angustiæ permittebant, orauitq; obedientię Pontificię facultatem, & meritum ad prosequendum.

CAP. XII.

Ad Eugenij Pont. obsequia segregatus quid prima legatione fecerit.

CVM Eugenius Pontifex anno 1431. magnanimis consilijs, multa, & Pontificia solicitudine dignissima, ad communem Ecclesiæ splendorem animo versaret, Fratribus Franciscanis regularis obseruantiæ professoribus Bononię tunc ad comitia sua conuenientibus, iussit, (9) *vt è sua familia segregarent sex viros* vitæ innocentia conspicuos, opere, & sermone efficaces, & ad res gerendas idoneos, eosque nullo ordinis officio implicarent, quo minus expediti forent, cum ad ipsius Pontificis mandata facienda vocarentur, inter hos non infimo loco designatus fuit B. Albertus: is vero interea, dum vocaretur, consuetis per Italiam prędicandi laboribus, insistens, cum quod iam diximus anno 1435. se aduersus martyrum vituperatores, scribendo occupare voluisset, Pontificis licentiam ad id faciendum, per literas petijt.

Sed premebat Eugenium alia cogitatio, Orientis schismaticos ad Ecclesię Romanę vnionem, fidemque reducendi, nec alius ad rem disponendam aptior Alberto visus est, quod pręter alias virtutes, gręcorum linguam apprimè calleret. Iussit ergo Pontifex è sex illis viris, quos ad eius mandata segregatos diximus, Albertum Ierosolymas proficisci, vbi nationes omnes Orientales diuersorum rituum Gręci, Armeni, Syri, Abissini, Cophti, Nestoriani, Maronitę, Iberi, seu Georgiani, Iacobitę, Indiani,

diani, Christiani omnes, quantumuis pręter Maronitas schismatici, Monachorum, & Sacerdotum collegia, & eam, quam poterant, Ecclesiastici regiminis formam habebant, à quibus totius Orientis status, & religionis constitutio facile disci poterat, & eisdem suaderi Catholica veritas, vt eas omnes, quantum fieri posset, ad vnionem cum Ecclesia Latina perurgeret, sed eo loco, & consessu stabiliendam, quo Pontifex ipse designaret.

Dum Albertus Bononię mense Iunij, de his rebus cum Pontifice tractaret, rogauit eum, vt ad tollendos fratrum obseruantum scrupulos, & anxietates, declarare vellet, an iuxta ipsorum institutum, liceret eis, vti templorum argentea supellectili, quam vel fidelium pietas offerebat nouis domicilijs à se constructis, aut ipsis amplioribus cœnobijs, quæ à conuentualibus ad ipsos transferebantur, vel simili supellectile in eis reperta, retulitque Pontificis oraculum, quod nos per Alberti epistolam ordini intimatum, inter eius opera proferemus; ex quo clare constat, quod ante diximus, non multum esse potuisse, quod Poggius sibi subtractum indolebat, & propter quod accusabat seruos Dei, quod non in solitudine, sed in summa hominum frequentia, in locis deliciosis, amænis, iucundis, voluptuosis, sese immiscerent, dum rectius ponderare posset, pauperes non, quibus abstinebant, delitias, sed circumiacentium populorum vtilitatem, & animarum salutem quæsiuisse. Imo verò populos tam sanctos, & salubres animarum directores vltro vocasse, & habitationi opportuna loca obtulisse illis, quorum illa, quæ Euangelicæ paupertati dissona timebant, absque Pontificia declaratione accipere, vel retinere horrebant.

Ipse Albertus sub anni finem peruenit Ierosolymam, & rebus vtcumque cognitis, die 13. Martij sequentis anni 1436. Fr. Ludouicum Bononiensem, virum probum, qui per multos annos Ierosolymis habitauit, ad Pontificem remisit, vt illorum locorum statum præsens exponeret, & remedium referret multorum, qui irrepserunt, abusuum, ac sibi Alberto quædam itineri ad Orientales necessaria postularet, scriptis eodem die literis, ad Scipionem Episcopum Mutinensem, in quibus ludendo, primum eleganter monet, ne Scipionis Africani factis, quibus delectari videbatur Episcopus, vel legendis, vel memorandis tempus terat, & clarè monstrat in Machabæorum, & alijs sacris historijs, præclariora facinora reperiri, quibus Christianos magis delectari decet: illosq; maledicos, & fœdos eloquentes, de quibus ante diximus, detestatur. Ad rem deinde rogat, vt Fr. Ludouicum ad Pontificis alloquium introducat, & ipse commendata negotia Christianæ Reip. apud Eugenium vrgeat.

Arbitror Albertum, cum Ierosolymitanis Orientalium nationum hominibus, ita negotium vnionis disposuisse, vt opportunum iudicasset, ad ipsorum capita, Principes, & Prælatos progredi, atque petijsse, vt Pontifex necessaria expeditionis instrumenta, & vlteriores instructiones mitteret, atque adeo id causæ Christianæ Reip. quod propter Saracenos literis commendandum non fuit, per Fr. Ludouicum, oretenùs referendum commisisse, & Scipioni Epi-

Episcopo apud Pontificem vrgendum, commendasse, id quod mihi colligere videor ex literis Abbatis Ierosolymitani super Aethiopibus Ierosolymæ commorantibus, in quibus ad Eugenium Pontificem sic scribit. *Cum ad nos deuenerunt Nuntij tui* (Albertus, & socij) *ob causam fidei, magnam ex eis consolationem accepimus, quam hactenus valde cupiebamus, vt tandem omnes vnum simus sicut Paulus dicit, Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: hæc verò res, cum ad regem nostrum peruenerit, maximæ lætitiæ futura est. Nam admodum cupit, vt omnes in vnam fidem pariter vniantur.* Quod cum Albertus percepisset ad Regem pergere voluit, sed Pontifici melius visum, vt non tam citò pergeret, dum Græcos prius præsentes haberet, quorum exemplo reliquæ nationes facilius traherentur, nam his adductis, Albertus ad reliquos postea, ex ipso concilio missus est,

Accidit interea Ierosolymis, vt duo ex nostris Religiosis Antonius, & Lucas diuino, vt creditur, afflatu, pro martyrij fructu carpendo, impetum in hostilia castra, seu Saracenorum turmas fortiter, & ingenti animo fecissent, Christi Redemptoris gloriæ, sanguine suo, testimoninm laturi, ob quam causam carceribus inclusi, diris cruciatibus afficiebantur, quo tempore Albertus Bethlemij morabatur, & vt Pater, & Pastor debuit 10. Octobris eos per literas consolatus est, & solidis rationibus, in perferendis pro Christo cruciatibus, confirmauit, factum laudat, constantiam suadet, omnia eo sensu, quo ipsum prius ad Eugenium Pont. aduersus martyrum vituperatores, scripsisse diximus, omniaque eo ferme modo quo S. Cyprianus ad martyres, & confessores, at non laudando solum, vt ille, sed etiam suadendo, & fortiter inculcando perseuerantiam.

Denique Christum ipse secutus, vt animam suam poneret pro ouibus suis. *Quod si*, inquit, *viua præsentia meæ paruitatis vobis est necessaria, ego ad vos, mundo resistente, medios inter gladios, conuolo: non enim me vetat metus, sed ne incenso iam igni, qui vel carnales, vel impios cruciat, oleum adiecisse blasphemer: maxime vobis fortiter, & inconcusso corde perseuerantibus:* hisq; verbis epistolam claudit: *Valete dilectissimi Christi testes, & dignissimi confessores, & inter catenas, & fustes, mei nominis memores estote, vt Christi pietas, socium me vobis faciat pęnæ, quem fecit comitem desiderij.* Quod quam constans, quam sincerum, & ardens in hoc Beato Christi confessore fuerit, ex hac ipsa epistola, & altera ad Eugenium, aduersus martyrum vituperatores, atq; nostris in vtramque notis, clarissimè liquet. Epist. 41.

Mansit ergo Albertus Ierosolymę, & in alijs circumiacentibus locis annum circiter vnum, iuxta tempus illi per Eugenium Pont. constitutum; Rebus autem Pontificem inter, & Græcos stabilitis, in Cyprum descendit, atque indè è portu Salinarum anchoris Nona die Iulij solutis fœlici nauigatione anno 1437. Rhodo Venetias appulit die 21. Augusti descensione facta, vix non è naui ad pulpitum raptus est, tanto desiderio vbique exoptabatur, tanto studio retentus. Etenim Beati Antistitis Laurentij Iustiniani diligentia, & amor ciuium egregiæ vrbis Vene-

tiarum,

tiarum, illum inde abire non patiebantur, nisi primum iuxta Apostolum, aliquid gratiæ spiritualis ipsis impertiret. In eo munere occupatus, hæc ipsa ad suæ scribendi tarditatis excusationem Francisco Marescalco rescripsit 7. Id. Septembris, *nisi me*, inquiens, *labor dicendi ad populum euocaret, longiorem epistolam texerem*. Ante hanc aliam itidem Venetijs epistolam scripsit, Pridie Nonas Septembris, ad Thomasium Bibium Cypri Regis medicum, in qua statum illius regni, & aulæ mores deplorat, & graphicè describit ea, quæ præsagiuit, quæq; eiusdem regni, & Catholicæ religionis decremento re ipsa euenerunt, adeòque Bibio sincerè suadet, vt imminentibus periculis se abripiat, & in Italiam portum ab ijs malis securum se conferat.

Epist. 46.

Quanto porro tempore tum Venetijs commoratus fuerit, mihi hactenus incompertum est. At id certum tum Vvaddingi testimonio, tum ex ipsius B. Viri epistola XLVIII. ad Episcopum Ariminensem, absque loci, vel temporis designatione scripta, ipsum inde Bononiam ad Pontificem accitum fuisse, vel ipso mense Septembri, vel aliquamdiu posterius, ibique in Christi Euangelio ad populum quotidie declamando, pro more insudasse, nec alibi ipsum versatum reperio, vsque ad inchoatum Ferrariæ sacrum concilium œcumenicum, quod postea Florentinum dictum est, vel etiam vsque ad accessum Græcorum. Illi verò missis ab Eugenio Pontifice triremibus, & honorarijs legatis, qui Ioannem Palæologum Imperatorem, & Iosephum Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque ipsorum sectæ prælatos conducerent, Venetijs primùm appulerunt Nona die Februarij anno veteris computus 1437. sed nostri 8. (quo etiam Albertus inter alios obuiam illis iuit) ac inde 4. Martij Ferrariam ingressi sunt, vbi concilium iam ante inchoatum fuit, quod mense inde duodecimo pestis Ferrariæ suspicio, Florentiam pepulit, quod & Albertus illuc secutus est.

Ibi tunc, seu potius post alterum Alberti ex Oriente reditum, iucundum accidit, quod his ijsdem verbis, pro concione retulit, & scriptum reliquit Bernardinus de Bustis: *Cum B. Fr. noster Albertus de Sarthiano reuersus de partibus Saracenorum, vnde reduxerat vnum Christianum renegatum à Chairo, qui per 40. annos fuerat Saracenus, & à Beato prædicto conuersus, venerat ad Summum Pontificem, & ab illo fuerat ad pœnitentiam receptus, prædicante semel ipso Alberto coram Pontifice in Ecclesia S. Crucis Florentiæ, vbi tunc erat, & multa dicente de veritate fidei Catholicæ fleuit quasi semper ille qui fuerat Saracenus in prædicatione, & postea interrogatus de causa, dixit, quod fleuit duplici respectu, scilicet propter calamitatem Saracenorum, & ingratitudinem Christianorum, quia si illa prædicatio facta fuisset, in medio Chairi, vel Damasci, & illi infideles intellexissent linguam, de centum millibus octuaginta sex millia conuersa fuissent.*

Hunc ego non dubito fuisse Nicolaum de Conti Venetum, cui Eugenius Pontifex pro Apostasiæ pœnitentia iniunxit, vt suæ peregrinationis integram, veramque relationem traderet Poggio Florentino, Pontifici tunc à secretis, quod ille fecit, & Poggius latino calamo excepit,

in

in linguam Luſitanam poſtea tranſlatam, & typis expreſſam, inde in Italieam conuertit Ramuſius, & ſuo nauigationum, & itinerum primo volumini inſeruit fol. 374. vbi in diſcurſu à ſe præfixo aliquam perſonæ Nicolai notitiam tradit. Cœtera ipſe Nicolaus tradit in diſcurſu narrationis, & Poggius in fine approbat.

CAP. XIII.

Secundæ Legationis acta.

SED in finem Florentiæ perſiſtere non licuit Alberto: abſoluto namque & in publica concilij Florentini ſeſſione Pridie Non. Iulij anno 1439. lecto Græcorum vnionis diplomate, & Armenis, vel proximè aduenientibus, vel eodem tempore in Italiam appulſis, ducentibus Fr. Iacobo Primaditio, altero Eugenij Pontificis Vicario, & Fr. Blaſio interprete, ex eodem cum cæteris obſeruantiæ inſtituto Minoritis; Albertus eodem menſe, Pontificis imperio, ad S. Ciuitatem, Copthos, Aethiopes, Indos, aliaſque Orientis nationes, maturius nunc pro rerum conditione, quam prius proficiſci iam ſecundo iuſſus eſt, cum literis, quibus Eugenius Pontifex Thomam Indorum, & Ioannem, quem Presbyterum vulgo vocant, Aetiopum Imperatores Copthoſque per Aegyptum, Syriam, Paleſtinam, & Aethiopiam diſperſos, propoſitis exemplis Palæologi Imperatoris, & Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, & Ieroſolymitani Patriarcharum, Trapezontini quoque Imperatoris, ac Hiberorum, Ruthenorumque, & Valachorum Metropolitarum, qui vel in proprijs perſonis, vel miſſis legatis vnionem, & fidem Romanæ Eccleſiæ, & ipſius Summi Pontificis obedientiam, poſt maturam rerum diſcuſſionem, libenti animo in ſacra Florentina Synodo ſuſceperunt, & Armenorum, qui id ipſum iam facturi erant, ad eandem œcumenieam Synodum, vnionem, obedientiam, & fidem inuitauit.

Dedit etiam Pontifex Alberto alias literas, in quibus rei conficiendæ munus illi confert, eumque in partibus Orientis, Indiæ, Aethiopiæ, Aegypti, & Ieruſalem Commiſſarium ſuum conſtituit, & quod ad ſui ordinis religioſos attinet, omnem illi, & aliis, quos pro tempore ſibi ſubſtituendos iudicaret, eandem poteſtatem tribuit, quam Generalis ordinis Miniſter, ſi in ijs partibus perſonaliter adeſſet, in illarum partium conuentus, & perſonas conuentuum, atque in confraternitatibus, ſocietatibus, ac tertij ordinis S. Franciſci ſodalitatibus erigendis, & gubernandis, exercere poſſet. Nec non fratribus, de quibus ipſi, & ſubſtitutis videretur, vt ad partes prædictas vadant, qui etiam ipſi, & illis obedire teneantur, præcipiendi, & mandandi, ipſos ad alias mundi partes cum authoritate, & facultatibus prædictis, dirigendi; Notarios etiam ad actus publicos, in fauorem fidei conſcribendos, creandi, & inſtituendi: quodque ipſe Albertus, & qui pro tempore fuerit ſubſtitutus, ſeu per aliquem ipſorum deputatus, ſuper omnia monaſteria, curæ fratrum Minorum in dictis partibus eatenus commiſſa, vel committenda, eandem poteſtatem habeant, quam Generalis ipſius ordinis miniſter habere

bere dignoſcitur, ſic tamen vt & ipſe, & ſubſtituti, & illis ſubiecti fratres, dicto generali per omnia obedire, & ſubeſſe teneantur datis Florentiæ anno 1439. 2. Kal. Septembris, præter multas, & magnas facultates, & priuilegia, Sacramenta miniſtrandi, prædicandi, in cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis diſpenſandi, & abſoluendi, ordinem ſuum propagandi, & cęnobia fundandi, quæ amplius diploma in annalibus noſtris editum copiosè comprehendit.

Inter ſocios per Albertum electos (quos aliqui quadraginta numero fuiſſe referunt) præcipui nominantur, Baptiſta Leuantinus poſtea Vicarius generalis obſeruantum, Bartholomæus à Pelacane Florentinus, ac Thomas etiam Florentinus, mira ſanctitate, & pluribus miraculis clarus; ijs ergo comitibus, & mandatis, ac authographo diplomatis vnionis Græcorum, quod vbique promulgaret, inſtructus Albertus Venetijs in fine anni 1439. vel initio ſequentis, in Cretam nauigans, vbi Candiæ Kal. Martij epiſtolam ad Mathæum Bizarrum dedit, proſpero itinere peruenit Ieroſolymas, ibique Copthis, quibus altera vice notus erat, & poſtea in Aegypto, Philotheo Patriarchę Alexandrino, ac totius Aegypti, Græcorum vnionis, in concilio fęliciter initæ, diploma græcè, & latinè exaratum oſtendit, & Eugenij Pont. literas ad ipſos directas tradidit, ab eiſdem viciſſim reuerenter exceptus, & in reliquo itinere multis beneficijs deuinctus eſt, tum nouæ vnionis negotio prudenter compoſito (10) *iter ſuum in Aegyptum direxit*, vt Sultani Babiloniæ placitum, & ſaluum conductum obtineret, ſine quibus ad Aethiopes, Indoſue penetrare non permitterent Saraceni.

Cairum appulſus B. Vir, & ad Sultani alloquium admiſſus, expoſuit ea, quæ cupiebat. Sultanus ipſius præſentia, & facundo ſermone valde delectatus, ipſum per plures dies honorificè habitum, in curia detinuit, & ad familiare colloquium ſæpe vocauit, ſed fœdus contra ſe cum Chriſtianis Orientalibus ſanciri timens ad Indos, vel Aetiopes tranſire non conceſſit. Inter colloquendum ſermo aliquando de Chriſtiana religione, & Mahometana perfidia mixtus eſt. Vocauit ergo Saracenus ſuæ legis doctores, & cum illis concertandi facultatem Alberto largitus eſt. At cum Seruus Chriſti Chriſtianæ fidei dogmata clarè tutaretur, & fortiter comprobaſſet, atque in Mahometicæ credulitatis præſtigias acrius inueheretur, commotis doctoribus, & plebe Sultanus legis ſuæ zelum oſtentans, illum, vt Prophetæ conuiciatorem è medio tolli iuſſit, & iuxta legem Saracenorum occidi: certoque ſic fieret, magno lucro, & gaudio Beati Alberti, ſi Chriſtiani Catholici, qui Cayri degebant, inito (11) *cum Mamalucbis* conſilio Sultanum per preces, & munera non placauiſſent, & maximum Chriſtianæ fidei detrimentum non præueniſſent (12) *etſi dolente, & contradicente Alberto*; quod ſe per martyrium Deo magis obſecuturum impedirent. Sultanus ergo, qui placere populo, magis quam tanti, ſibique grati hoſpitis necem ſe voluiſſe indicabat, Albertum irritata capitis ſententia, ad ſe venire iuſſit, benignè excepit, amplamque illi facultatem conceſſit, Aegyptum, Paleſtinam, & Syriam peragrandi (quod eius prædeceſſorem S. Franciſco olim conceſſiſſe

proditur) interdicto tamen Alberto, ne ad Aethiopes, Indosue progrederetur, quorum arma contra se allaturum timebat, ad Sanctam Ciuitatem ex eius manibus eripiendam.

Est per illas prouincias dispersa gens hominum Christianorum, qui Iacobini, & Iacobitæ vocantur, in ciuilibus acephala, sed in Ecclesiasticis suum ipsi quoque Patriarcham habent, ad quem etiam se literas per Oratorem dedisse, Pontifex in ipso vnionis eorum decreto narrat, quas nos num. epistolarum 61. descripsimus. Cum his ergo Albertus interea sibi agendum censuit, egitque tam solerter, vt Ioannes ipsorum Patrtarcha, & alii sacram vnionem non amplecterentur solum, sed etiam exoptarent.

Sacra vnione inter Ecclesiam Romanam, & Iacobitas sic vtrimque accepta, B. Albertus percupiens, vt sua legatio ad Eugenii Pontificis votum, Indis etiam, & Aethiopibus adducendis omni ex parte compleretur, libertate per Sultanum ipsi concessa vsus est, ipsiusque salui conductus diplomate munitus, Syriam, Palęstinam, aliasque Sultani ditiones, lustrandi prætextu, ex Aegypto recessit, vbi verò ad Saracenorum fines peruenit, terminum sibi à Tyranno statutum transiliuit, Pontificis Maximi mandatis Barbari minas, & sua sociorumque pericula postponens, cum illis, in Græcorum terras conuolauit, & Constantinopolim, si non vltra, peruenit: vt inde per Tanaim nauigantes, in Persiam profecti, per sinum Persicum, aut mare rubrum descenderent, vbi Indi inferius à sinistris, & Aethiopes à dextris sunt, & nostri legatione sua, pro Pontificis desiderio, apud vtrosque fungerentur. Tam immenso circuitu opus erat Alberto, vt Sultani furorem euaderet, qui illi certò imminebat, si ex ipsa Aegypto per proximam Thebaidem in contiguam Aethiopiam, atque inde in vicinam Indiam breuiore quidem, sed minime tuto, & sibi, ac sociis interdicto itinere, profectionem attentassent. Sed tantus erat ardor B. Legati ad obsequia Catholicæ Religionis, & Eugenii Pont. mandata promouenda, vt orbem vniuersum circuire mallet, quam vt ad vllum commodum suum, vel ad euitandum incommodum, ab incepto resiliret.

At dum iter per Persicum illud mare cum sociis prosequi pararet, inscrutabili prouidentia Dei, quæ in sui dispositione non fallitur, factum est, vt Albertus ipse graui morbo percussus mutasset sententiam. Non ideò tamen à proposito, per alios saltem promouendo, destitit; nam per illas viarum ambages è sociis imprimis præmisit Thomam Florentinum, Virum sanctissimum cum tribus aliis sociis, quorum nomina non exprimuntur. Sed quamquam diu præstolatus, cum ex illis nil rescire posset, meritò suspicatus, quod fuit, eos nempe, si non trucidatos, Turcarum certè carceribus, & catenis detentos fuisse; tum ipse cæteros socios, ad hoc sibi reseruatos, quando per morbum liceret, quoquo modo, quaqua via, ad Aethiopes, Indosue perducere. Dum autem hæc animo versaret, dubitare cœpit, an ipse cum eis proficisci deberet, an potius, vt eis cum authoritate dimissis, ipse ad Iacobitas, in Aegyptum rediret. Profectionem enim suadebat percupita integritas impositæ legationis, cui adhuc tùm defuit Indorum, vlteriorumque

rumque Aethiopum conciliatio, in Eugenii Pontificis literis expressè commissa: quam Seruus Dei, per se ipsum efficacius, celeriusque fieri posse cognouit: plus enim plerumq; efficit præcipui oratoris præsens authoritas, quam interpretum, & internunciorum reliqua industria, studiaque.

Sed ad regressum fortiùs vrgebant, imprimis recidiui morbi periculum, à quo nondum tunc integrè conualuit, & quo res in longum iret, vel secutura ipsius mors, per quam tota legatio corrueret: propter quæ consultius illi visum est, vt ipse ad Iacobitas in Aegyptum rediret, quorum iam certus erat, quam vt iis quasi relictis, dubium, & laboribus, periculisque plenum Indorum accessum, & conuersionem expectaret: ac duos, vt aiunt, lepores eodem tempore sectans, perderet vtrumque. Nam Indis nondum acquisitis, Aegyptij ipsi, vel mali spiritus instinctu, vel moræ tœdio affecti, mutato consilio à bene inceptis tergiuersari possent. Accessit etiam quod facultatum, per Pontificem Alberto concessarum, hæc vna fuerit, vt cum socios in varias partes delegaret, ipse tunc eas sibi reseruaret, ex quibus maior spes concludendæ vnionis affulgeret: quod solum Pontificis præscriptum omnem dubitandi rationem è medio sustulit. (13) *Abeuntibus ergo secundis his socijs* per vias illis à viro Dei designatas, ipse compacta necessariarum rerum sarcina, eaque suis humeris imposita pedestri itinere, sine socio in Aegyptum, Deo Duce, contendit.

(14) *Accidit autem* in hoc eius regressu in Aegyptum, vt per crudeles Turcarum nationes, & vastissimam solitudinem (perâ omni comeatu exhausta) per biduum, triduumue nihil corporalis alimoniæ gustauerit: per eamque inediam, viribus destitutus, nec viam carpere, nec pedibus consistere potuerit. Ergo humi sedens, & oculos per immensum, & vndique patens desertum, circumquaque proijciens, cum nihil humanæ opis, sibi ad salutem superesse videret, spem omnem suam firma, & familiari quadam fiducia, in solum Deum conijciens, hac fere vel non absimili verborum formula, Diuinum eius auxilium implorasse fertur: Protector noster aspice Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui populum multum, per annos quadraginta in his desertis pauisti, respice in faciem Christi tui; ipse enim est qui famulo tuo Patri nostro Francisco promisit, res tolerandæ vitæ necessarias, fratribus eius nunquam defuturas, & en ego solus hic fame consumor, Domine miserere. Hinc preces ad filium vertens, aiebat: O æterni Patris coæterne Fili Domine mi Iesu Christe an me non agnoscis Eugenii Pontificis, tuique in terris Vicarii Ministrum, vt me solum in hac Eremo præ fame contabescere sinas? Adesto Domine, vt eiusdem Vicarii tui mandata perficere, & infelices animas ab hæresi, schismate, & infidelitate reducere, & ad Sacram Synodum, in tuo nomine congregatam, & Ecclesiæ vniuersalis communionem conducere valeam, ea quoque causa sociorum solatio me ipsum priuaui, & calamitosi huius itineris pericula non inuitus adiui. Recordare Domine, quod amore tui sæculum reliquerim, & cum eo temporale dominium, & nunc pro liberandis animabus, pretioso

tuo sanguine redemptis, seruus factus sum. Adiuua me Deus salutaris meus, quod si non feceris, sed me in deserto fame perire patieris, causam hanc omnem apud tuum Patrem in te ipsum conijciam.

Dum talia soliloquus vix absoluisset Albertus, statim illi adstitit pulcherrimus iuuenis, eumque Italica lingua salutauit, & continenter sciscitatus est, quis esset, quo, & qua causa iter haberet? cur ibi subsisteret? tum accepto ad singula responso cibos optimos, potumque porrexit, & ad comedendum inuitauit. Albertus autem ex auditis visisque attonitus, cum cibum sumeret, & gratias largitori redderet, viribus restitutis, integrè conualuit, & cœlestis illius iuuenis aspectu, & contemplatione multo magis recreatus est. Iuuenis interea serui sui humerum, manu leuiter percutiens. Ego sum, inquit, qui seruo meo Francisco promisi, necessarium corporis nutrimentum ipsius fratribus numquam defuturum, & quod ad præsens attinet, tu perge alacriter. Quibus dictis disparuit: & Albertus per plures dies ambulauit in fortitudine cibi illius. Finem autem, & fructus illius itineris ex ipsius Alberti ad Eugenium Pontificem literis disce, vt sequitur.

E Cypro Rhodum appulsus Pridie Non. Octob. ac baiulum literarum adeptus, inde ad Eugenium Pontificem scripsit Kalendis Decembris, posteaquã quatuor circiter mensium tempore legatione sua in Palestina, & Aegypto fœliciter functus est, pro cuius miro, vt ait, exitu, & spe non inani, maximorum bonorum inde prouenturorum Deo imprimis authori gratias agit, & refert se Fr. Dominicum Senensem cum aliis Cayro ad Pontificem præmisisse, atque secum nunc per Cyprum nauigio Rhodum venisse solemnem legationem magni Patriarchæ Iacobitarum, quæ Aethiopiæ quoque Regem comprehendebat, cuius legationis caput erat Andreas, vetustissimi monasterii Sanctorum Antonii, & Pauli, primorum Eremitarum præfectus, centum & amplius Monachorum Abbas: quem, inquit, magno cum periculo, præ rabie Saracenorum, vix tandem ex Cayro, veluti ex ferrea fornace Aegypti, & tamquam prædam ex ore immanis eripuimus belluæ, tum hominis singularem fidei, & optatæ vnionis zelum exponit, tamquam qui solus inter omnes, veniendi laborem, & discrimen arripere ausus fuerit, inter pericula ingrediendi ad Saracenos, & difficultatem egrediendi, & laborem inter eos latendi: quæ & Albertum secum sustinuisse, ipse etiam Abbas in oratione, quam postea ad Pontificem Florentiæ habuit, palàm testatus est.

Hinc ex Iacobitarum relatu, atque imprimis Patriarchæ tantam Aethiopiæ Regis potentiam describit, vt omnis ei obiecta reliquorum, tunc imperantium Monarchia, Tribunitiæ potestatis nomina sortiantur; nisi, inquit, quæ de illo à suis referuntur, fabulæ sint, & vana iactantia, quem & ipsum Patriarcha ille suus centum Regum vocat Imperatorem, è quibus tredecim Paganorũ Deo, & sibi Marte subiecerit. Denique ob summum metum Saracenorum, Cayri constitutum fuisse, vt Abbate cum Alberto ipso proficiscente, ne scilicet tota cohors simul Saracenis conspicua foret, & negotium fidei illis proderetur: reliqua omnis societas, in duas

diuisa

diuisa partes, duabus viis, ad ipsos Rhodum conuenirent; altera nimirum, hoc est, sex Monachi ex Aethiopia ipsa per iter Ierosolymitanum, & altera totidem ex Aegypto per Cyprum. Illos autem vi ventorum in Cretam traiectos esse, atque vtrorumque expectationem fuisse causam tarditatis, præclaræ legationis ad Pontificem, & Concilium accessus.

Dum totius societatis adiunctionem Rhodi præstolaretur Albertus, intellexit Philippum bonum Burgundiæ Regulum, & Leonellum Estensem, Nicolai Ferrariæ Marchionis filium, vehementer cupere, vt ad ipsos res à se in Oriente gestas perscriberet, quæ scriptio cum Alberto tunc importuna, & alias haud quaquam expediens videretur; propterea tametsi optimam literas ad Philippum mittendi, commoditatem nactus esset, ipsius scilicet Principis histrionem, & heraldum seu fecialem, quos ex Ierosolymitana peregrinatione domum redeuntes Rhodi exceperat, qui & ipsi eum seriò hortabantur, vt scriberet, dedit tamen non nisi breuem epistolam, per quam apud Philippum excusat ampliorem narrationem, quam in schedis se iam tum dictatam habuisse fassus est, in aliud tempus differendam promittens. Sed partem rerum literarum latoribus verbo commisit, rogauitque Principem, vt eam narraturis fidem præberet.

Ad Leonellum autem tantum abfuit, vt legationis acta perscriberet, vt potius promittat prolixiorem epistolam aduersus eos, qui vanissima laudum appetentia, res â se gestas admodum celeriter, quamuis rectissimè, referunt.

Quam disputationem ideò se dictasse dicit, vt & ipsi, præter alia commoda, maximum documentum humilitatis, & in effusis laudibus continentiæ, apud alios etiam quoddam falsæ effugium æstimationis foret, & ne Princeps illi succenseat, quod suæ legationis seriem ipsi desideratissimam tunc non mitteret, singulare remedium, atque alijs demum perturbationis animi per vanæ laudis appetentiam antidotus. Nos eam inter alias epistolas authoris repertam nonagesimo sexto loco collocauimus. Sed illam integram legationis narrationem, & proprio ipsius testimonio ab eo scriptam, & Philippo Duci, quamquam dubitanter, promissam, nullibi reperire potuimus, vtpote quam procul dubio constans authoris modestia suppressit, magna quidem ipsius humilitatis laude, & merito, sed non minori notitiæ rerum detrimento, nisi forsitan melius nesciatur, ne Christianorum Principum, & Ecclesiæ consilia per manus traducta, infidelibus tandem innotescerent.

Vtrique Principi Philippo, & Leonello Rhodi scripsit B. Albertus, eodem die Sanctissimo Protomartyris Stephani 26. Mensis Decembris anno Christi 1440. quando, vt Philippo scripsit, iam laboriosi nautæ è portu egressuri, atque à littoribus funem soluentes alterno studio, sibi inuicem conclamarent. Collectis enim cunctis legationis socijs, tunc omnes simul Rhodo in Italiam nauigantes, post non multos dies Anconam in Piceno appulerunt, eorumque ibi cognita descensione; Eugenius Pontifex, equos, & honorarios homines misit, qui eos è Piceno per Vmbriam, Etruriamque Florentiam solemniter ducerent; dato mandato, vt in obuias

uias

uias vrbes, & oppida lætabundo ciuium occursu, cum campanarum solemni sonitu introducerentur.

Non legitur, quid alibi factum sit, at cum Cortonæ in Tuscia appropinquarunt, Clerus populusque ciuitatis M. P. extra portas obuiam iuerunt, vsque ad monasterium, quod Comitissarum vocant, & inter alios S. Bernardinus Senensis, tunc valetudinarius humili asello vectus, qui cum Albertum pro nuntij Apostolici dignitate, simul cum Andrea legato, equo bene strato insidentem cerneret, & populum accurrentem, vt vel fimbriam vestimenti eius tangere possent, elata voce exclamauit: Frater Alberte respice ad pedes, memento mortis, caue ne honores tanti plus æquo animum extollant. Quibus vocibus Bernardini, sui alioquin Patris, & Superioris reuerentia commotus Albertus, confestim ex equo descendit, sanctum senem veneraturus, & rogans vt humile iumentum nobili equo commutaret, renuit Bernardinus dicens, & se & illum sic incedere decere, cauendum solum esse, ne vana mundi gloria furtim obreperet, ac tanti operis præmium euacuaret. Cui Albertus: noli timere Pater, in omnibus mihi oblatis honoribus ita semper oraui: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Huius pij occursus, & religiosæ concertationis monumentum, adhuc superstes, eodem loco statuerunt ciues sacellum, & vtriusque Patris effigiem. Ego moderni status illius sacelli cognoscendi curiosus, 1676. responsum accepi 6. Decembris datum à P. Octauio Florentino cœnobij nostri B. Margaritæ Cortonensis præfecto; ipsum nempe locum adijsse, sacellum vidisse, ac diligenter inspexisse, monasterio quod Comitissarum vocant contiguum: cœterum parietes tùm diuturnitate temporis, quod omnia depascit, tum imminentis cliui humore, decidua crusta, nudatos esse, nec vllum restare veteris picturæ vestigium præter Deiparæ Virginis figuræ fragmentum à cingulo sursum puerum Iesum vlna gestantis, quod ipsum vix oculis decerni potest, & nomen Iesu in summo fornice aureis literis depictum, sed veteri charactere, eo nimirum, quo per S. Bernardinum populis adorandum ostentabatur, & in multis Italiæ parietibus, & illius æui picturis & sculpturis cernitur: quod ipsum indicium est Bernardinum aliquid in facto habuisse, cęteraque, vt historijs traditum est, extitisse. Deceret sanè vel incolarum monasterij, vel vrbis Cortonæ ciuium erga vtrumque seruum Dei deuotionem, ac studium antiquitatis, tam celebre monumentum instaurare, adhibita etiam epigraphe quà factum, & ciuium ipsorum posteris, & cœteris viatoribus innotesceret.

Hinc in vrbem à Clerò populoque per ordinem procedentibus ad Minorum templum ducti, Christi Crucis partem in veteri theca (quam Helenæ Constantini matris opus affirmant) suppliciter adorarunt, & Albertus concionem pro more habuit, atque authoritate Apostolica; qua potiebatur, solemnem benedictionem populo impertiuit.

Florentiam tandem solemni comitatu, qui obuiam iuit, ingressi sunt; & Andreas legationis Princeps breuem orationem ad Eugenium Pontificem habuit in generali congregatione concilij Pridie Kal. Septembris anno

anno 1441. rebusque per præcedentes, & subsequentes eiusdem anni menses, ritè compositis, Iacobitarum vnio conclusa fuit per decretum, quod Græcorum, & Armenorum vnionis diplomata verbatim continet, & Pridie Non. Februarij anni noui sequentis 1442. sed veteris 1441. quem etiam Pontifex, vsque ad 25. Martij diplomatibus subsignabat veteri stylo in publica sessione promulgatum, ac postea Romæ in Ecclesia Lateranensi per manus Pontificis ipsi Andreæ Legato publicè pariter traditum fuit, vt huius nostri voluminis frontispicium repræsentat.

Nostrorum nonnulli scribunt B. Albertum in concilio Florentino inter Græcos, Latinosque interpretis officio functum fuisse: à quo tamen affirmando abstinent alij. Ego vero rem declarandam existimem, & conciliandam varietatem historiæ; ne vel nostri, vel alij falsitatis, aut leuitatis notam incurrisse videantur. Etenim dubitari non potest, Albertum, tum in Oriente, tùm in Italia, cum vtriusque linguæ hominibus multa pertractasse, multa hinc inde retulisse, & aliorum sensum alijs aperuisse, quandoquidem, & multam operam, vt in alijs nationibus, sic in Græcis ad vnionem reducendis, collocasset; eis Ferrariam, Venetias obuiam iuisset, rebus tractandis Ferrariæ, & Florentiæ interfuisset, & Iacobitis, quos ipse solus adduxerat, Florentiæ pariter & Romæ in tractanda & concludenda vnione adstitisset, vt cum alijs narrat Vvaddingus, & ex eis vnus fuit, quos plurimos è latinis adfuisse, etiam in publicis collationibus, qui Græcis literis eruditi, de fida translatione præcipui interpretis iudicium dabant, prout scribit Andreas à S. Cruce, Patricius Romanus, & Apostolici consistorij aduocatus, qui rebus agendis interfuit, & omnia per ordinem in literas redegit, quæ Horatius Iustinianus publica luce postmodum donauit.

Atq; in hoc sensu intelligendi sunt qui Albertum interpretem vocant, vt Marcus Vlissiponensis indicare videtur, dum illum non absolutè, & solum, sed vnum ex interpretibus fuisse dicit, ac tanta facilitate, & elegantia latinorum sententias Græcis retulisse, vt isti sublime hominis ingenium admirati, dicerent fieri non posse vt ille in Gręcia natus non fuisset. Principalem autem, & ex publico munere Græcorum, Latinorumque linguæ mediatorem, & actorum publicorum interpretem fuisse vnum vtrisque communem (15) *Nicolaum quemdam natione Græcum*, cui vni illud onus iniunctum fuisse, narrat idem Andreas, qui hominem eximiè laudat, per quę Albertum à publico hoc munere, nec liberum fuisse, nec principalem in eo partem obtinuisse, dicendum censeo: quod Marianus Florentinus noster, tunc viuens, in chronicis, quæ non multo post conscripsit, sic docet: *concilio namq; ex prædictis partibus solemniter congregato, ordinati sunt ab vtraque parte, qui sententias cuiusuis partis in medio, tum latinè, tùm græcè referrent. Erant autem inter alios duo fratres Minores, scilicet, (16) D. N. Episcopus, & Fr. Albertus Sarthianensis, & alius Ordinis Prædicatorum videlicet, Dominus Fr....... Episcopus....... atque D. Ambrosius Abbas Generalis Ordinis Camaldulensium, & nonnulli alij viri, vtriusque linguæ peritis-* Marian. lib.5.f.76. col.2.

ritissimi, quorum vnus inter omnes præcipuus fuit Nicolaus Eboicus, Episcopus Saguntinus, lingua vtraq; scilicet græca, & Latina disertissimus.

Iacobitis autem, & Latinis, etiam in publicis interpretem fuisse B. Albertum, æneæ valuæ Vaticanæ Basilicæ, vel solæ sufficiens testimonium præferunt, in quibus Pontifex cernitur ea forma, qua tamquam in Lateranensi Basilica, vnionis decretum Iacobitis, seu Regis Aethiopiæ Legatis, ex throno porrigit, & Albertus à latere stans, & cum Cardinali assessore colloquens, ac tamquam cum illis ex itinere venisset calceatus, & toga talari indutus, absque Franciscano cingulo soluta, manicisque ab humero ad carpum, præter ordinis morem, strictissimis, nec aliud præfert obseruantis Franciscani signum, præter ordinis rasam coronam, & capitis tegumentum ad humeros demissum, vt exteriorem eam togam existimem itinerariam fuisse, quo expeditior ipse in equitando, & alijs functionibus esset minus impeditus, quam si regulari fratrum consueto pallio, vel soccis ligneis indutus. Rei schema ex valuis in librum suum transtulit Iustinianus, & nos in fronte huius voluminis.

Interea dum Albertus anno 1441. Florentiæ moram contraxisset, præter Iacobitarum vnionis negotia, alia Pontifici præstabat obsequia, inter quæ fuit fœdus pacis, Eugenium inter, & Rempublicam Senensem pactum, de quo agit ipse epistola 69. vbi etiam significat, se tùm Senis ad duo quædam castella, Pontificis iussu missum, nescio an sibi mutuò, an ipsi Pontifici concilianda, sed & verbum Dei prædicandi labor nunquam, & nusquam deerat.

Eadem tempestate Ioannes II. Castellæ Rex Mahomed, Aber, Azar, Maurorum Granatensium Regi armis infestus fuit, quapropter Sultanus Aegypti, per Mauri Regis legatos aduocatus, vocato ad se Cayrum Fr. Gandulpho Minorum Ierosolymis Guardiano imposuit, vt quantocius Pontifici significaret, se cupere, vt Eugenij studio, Castellæ Rex à Mauris molestandis desisteret. Quod cum Gandulphus, missis literis, & Fratribus nuntijs fecisset, responsum concipiendi cura Alberto nostro data fuit, & ille in eum sensum præstitit, quem præfert formula literarum, quam nos integram inter Alberti epistolas loco 68. dedimus: ex qua & ipsius Alberti prudentia, & Eugenij Pont. desiderium ingens elucet omnium gentium, & sectarum homines ad veram Christi Catholicam fidem, & vniformem vnius Dei cultum conuertendi, vt omnium, sicut vnus est Deus, sic esset vna fides, vnum baptisma, vnum Ecclesiæ visibile caput, vnius Christi in Cœlo regnantis vnus in terra cunctorum Vicarius.

CAP. XIV.

Quid pro terræ sanctæ sanctiori regimine peregerit.

VT ea nunc referamus, quæ B. Albertus in Oriente pro ordinis bono præstitit: variæ ad Eugenium Pontificem deferebantur querelæ, malè administrati regiminis locorum terræ sanctæ, per superiores ijs temporibus destinatos, cumque loca omnia solius Guardiani montis Syon Ierosolymitani, tamquam

quam ordinarij Prælati totius Terræ Sanctæ,& annexarum gubernio subsint, iussit Eugenius Generali ordinis Ministro, vt selectum aliquem virum ex Obseruantum cœtu, huic muneri præficeret. Neglexit ille significatum sibi Pontificis desiderium, quinimmo ex pristinis vnum instituit. At Eugenius loca illa sacerrima inter Saracenos, Schismaticosque quam optimè gubernari cupiens, in sententia perstitit, & sic institutum ad se venientem, persuasa resignatione, absoluit officio, suaque authoritate substituit Iacobum Delphinum Venetum, regularis obseruantiæ professorem. Verum Delphino prædecessorum suorum defectus (qui irrepere faciliùs, quam tolli solent) vel non valente tam cito, vel aduersantium odium cauendo, tam efficaciter emendare non volente, non cessabant querelæ.

Quapropter cum Albertum prima vice ad Schismaticos Orientis reducendos mitteret, dedit in mandatis, vt ordinis etiam sui rebus, commissi muneris authoritate prouideret, ac Terræ Sanctæ Fratrum loca specialiter cognosceret. Is ergo pro more religionis, locis omnibus ritè lustratis, ac probè cognitis, eum reperit rerum statum, qui nec ordinis honori, nec debito sacris locis cultui, nec peregrinorum commodis, nec Pontificis desiderio respondebat: ac dum ipse Albertus, quæ poterat interim remedia malis apponeret, misit, quod ante diximus, Fr. Ludouicum Bononiensem, qui præsens Pontifici cuncta referret,& remedia potiora reportaret, cumque ipse Albertus,terminato tùm ferè triennio Delphini, in Italiam ad sacrum Concilium redire pararet, fratribus, quorum id munus tunc fuit, conuocatis, omnium exquisiuit suffragia, & maior pars postulauit præfici sibi Nicolaum Auximanum, regularis obseruantiæ, virum doctrina, & pietate prçstantissimum, & in ordinis regimine iam antea probatum, & Pontifex quidem allata hac postulatione, & per Albertum plenè de cunctis instructus, Nicolaum Terrę Sanctę Guardianum Ministri Generalis authoritate institui voluit.

At verò, vt nulla est tam sancta rerum dispositio, quę omnibus æquè placeat,sic illius de Nicolao factę executioni restitit bifarium hominum genus: isti gratissimam, desideratissimamque Nicolai præsentiam sibi in Italia deesse dolentes; illi Delphini gubernium, ipsorum libertati magis indulgens,percupientes, nihilque solatij ex eius in Italiam reditu sperantes, & Nicolaus ipse optimæ mentis homo, nec dignitatis auidus, nec turbarum amans, vtrisque consentire visus est. Hinc partium importunitas, ijsdem argumentis, & si fine longe dissimili, vsa, Pontifici persuasit, vt Nicolao in Italia relicto, Gandulphum Siculum eiusdem obseruantiæ virum Terræ Sanctæ Minoritis præficeret; sed neque Gandulpho ipsi pepercerunt, qui per vias latas ambulare cupiebant, quamquam Pontificis authoritate regimen ipsius in finem tolerare constricti sint.

Res tota ad Albertum, Venetijs tunc secundò iter ad Aethiopes, Indosque parantem, frequentibus literis delata fuit: & ille Redemptionis nostræ locorum zelo exęstuans,& Nicolaum imprimis à destinato,etsi non possesso, reuocatum honore, cuius conferendi præcipuus author erat ipse B. Albertus, seseque virum optimum ludibrio potiùs exposuisse, quam sic delusum honori adsciuisse dolens,

duas epistolas, seu iustos potius libellos, ad Christophorum Ariminensem Episcopum, Pontifici familiarem, & ad Guillelmum Casalensem Generalem Ordinis Ministrum, easque doctissimas, & sententiarum pondere graues scripsit, per quas Nicolaum etiam refugientem, officio restituere conatus est; sciens deinde quantas molestias Gandulphus Ierosolymis ad Clauum sedens à latioris sequacibus disciplinæ pateretur, vt res in ordinem redigere non posset; tantum studij ad eum amouendum adhiberi, vt Pontifex ad id iam pronus videretur, atq; hinc totam rem perditam iri, si perditissimus quidam homo, qui totam tempestatem aduersus Nicolaum, & Gandulphum concitauit, & pessimis modis, & mediis per Hispaniam, Galliam, Germaniam, & Italiam, non sine populorum admiratione, & seruorum Dei scandalo, liberè discurrens sustinebat, non fuisset amotus, Albertus etiam hoc vt fieret connisus est. Is erat Quæstuarius, seu Procurator Terræ Sanctæ Iudas inter Apostolos, qui loculos habens eleemosynas omnes pro libitu administrabat, & paulatim tantam sibi assumpsit licentiam, & callidè se Fratrum ingessit regimini, vt penes se vellet omnem residere, sicut pecuniam, sic etiam potestatem, neque Guardiani, illo non consulto, quidquam facere audebant, neque Fratres Prælatum petere, qui isti displiceret; displicebant autem omnes, quos suo non putabat arbitrio tam regendos quam loca recturos. Albertus ergo, quæ hactenus illi, vt ipse loquitur, pro modestia, vitandæ procacitatis, & fugiendæ detractionis causa visa sunt silentio tegere, securim nunc ad radicem ponendam duxit, & pessimi hominis vitam, & vias omnes, tacito eius nomine, ad Iulianum Cęsarinum Cardinalem, Sanctorum locorum Protectorem tertio libello descripsit.

Nec destitit, donec Cardinalis Beatum Ioannem Capistranensem, cum Vicarii à latere Ministri Generalis potestate, in Prouinciam Orientalem misisset, qui illuc appulsus, & Gandulphum in officio confirmauit, & Iudam illum à procuratione pecuniarum amouit, & Ioannem Martinum nobilem Venetum Procuratorem, & Syndicum instituit, qui collectas conuenientius administraret, & ex Italia in Orientem facilius transferret. Denique regularis obseruantiæ disciplinam in omnia Terræ Sanctæ loca, quod Pontifex ex animo cupiebat, induxit, & qui colla huic iugo submittere nolebant, in Italiam redire coegit, vt ex illo tempore, sacra loca in hodiernum diem non sine laude ipsorum, & spirituali, temporalique locorum incremento regantur ab einsmodi instituti hominibus, vbi Græcorum Schismaticorum inuidia non minor, quam Turcarum auaritia non obstitit.

Denique labores Alberti nostri in Oriente, præsertim sacra vnio Aethiopum cum Ecclesia Romana, quos fidei fructus protulerint, sequens epistola Fratris Gandulphi Siculi, ex nostris Guardiani Ierosolymitani, & Eugenij Pontificis in Oriente Commissarij ad eundem Pontificem, tametsi inculto stylo, sed candida veritate, scripta satis declarat.

Pater Beatissime, & Sanctissime Domine, post pedum oscula beatorum, & omnem in Christo Iesu gloriæ splendorem. Hora est iam, vt sicut ego toties meis literis contristaui sanctitatem vestram, ex meo, & meorum,

rum, qui mecum sunt Fratres in Terra Sancta, assiduo persecutionis relatu, eisdem literis, tandem eandem sanctitatem lætificem, & relatu meo, gaudio spirituali repleam. Gaudeat igitur Beatitudo vestra, Pater Sanctissime, gaudeat, & exultet Mater Ecclesia, quoniam filij sui tempore dignissimi vestri Pontificatus de longè venerunt ad eam. Iterum gaudeat, & lætetur in Domino, Pastor optime, cura, & sollicitudo vestra, quoniam oues Meridionalis plagæ aberrantes per deuia, intrauerunt ouile. Si enim illa, quæ super nos est, triumphans Ierusalem, tantum gaudet, & exultat vno peccatore pœnitentiam agente, meritò nostra militans Sion, pœnitenti innumerabili multitudine immensè gaudere, & exultare debet. Et vbi minor erat spes lætitiæ, maior debet esse materia gaudij. Sed ne diu suspensam congressione mea teneam vestram sanctitatem, Pater vigilantissime: cum enim penitus decidissem ab ea, quam conceperam, spe vnionis Ecclesiæ Romanæ, cum lato illo, diffusoque Imperio Aethiopiæ, eò quod inde venientes percunctati, mibi nemo iuxta votum responderet, ex insperato insonuit fama, quod Ambassiatores Principis Aethiopum, ad Soldanum venissent, pro Ecclesiarum anno proximè elapso in Aegypto, & Terra Sancta, tempore illius persecutionis validæ destructarum reædificatione, & oppressorum Christianorum sublcuatione: quo lætanter audito, reuixit, quam parum antea sepelieram, spes mea, & maximè cum percepi quod essent in Ierusalem venturi. Sicque Diuina ordinatione actum est, vt in Festo Epiphaniæ Domini intrauerunt Bethleem. Ibidemq; sicut quondam tres Magi venerunt adorare Dominum, qui mox iuxta preceptum vestræ Sanctitatis per quoddam eius breue, aliàs mibi factum, à Fratribus meis, cum omni charitate, bumanitate, gaudio, & honore, in domum nostram fuerunt recepti, & de omnibus, prout tunc frigida, & pluuiosa nox, penuria deserti, & viæ lassitudo exposcebant, per gratiam Dei fuerunt peroptimè recreati. Venientes autem in Ierusalem, quidquid bonoris, charitatis, gratitudinis, liberalitatis, bumanitatis, obsequij, & familiaritatis mibi possibile fuit, intuitu, & nomine vestræ sanctitatis illis impendi. Cum autem ipsis secreto exponerem ea, quæ per Beatitudinem vestram mibi fuerant iniuncta, eos efficaciter exorans, quod vellent pro buiusmodi facto sacræ vnionis, & pro nonnullis alijs bonorem Dei, & Principis sui concernentibus, sanctitatem vestram adire, aut saltem bic expectare, quò vsque ego intimarem eorum aduentum Beatitudini vestræ, & responsum eius acciperem: responderunt se boc facere non posse, cum non baberent id in commissione, dicentes non fore necessarium, pro facto vnionis eos illuc ire, aut bic præstolari debere, quoniam Thomas, & Georgius iam applicuissent ad Imperatorem suum, cum bulla vnionis, & quod vniuersi Patriarchæ, Episcopi, & Prælati, ac Principes, & Domini status vtriusque fuerunt edicto Imperatoris ad boc simul congregati, & quod ab omnibus vnanimiter, nemine discrepante præfata vnio, cum summo gaudio, & deuotione fuerat acceptata, superaddentes quod Georgius, & Thomas præfati cum quibusdam alijs, remittendi erant per Principem eorum ad vestram sanctitatem cum prædicta vnio-

vnionis assensu & receptione, arbitrantes eos in proximum Pascha debere hic nobiscum esse. In quorum assertionem, & confirmationem dixerunt se velle sequenti die Missam nostram audire, quam in Ecclesia S. Sepulchri gratias immensas Diuinæ misericordiæ de hoc referentes, gaudio ingenti cum illis solemniter celebrauimus. Quod ego Beatitudini vestræ pro eius consolatione singulari & Ecclesiæ vniuersalis exultatione, duxi significandum, illud etiam non omittens, à quo incepi videlicet causam aduentus eorum, & modum, & conditionem; & ab vltimo incipiens, vt de omnibus simul dicam: is qui caput erat Ambassiatæ, prout ab eius eloquio, gestisque & quorumdam fide dignorum assertione comprehendi, vir erat non minus ingenio, quam nobilitate, & potentia præclarus: tredecim millia, quingentos, triginta equites sub se habens, qui ducentos viros de familia sua secum ducens, quorum quinquaginta cum itinerarijs rebus apud Thebaidas dimissis, cum centum quinquaginta completis quatuor mensibus itineris incepti, intrauit Chayrum. Statuto autem die suæ Ambassiatæ expectatus ante auroram à Soldano, euocatus ter per maiores curiæ renuit ire, nisi in die clara dicens se non in tenebris, & latenter, sed palam, & in lucem venisse. Cum autem iuit, fecit secum apportari sedem, in qua Soldano, dum ipsum alloqueretur, consideret. Crucem verò auream super pretiosissimum indumentum latam, longamque ad modum Prutenorum militum, in præsentia eius portans, eiusdem S. Crucis insignijs decoratum equum, pretiosè coopertum conscendens, in munus quoddam mysticum aureum paruum equum, ensem, lanceam, galeam, thoracem, scutum, arcum, pharetram, & decem sagittas, omnia ex puro auro valorem tamen octo millium ducatorum non excedentia, seruosque promiscui sexus, septuaginta eidem ex parte Imperatoris sui obtulit, cum his verbis.

„ Hæc tibi dicit Soldane, potentissimus, & excellentissimus, & gloriosissimus Imperator Dominus „ meus Constantinus. Intellexi quoniam Ecclesias sub dominio tuo „ consistentes destruxeris, & Christianos tibi subditos valde oppresseris; „ ait enim (vt melius nosti) Propheta „ tuus, quod malum reddatur pro malo, vnde secundum cum iam possem „ iustè tibi vicem reddere eorum, quæ „ fecisti. Sed quoniam Christus Iesus, „ Dominus meus dicit, quod reddatur pro malo bonum, & sine admonitione correptionis non procedatur ad punitionem; ego pro malo „ bonum reddens, te deliberaui prius „ admonendum: vnde ex nunc contestor te, & admoneo cum pace, & „ charitate, quæ per aurum hoc, nequaquam tibi in munus, sed in mysterium missum designatur, vt Christianos omnes sub te oppressos continuo eleues, & cum omni pietate, „ & humanitate eos tractes, Ecclesiasq; „ dirutas permittas, & iubeas reædificari. Quod quidem si feceris, stabunt mosquetæ quæ in imperio „ meo sunt, Saracenique mihi subiecti „ piè, & humanè, vt hactenus à me „ tractabuntur. Et hoc aurum tibi „ missum, non conuertetur in aliam „ speciem, nec perdet virtutem suam. „ Sin autem hoc facere neglexeris, in „ chalybem, & ferrum, contra te indubiè conuertetur. Quoniam mittam contra te innumerabilem multitu-

„ titudinem gentium belligerarum, „ diuersè, ferociter, indefessè dimicantium, cui tua paruitas non valebit resistere, cum Admiraldus minor, qui subest Principibus dominantibus sub me, sit longè potentior te, Saracenosque omnes subditos mihi qui innumerabiles pene sunt, in eorum sanguine baptizabo, & mosquetas eorum funditùs destruam; auferam tibi Mecham, & illius, quod veneraris, sepulchrum Prophetæ tui. Tollam ab Aegypto alluuionem Nili, vt simul & ferro, & fame, ac siti cum populo tuo pereas; quæ distuli vsque nunc auferre tibi, propter Ecclesias, & Christicolas, sub tua ditione degentes, ne ipsi simul tecum perirent, aut quicquam sinistri paterentur abs te. Nunc ergo elige, quid magis tibi vis, an quod aurum hoc maneat in sua materia, aut in ferri materiam conuertatur.

Finiente vero Ambassiatore, cuncta eius dicta, quodam magno Saraceno de genere impij Mahometi, quem ad hoc secum duxerat, testificante, & approbante, Soldanus pollicitus fuit se post dies aliquot eidem plene responsurum. Iussitque statim sibi afferri vestem quamdam valde pretiosam, vt iuxta morem suum, continuò indueret, & à facie Principis glorificatus abscederet. Quod ille facere renuens, dixit se nullatenus debere eam super Crucem, aut induere, aut portare, quam Torquiniano suo illic tradidit, subito induendam, fuitque post eius digressum à præsentia Soldani datum generale præconium, quod omnes Christiani benè, & humanè tractarentur à Saracenis, pròut antea solebant tractari, & nemo eos auderet persequi, aut molestare. In ingressu vero eorum in hanc sacram ciuitatem, factum fuit spectaculum quoddam, satis memoria dignum, & à multis annis simile in Terra Sancta non visum, quoniam gloriosum S. Crucis vexillum, coram plurimis, & maioribus Saracenis, fuit extra Ecclesiam S. Sepulchri, per Aethiopes hic residentes, ante suos Ambassiatores personaliter incedentes, cum papilionibus, iubilis, & canticis, iuxta eorum mores solemniter erectum, & apportatum, nemine infidelium illos perturbante. Quibus occurrerunt in apparatu simili cæteræ nationes Christianorum iubilantes, & exultantes, & eorum Principem veluti suum Redemptorem, apud Deum, & homines gloriosè magnificantes. Quæ quidem omnia, Pater Clementissime, quantum cesserunt in Principis sui gloriam, tantum cedunt in Principum nostrorum ignominiam. Hic enim fecit apportari sedem, vt sedens Soldanum alloqueretur, Ambassiatores nostrorum, ante ipsum terram deosculari coguntur. Iste ad impensas Soldani vadit, quo vult, imperans, & Saraceni ipsum comitantur, & venerantur, quoniam Imperatorem illius timent, & illi placere conantur. Nostri vero cum veniunt inter infideles, non se Dominos, sed famulos nominare audent, immò infan is plures se esse confingunt, ne ab eis offendantur, & incarcerentur, quoniam non timentur ab eis, nec appretiantur. Vnde Ambassiatores magni Hospitalis Ierosolymitani, adhuc in eius arcta, & dira custodia detinentur. Huic etiam cum tota eius familia absque vllo tributo fores Ecclesiæ S. Sepulchri fuerunt reseratæ, nec illas sinebat claudi, quò vsque omnes nationes Christianorum ingrederentur,

tur, ipse verò vltimus ingrediebatur, nostri autem plusquam tributum soluunt, & vix introire permittuntur: ita vt hesterna die quidam Ambassiator Ianuensium offerens tributum, non fuit intrare permissus. Omnes etiam nationes ex parte sui Principis, salutauit, & cunctis eius nomine, aut eleemosynam, aut munera condonauit, ipsumque omnium orationibus, in discessu commendauit, prò vt de omnibus his, & nonnulis alijs statum huius sacræ domus, & personam meam concernentibus, plenius informabit vestram sanctitatem humillimus seruus eius Fr. Seraphinus socius, & Frater in Christo mihi intimè, & sincerè dilectus præsentium lator. Cui dignetur fidem adhibere eadem sanctitas, eaque sua solita benignitate piæ executioni mandare, quam Altissimus conseruare dignetur fœliciter, & longæue ad ampliationem fidei Catholicæ, & prosperum regimen Ecclesiæ suæ Sanctæ. Ex sacro Conuentu Montis Sion, prima die Februarij anno Domini 1444.

CAP. XV.

Fit Minister Conuentualium Prouinciæ S. Antonij, & Vicarius Generalis totius Ordinis Minor. & quid initio operatus sit.

HIS ita per Albertum patratis, dum ipse seruus Dei in Eugenij Pontificis obsequijs, adhuc Florentiæ detineretur, obijt ibidem anno Dominicæ Natiuitatis 1442. die 2. Feb. Guillelmus Casalensis, totius Ordinis Minorum Generalis Minister, ac tum Pontifex ob singularem suam erga hunc ordinem diligentiam, in commune eius beneficium aliquid præstare cupiens, regesta, & sigilla defuncti Generalis ad se afferri curauit, & grauiores ordinis causas sibi expediendas reseruans, pro alijs communibus cognoscendis quinque discretos eiusdem ordinis Patres deputauit, qui communi consilio cuncta disponerent, & ex his vnum Albertum esse voluit, vt summum apud se religionis, & in agendis, prudentiæ virum. Cœterum ordinariam peculiarium Prouinciarum gubernationem singularum respectiuè Ministris Prouincialibus reliquit, & omnia hæc interim, dum ipse Pontifex ordinis regimini alio modo prouidendum, iuberet.

Inter hæc obijt etiam diem suum Dalismanus Patauinus Conuentualium Prouinciæ S. Antonij, seu Venetæ Minister Prouincialis: eaque occasione, mense Iunij, Pontificis iussu, coactis Prouinciæ comitijs, conuenerunt Vocales nonaginta tres, vt Dalismano successorem, ac dignum Prouinciæ Præsulem constituerent. Cum ad electionem ventum esset, præmissis, quæ ex ordinis more, institutisque debebant, mira animorum consensione, & quiete, suffragia sua omnes præter vnum solum, hoc est, nonaginta duo in vnum Albertum, pro Commissarij Pontificij munere, quo in ijs regionibus fungebatur, tunc præsentem contulerunt, & magnæ Prouinciæ S. Antonij Prouincialis Minister canonicè electus est: non maiori bonorum omnium applausu, quam Alberti ipsius planctu, & renitentia.

Eugenio Pontifici nihil rerum ordinis hac electione optabilius nunciari potuit; qui inde agnoscens omnium, non obseruantum solummodo,

ſed etiam Conuentualium beneuolentiam, & propenſionem erga B. Albertum, & qua ſententia vtitur ipſe Pontifex, magnam ex inde habuit conſolationem, cœpitque intelligere Albertum, præſtante Domino, futurum lapidem illum angularem, qui, quod ſæpe, inquit, & diu diximus optaſſe, nec vnquam conſequi potuiſſe, vtrumque parietem coniunges, & vtraque vnum facies. Cupiebat enim ardenter Eugenius, vt ordo vniuerſus, in plura gubernia, & viuendi normas, quodammodo diſciſſus, in vnum coaleſceret, & ad puriorem Franciſcanæ regulæ obſeruantiam, totus reduci poſſet, ſi quod ſperabat, cupiebatque, Albertus totius Miniſter Generalis ſemel euaderet, cum & Conuentualium ſuffragia iam prona habere, & Obſeruantes citra, & vltra montes, in proximo generali Capitulo conuenturos, id ipſum velle non dubitari poſſe videretur.

Hac ſpe, deſiderioque concitatus Eugenius Albertum, non ſolum in hoc officio miniſterij Prouincialis vltro confirmauit, verum etiam cum loco nuper defuncti Generalis Miniſtri, totius Franciſcani ordinis Vicarium Generalem, vſque ad noui Miniſtri electionem, atque proximi Capituli Generalis, in quo illa electio fieri deberet, Prouiſorem, & Præſidem cum ampliſſima poteſtate, & varijs facultatibus conſtituit, & creauit die 10. Iunij, quæ vt ille facilius præſtare poſſet, cœtum ipſum Patauij in Cœnobio S. Antonij anno ſequenti 1445. die nona Iunij celebrandum decreuit.

Interea totius ordinis ſcripturas, & regeſta, poſt obitum Guillelmi Generalis Miniſtri apud Pontificem diligenter eatenus cuſtodita, Alberto Vicario conſignari fecit, atque ipſe Pontifex Miniſtrorum Generalium ſigilla, tamquam ſupremæ, & plenæ poteſtatis inſignia illi tradidit, ſerui Dei deſiderio concedens, vt illis pro arbitrio ſuo vti, vel non vti poſſet. Albertus autem religioſæ humilitatis nuſquam immemor, quemadmodum ab omni ſuſpicione faſtus, & complacentiæ dignitatis liber erat ita flens, & lugens, & cum multis lachrymis quantum poterat reluctans, ea ſuſcepit, & ſe reuera indignum arbitratus ea plenitudine poteſtatis, eiſdem inſignibus, quibus Seraphicus P. Franciſcus, S. Bonauentura, alijq; ſerui Dei, & magni viri, in eodem officio conſtituti, vſi ſunt, toto annui ſui vicariatus tempore non niſi ſemel tantum ſigillis vſus eſt, idque tunc vrgente cauſa, vt rebellantis ſubditi, & obedientiam per cauillas effugientis duritiem infringeret, cum, vt ait, indigniſſimum ſit, vt, vnde ipſe gloriam conſequi deberet, inde contumeliam adipiſceretur: ſuperbi verò ſubditi, ac procaciùs rebellantes, vnde luere pœnas contumaciæ debent, inde commodum impunitatis reportent.

Eodem menſe Iunij Leonellus Eſtenſis, tunc poſt Nicolaum Patrem vita defunctum Marchio Ferrarienſis, priſtinæ curioſitatis tenax, expoſtulaſſe cum Alberto videtur, quod promiſſam iam dudum peractæ à ſe in Aegypto legationis narrationem non miſerit, ſed ſeruus Chriſti, non minùs modeſtiæ ſuæ, & religioſæ humilitati conſtanter inſiſtens excuſauit ſe primùm ab occupationibus impoſiti ſibi negotioſiſſimi muneris, regendæ vniuerſæ Religionis, per quod acerbè luget pro peccatis, inquit, ſuis, & intercepta, ne dicat præciſa ſtudia literarum

rarum, iure quoque suo vsus à prætensæ promissionis, nec legalis, nec absolutæ vinculo reddendæ impossibilitate se soluit. Fatetur quidem, etiam nunc, se habere penè completam epistolam illam, seu relationem, quam peroptabat Leonellus, quæ tamen, etsi prorsus completa fuisset, polienda restaret, & meliùs expectaretur otium, ad eam expoliendam, quam vt inepta prodatur: quod authoritate, & exemplis veterum doctè suadet. Quibus rationibus, ita tunc Principi satisfecit, vt nihil in ea re actum, vel agitatum amplius inueniam, existimemque quod ante dixi, B. Albertum epistolam illam, pro sua modestia prorsum suppressisse, propter causas, in priori sua ad Leonellum scripta, per ipsum fusiùs explicatas.

Maiora Religionis sibi commissæ negotia die 10. Iulij, auspicatus est, per encyclicam epistolam, tunc datam ad omnes totius ordinis Prouinciarum Ministros, & locorum deuotorum, vti tunc dicebantur, seu regularis obseruantiæ Prouinciarum Vicarios: in qua imprimis institutionem sui in vtroque, Prouinciæ scilicet, & ordinis gubernandi officio, & Apostolicam vtriusque confirmationem enuntiat, quam tunc viua Pontificis voce factam intelligo. Nam vtriusque diplomata apud Vvaddingum integrè descripta, posterius expedita fuerunt. Eos deinde, ad quos scribebat, simul hortatur, vt ipsorum vnusquisque exemplo vitæ propriæ, ac mansueta suasione, magis quam coercitione minarum, & cædis, Religiosos sibi subditos ad morum reformationem, & odorem antiquæ sanctimoniæ compellant. Edicit deniq; ordinis comitia generalia pro noui Ministri Generalis electione, per Eugenij Pontificis mandatum, anno sequenti, & proximè futuro festo Pentecostes, infra Octauam S. Antonij Paduæ celebranda, suaque & Pontificis authoritate iubet, vt omnes, pro cuiusque officio, illuc opportuno tempore conueniant.

Inter primas minora, seu peculiaria Prouinciarum negotia tractandi occasiones fuit supplex libellus, ciuiũ oppidi Gaudæ in Hollandia, Eugenio Pontifici porrectus, in quo exponebant se templum, & habitaculum construxisse in suo oppido pro Fratribus regularis obseruantiæ S. Francisci, cupereque, vt eandem vitam viuerent, eodemque modo regerentur, quibus tunc regebantur, & viuebant Fratres eiusdem professionis, alterius Conuentus, prope muros S. Audomari, Morinensis Diœcesis, non obstante aduerso conatu Ministri Prouinciæ Coloniensis, cui iuxta morem tunc ordinis reliqui fere Belgij Franciscani obtemperabant; quod & Philippus Bonus, Dux Burgundiæ, & Isabella Ducissa, vt illarum Regionum Domini simul orabant. Albertus ergo tam Pontificis, quam sua authoritate Ministro Coloniensi præcepit, vt à Gaudensibus molestandis desisteret, dum causa controuersiæ in proximo Generali Capitulo decideretur. Atque ita factum ciuibus rescripsit per epistolam, ex qua res tota nobis innotuit. Res demum ita constituta fuit, vt Obseruantes locum retinuerint, summo ciuium, & Principum amore, & beneficentia vsque ad annum Christi 1572. quo teste Gonzaga, irrumpentibus aliunde Hæreticis, Fratres expulsi, & ædificia euersa fuerunt, cum tota Hollandia, & nunc annexæ Prouinciæ Christi iugum, eiusque

eiusque in terris Vicarij, ac simul Catholici Regis obedientiam excutiebant, atque cum potius, vt veri Christiani, intellectum in obsequium Catholicæ fidei captiuare debuissent, hanc ex aduerso in priuatæ perturbationis ergastulo captiuam detinent, maximo suo, totiusque Christiani orbis malo, quod hæresum vbique fructus est.

At Gaudensium, tunc Catholicæ fidei sectatorum, in illius Franciscani instituti viros, ardenti deuotionis affectui satis non fuit, vt suæ ciuitatis locum illis conseruarent, nisi etiam traderent alium, quem Ragusiæ in Dalmatia ipsorum parentes olim ædificarunt, ipsique eo tempore ædificijs instaurabant, & multis beneficijs impertiebantur. Qua etiam de re ad Albertum ordinis Vicarium Generalem scripserunt, & ille rescripsit, hanc etiam causam ad Capituli Generalis dispositionem referendam esse, misso cum literis quodam Fratre Ladislao, cui fidem haberi voluit cætera Gaudanis voce relaturo, quæ Albertus ipse, ad pleniorem eorum satisfactionem disponebat. Sed & literas Alberti ad Ragusæos ipsos, tunc scriptas, de hac ipsorum Cœnobij reformatione intelligi debere, eosdemque Ragusæos id ipsum cupijsse, tametsi ex ipsis literis colligam, confirmat etiam Ladislai, vtpote Illirici, & Sarmatici nominis mentio, tamquam Gaudanorum pariter, & Ragusæorum commune negotium, simul apud Albertum agentis. Quo enim die, ad ciuitatem Gaudanam, eodem ad Ragusæam scripsit, de dispositione, inquiens, Fratrum, ac Monacharum, quæ sanè meo sensu, alia non fuit, quam vt vtrique ad antiquæ districtionis normam, & regularem obseruantiam, pro illius piæ Reipublicæ, & Gaudanorum fundatorum desiderio, reformarentur.

Sub id tempus Ecclesiæ Romanæ, & Eugenij Pontificis obsequijs, sedulam operam in Oriente nauabant Iacobus Primadicius, & Bartholomæus Yanensis, viri ambo regularis obseruantiæ vitæ sanctimonia, doctrina, & rerum agendarum peritia præstantes, quos proinde B. Albertus in Generalibus Comitijs adesse cupiebat, ad magnum religionis bonum (vti tunc sperabatur) conuocatis, quod Eugenius Pontifex peroptabat, cuius idcirco consilium, & agendi modum, Albertus Primadicio confidenter pandit, & vt ambo maiori cum honore, & suffragij authoritate, in Comitijs comparerent; alterum Romaniæ in Græcia Ministrum Prouincialem, alterum Custodem eiusdem Prouinciæ instituit, ac interim Iacobum confirmauit in officio Commissarii sui super aliis locis Orientalibus ordinis, in epistola nominatis, præscripta illi prudente agendorum instructione.

Tum etiam occasione reditus in patriam venerabilis Viri Fratris Roderici Hispani, scripsit Albertus ad Regem, & Reginam Castellæ, significans Eugenii Pontificis animo inhærere, vt totam Seraphicam Religionem ad instituta veteris obseruantiæ, quantum posset, reformaret, ipsique videri tanti boni initia iam posita fuisse, cum Albertum ipsum Vicarium Generalem, totius ordinis instituisset; sed quoniam, vt ait, multa ipsi (sibi Alberto) deerant, quæ opus ingens, si id perfici possit, desiderat; tunc restare, vt Reges afferant quod deerat. Rogat demùm, vt Fratri Roderico cuncta illis relaturo fidem indubiam adhibere velint; quemadmodum

modum eum, vt Patrem, Rex, & Regina venerabantur.

Inter hæc à conciuibus, & contribulibus suis, Prioribus & communitate oppidi Sarthiani literas accepit, per ipsorum conciuem, & Nuntium, quemdam Fratrem Iacobum; quibus indicabant, quanto ipsi gaudio, & lætitia exultarent, audito, eum totius ordinis Generalem Vicarium institutum fuisse, quantumque ipsis complaceret, si quidpiam nuntium concernens expedire vellet, quibus breuiter, & absque omni ostentatione, vt Patribus optimis rescripsit, ipsorum erga se dilectionis affectum, & omnis honestatis suæ gaudium, sibi ignota non fuisse, nec se de illis dubitare potuisse, gratias pro ea re Deo, & B. Mariæ Virgini agens, & quoniam commisso sibi officio, se imparem agnosceret, ideo se ipsorum precibus commendauit. Fauoris autem pro illo fratre petiti prouisioni debitæ institurum pro charitate quam illis debebat.

Tum Sanctus Bernardinus Senensis apud Eugenium Pontificem, & si illibenter, sed pro venerabilissimi viri reuerentia acceptantem, deposito humiliter officio Vicarij generalis obseruantum Cismontanorum ad antiquum suum cœnobiolum Capriolæ iuxta Senas secessit; vt sibi, Deoque, & verbo Dei populis annuntiando liberius deinceps vacaret. Albertus autem indignum iure merito reputans, vt vir eximius, ac tota Europa celeberrimus, humilis tunc locelli ordinario superiori subesset; quibusdam, inquit, relationibus, & iustis, ac rationabilibus causis, animum meum mouentibus, te de cuius probatissima vita, ac vulgatissima fama, ac miro religionis zelo, cæterisque virtutibus quibus te Altissimus mirifice decorauit, longa & veteri experientia sum plenissimè informatus, meum Commissarium, cum omni plenitudine potestatis, instituo, ac institutum denuntio per præsentes, in loco nostro Capriolæ prope Senas, & fratribus commorantibus in eodem: dans tibi per præsentes, plenam, & liberam facultatem visitandi, publicè, & priuatè tam in capite quam in membris dicti loci, & omnia alia, & singula faciendi, quæ ego ipse facere possem si personaliter interessem, salua in omnibus authoritate Vicarij Prouinciæ cum præsens existeret, in loco prædicto.

CAP. XVI.

Regiminis obstacula reperit, & quì se in illis gesserit.

Isdem fere diebus, quibus B. Albertus hos, aliosque fauores, pro ratione sui muneris adhuc Florentiæ residens, dispensabat, molestissima nuntia, & non ordini solum, sed & Ecclesiæ Vniuersalis vnioni, & paci perniciosa inaudiebat, hęc vltra, illa etiam citra montes agitari. Quapropter se vtrisque medendo imparem reputans, B. Ioannem Capistranensem in partem grauissimi oneris subleuandi assumpsit, eumque commissarium suum, visitatorem, & reformatorem, in Prouincijs Turoniæ, Franciæ, Burgundiæ, Angliæ, & Hiberniæ, alijsque Vltramontanis instituit; & reluctantem coëgit, vt graue hoc munus obiret. Probauit factum Eugenius Pontifex, & Kalend. Septemb. fuso diplo-

plomate muniuit, iniungens, vt illarum partium Fratres, qui Principum metu, & Basileensium suadelis Felici Pseudo-Pontifici parebant, vel pro propriis affectibus Alberti Generalis eludebant mandata, vel authoritatem non verebantur, ad sui veri, & vnici Pontificis cultum, & vnius Vicarij Generalis obedientiam reuocaret, ad quæ suauiter, & ex officio peragenda, amplissima potestate, plurimisque, & magnis facultatibus illum donauit, in diplomate fusiùs expressis. Etenim tunc etiam accidit ingens malum, quod Pontificia schismata religiosis ordinibus, & Ecclesiasticis personis inuehere consueuerunt, vt qui Reges, vel regionum Principes Pseudo-Pontifici adhærerent, aut se veri legitimique Pontificis obedientiæ subtraherent, ij Religiosos, & Clericos, in ipsorum ditionibus degentes, vel vi, vel errore post se traherent: vt non solum Pontifici, sed & suorum ordinum, & Ecclesiarum Præsulibus aduersum Pontificem, quamuis verum, agnoscentibus, obedientiam negarent, aliosque sibi per schismatis corruptelam Pseudo-Pontificum authoritate præficerent.

Ita hac turbulenta tempestate, qua Minorum ordinem Eugenii IV. legitimi Pontificis authoritate regebat Albertus; Basileensium quorumdam animositate erecto, aduersus eundem Eugenium Idolo, constitutoque sibi Antipapa sub Felicis V. nomine, Amadæo Sabaudo, inter eius sequaces, famosus fuit Frater Mathias Doringus Prouinciæ Saxoniæ Minorum Prouincialis Minister, qui quamquam Encyclicas, quarum ante meminimus, Alberti literas accepisset, nihilominus Virum Sanctum, & legitimum totius ordinis Primicerium, ne responso quidem dignatus est. Verum ita hoc schisma hominum sensus vel affectus ita disiunxit, vt alii Eugenio, & vnicè vero Pontifici constanter adhærerent; alii solius Amadæi Pontificium, pro Concilii prætensa potestate pertinaciter tuerentur; alii ipsi Concilio addicti, à Pontificatus quæstione tamquam neutrales abstinerent. Atque multi Matthiam in secundis, & qui magis illi fauebant, in tertiis numerabant, S. Theologiæ Magistrum, natione Germanum, & hominem doctrinæ fama, vel inde celebrem, quod aduersus Pauli Burgensis additiones, ad Nicolai Lyrani in vtriusque testamenti sacros codices glossas, replicas, vt vocabat, ediderit, Atque hunc, pro hac fama, & authoritate Prouincialis, quæ tunc perpetua erat, alii quidam in Germania sequebantur.

Albertus igitur tùm zelo, studioq; pacis, & vnitatis Ecclesiæ, tùm pro fraterna erga Matthiam ipsum charitate, & paterna cura salutis, & famę commissæ sibi totius religionis errantem ouem, per secundas peculiares literas ad gregem reducere satagebat, quibus hominem obsecrat, hortatur, & modestè non minus, quam fortiter, increpat, monetque, vt allata in Italiam schismatici criminatione, & fœda infamia, si falsa fuerit, se purget, sin vera, per pœnitentiam salutarem efficiat, vt Seraphica Religio, & Romano Pontifici Canonicè electo, ex Regula S. P. Francisci specialiter subiecta, reperti filii lætitia efferatur, nihilque interesse demonstrat, siue Matthias Eugenii Pontificis obedientiam excusserit, siue re ipsa eum non audierit, siue vacillando, non colat, cumque ad Paduana ordinis comitia amanter denuo inuitat, vbi illum charitatis

ritatis amplexu se excepturum sperans, epistolam claudit.

Verum his amanter, & religiosè pro officio suo præstitis, vir Beatus apud Matthiam nihil effecit, quòminus ille in sua duritie persistens, anno sequenti, cum iusta ordinis comitia Patauii celebrarentur, Bernę in Heluetia, sub pedibus Basileensium, in quodam Schismatico conuenticulo, se Pseudo-Ministrum Generalem ordinis eligi permisisset, eoque officio in obedientia Felicis Antipapę per annos inde sex, seu vsus, seu abusus est, donec non minus, quam Felix ipse, & Basileensium cœtus (quorum potentia nitebatur) potentia sua, & subditorum numero decrescens Ministri Prouinciæ Saxoniæ titulo, seu simul cum vano Generalis nomine retento, seu tunc postliminio resumpto contentus esse debuit, eoque solo se subscripsit publico instrumento anno 1455. Calixto III. Pontifici porrigendo, quod apud Vvaddingum, & anno historiæ descriptum est, & à Matthia, alijsque subscriptum.

Alia minoris momenti, sed quod ad ordinis peculiare regimen attinet, non minoris molestiæ, ad Albertum tunc allata fuerunt: ex magnis Conuentibus Parisiensi, & Paduano. Ibi enim quidam Fr. Ioannes Prouinciæ Burgundiæ Baccalaurei formati titulum, & locum sibi contra fas vsurpabat, & Vicarij Generalis iusta mandata, eo prætextu inter alias cauillationes eludebat, quod in mandatorum tabulis non esset appositum sigillum officii, quasi inde sibi persuadens, vel aliis persuadere volens, Alberti authoritatem, eo minus plenam, & legitimam esse, quod authoritatis insignia, vel non esset adeptus, vel illis vti nou auderet. Scripsit ergo ad Conuentum propria manu, & literas totius ordinis sigillo muniuit, quo hac sola vice pro modestia sua, sed vt ante diximus necessitate coactus, vsus est.

In iis verò literis S. obedientiæ præcepto Parres Conuentus obstrinxit, vt pro Eugenii Pontificis reuerentia, pro suo ipsius honore, pro disciplina morum, & zelo Religionis Genesium Parmensem iam dudum legitimè institutum, & à se Vicario Generali confirmatum in Baccalaurei formati, pro cursu in Conuentu Parisiensi prælegendo, officio, & loco constituerent. Iniustum autem, & Contumacem vsurpatorem ab iisdem officio, & loco, & si ipsis videretur, etiam à Conuentu amouerent, ac si Capistranus pro suo munere præstando, Parisios veniret, illum sibi in agendo negotio addere non grauarentur, vt & ab ipsis, & ab eodem Vicario Generali, videatur pro suo merito honorari.

Paduæ verò tunc fuerunt aliqui illius Prouinciæ, cuius ipse seruus Dei peculiari regimini præfectus erat, qui ipso apud Pontificem non adeò procul absente, vt inuocari non posset, se inuicem falsis criminationibus apud sæculi potestates deferebant. Id etiamsi Albertus Religioni dedecori esse, & authoritati suæ non parum derogare cognosceret; pro sua tamen moderatione, non alia pœna tunc plexit, quàm quod paternæ monitionis epistolam, ad S. Antonij Conuentum dederit, in qua audita deplorat, queritur, & ad meliora hortatur; reliquum remedium præsenti sibi, tunc futuro causæ cognitori, reseruans. Interea iustitiam in malo perseueraturis minatus: ijs verò qui resi-

resipiscerent, & pacem, charitatemq; colerent, clementiam, & gratiam.

Vltimis autem diebus, eiusdem mensis Augusti, quo ita Florentiæ scripsit Patauium peruenit, & re probè cognita, reperit remedii difficultatem in temporalium Dominorum potentia sitam esse, qui reæ partis patrocinium susceperunt, atque adeo acerbiora bella sibi cum illis assumenda fore, si falsos Fratrum suorum accusatores, qui totam Prouinciam turbabant, vel leuiter punire, vel vt morbidum pecus ab innocuarum ouium sano grege segregare tentaret. Qua propter per literas die prima Septembris Paduæ datas, Eugenium Pontificem totius rei certiorem reddidit, vt Apostolicæ potestatis suæ opem adferret, simul suggerens prudentem modum, quo id suauiter fieri posse videbatur.

Ad vltimum diem sequentis Ianuarii, Philippus Maria Mediolani Dux, & Borsius Estensis Ferrariæ Princeps pari, & simultanea instantia Albertum rogarunt, vt Bernardinum Senensem ad suam cuiusque Ciuitatem sacro sermone, per imminentis tùm Quadragesimæ tempus erudiendam mitteret. At ille quod postulabant adeò dextrè vtrique pro ipsorum reuerentia, concessit, vt Bernardinum à neutro petendum persuasisset, si rationes ipsius consulere vellent: nam sanctum virum Patauinis, etiam ipsius Vicarii Generalis sponsione, pro publica concione facta, iam obligatum esse, nec temporis angustiam concedere, vt alium in eius locum Paduam vocaret, cum omnes ordinis per Italiam concionatores, certis pariter ciuitatibus obstricti fuissent. Sed quod amplius erat, Bernardinum sibi Paduæ pro comitiorum Generalium ordinis rebus disponendis summè necessarium fuisse, nec in tota Italia suppetere, qui ipsius in ea re partes agere posset, in hunc sensum reuerentem epistolam ad Philippum dedit, eiusque exemplum cum adiuncta breuiore, ad Borsium misit, quo vtrique Principi satisfactum fuit.

Ex illis interea Prouinciæ turbatoribus, aut alibi insolens quispiam, quem Beatus Pater, vel pœnarum fræno, ad frugem reducendum censebat, duos Ecclesiarum Præsules interpellauit, Alberti amicos, & apud Eugenium Pontificem potentes, Christophorum Garetonum Episcopum Coronensem, & Christophorum à S. Marcello Episcopum Ariminensem. Sed quoniam Coronensis extorquere magis, quam exorare gratiam, aut non iustam causam velle visus est Albertus iudicii sui æquitatem ex aduerso fortiter, etsi etiam pro Præsulis reuerentia suauiter tutatus est; seque in ea causa nihil egisse quod non consuluisset ratio, non probassent testes, non iussissent leges, & satisfecisse se vtrique Præsuli existimasset, quod hominem magno supplicio plectendum, omni pœna subtraxisset, nec non vt eum ad eandem regionem iterum dimisisset, vbi eius flagitia ad ordinis ignominiam nota fuerant. Ariminensi verò, qui religiosius partem suam egerat, scribens sic incipit. *Modestia literarum tuarum, Venerande Christi Antistes, qua me grauiter, vt te decet, & sine vlla culpa iactantiæ, immò cum merito pietatis orasti, vt Fratri N. quantum pateretur iustitia, misererer. Hoc sane meretur, hoc exigit, & pene extorquet, vt si fieri potest, maiore tibi modestia respondeatur, quàm à me flagitaueris*, deinde iudicii sui, maio-

maiorem misericordiam, quàm iustitiæ rigorem, & hominis probatam indignitatem exponit. Rem denique totam, considerata causa, pro ipsius pii Præsulis arbitrio, se acturum promittit, nec aliud lucratus est reus, quam vt quos prius pios intercessores falsis informationibus asciuerat, iustos deinde desertores probarit.

Per primi hominis lapsum, & superbi Sathanæ malitiam, id vitii humanæ naturæ inditum est, vt soleant qui culpa sua cadunt, ne iustè incusati videantur declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Mulier, quam dedisti mihi, serpens decepit me. Qui causa in iudicio decidit, vel à iudice se satis auditum non fuisse, vel actores suos non rectè rationes deduxisse contendit. Miles transfuga de illis, quos deserit ea hostibus refert, quæ fugam suam honestare, iisque gratam reddere possint. Catholicæ fidei & Religiosorum ordinum Apostatis antiquum est, ea Ecclesiæ, & ordinibus errores, & vitia vel omnino affingere, vel malignis coloribus ita depingere, vt eorum odio, & veritatis, veræque religionis zelo, se ad iustam fugam coactos esse persuadeant.

Erant tum inter eos Alberti subditos, de quibus agebatur, varia hominum genera: multi boni, doctique; nonnulli mali, & indocti: quorum omnium virtutes, & vitia in sex classes per ordinem distinguit, vt qui se erga vnamquamque gereret, intelligeretur. Ac postremo loco quorundam Magistrorum, qui sanæ doctrinæ penitus ignari, nec vita laudabiles bonos contemnebant, malis malo exemplo præcellebant, & spernentes maiorum scita, nec Deum, nec homines vereri videbantur. Ex his vnus qui honores superbè nimium ambiens, quod ab ipso Generali Prælato non potuit, quia indignus erat, vllis artibus extorquere, ad gentes se transferens à Schismaticis se facile obtinuisse gloriatus est. Hunc ille neque carceribus, vt pro tanti errati merito iustè poterat, nec regulari vlla disciplina plectendum afflixit, sed eum solummodo non sua sponte, sed Eugenij Pontificis mandato, gradu malè acquisito priuauit, & abiecit magisterio. Iste vero, vel alij vitio suppares ira perciti, nec aliam vindictæ viam sibi relictam videntes, viri sancti famæ detrahere conati sunt: tamquam qui quosdam ex Fratribus grauiter insectaretur, qui in ipsius electione ad ministerium Prouinciæ S: Antonij sua suffragia negarunt, & præterea magistros nonnullos Sacræ Theologiæ fastigium profitentes insolenter aspernaretur, atque abijceret, & gradum honoris, & dignitatis eorum nihili pendat.

Res ista ad Poggij Florentini aures peruenit, & ille veteris amicitiæ, & curæ memor, quam semper de Alberti fama gerebat, etiam cum in eius consodales nimium inueheretur, sed illum nominatim eximens, Albertum per S. Bernardinum monuit, vt sibi ipsi prospiceret, *cum non desint*, inquit, *qui siue à tergo, siue palam eum mordeant*. Albertus ergo & internæ suæ innocentiæ, & externæ famæ diligentissimus custos, Poggio per literas gratias primum agens, atque in ipsius persona reliquos docte simul instruens, qui se cum amicorum, bonorumque virorum obtrectatoribus gerere debeant; duo illa deinde obloquij capita ita diluit, vt non solum falsissima esse, quin potius aduersa verissima, certissimaque demonstrasset,

ſet, vt ex eius ad Poggium epiſtola clare liquet.

Inter illa Scipio Mainentius, Epiſcopus Mutinenſis, vir virtute, & literis excultus, & Eugenio Pontifici charus, Albertoque amiciſſimus, eum rogauit, tanquam eius honeſtandi cupidus, vellet ſibi arcana ſua vt amico, fidenter pandere, quę humanam tentationem vocauit, & ambitum alicuius dignitatis intelligi voluit. Id neglexit Albertus; at Scipio ſecundis literis Albertum arguere viſus eſt, quaſi ſibi ſinceriſſimo amico diffideret; Albertus autem, vt virum religioſiſſimum, & ſtatus ſuæ humilitatis tenacem, ac minimè ambitioſum decebat, reſcripſit per epiſtolam, quam de ambitu dignitatis prænotauit, in ea enim doctè, breuiterque per ſanctorum patrum authoritatem, & exempla demonſtrat, dignitates nulli tam ambiendas, quam timendas, & fugiendas eſſe, nec ſe illas ambire: ſe quippe, vt illos, non credere, curam regiminis abſque animæ periculo geri poſſe, præſertim cum ab ambitione veniret; ſibi verò nullam cauſam potiorem eſſe, quam animæ, atque adeò ſe in priori deliberatione perſiſtere, vt omninò velit, nihil de hac re, vel ſuo, vel alieno ſtudio ſibi quæri, aut ſolicitari quibus nos in eiuſdem epiſtolæ notis, pauca quædam, ſed notatu digna exempla Sanctorum, doctrinaſq; ſubiunximus. Nec ipſum Albertum in vtriſque infimum, aut minus clarum cenſemus, tùm doctrina in ipſius epiſtolis paſſim conſtanti, tùm exemplis reluctandi dignitatibus, quas intra ordinem conſecutus eſt, vel conſequi poterat.

Atque in adepto vtroque munere Miniſtri Prouincialis, & Vicarij Generalis totius ordinis itá ſe geſſit, vt nemo bonus, de ipſo conqueſtus fuerit. Nam illum vnum, non plures, qui initio electionis eius, in Miniſtrum Prouinciæ ſuffragium negauit, ſed mox in ſententiam reliquorum ocius ſpontèque conuolauit, præ cæteris omnibus, illi amicitior fuit, non (inquit ad Poggium ſcribens Albertus) qui fauentibus aſſenſus eſt, plus delectat (ita me Chriſtus iuuet) plus illum diligere, qui diſſenſit, nam is eſt, qui cum mihi locum, mea humilitate digniſſimum, hoc eſt Chriſtianæ humilitatis, quantum in ipſo fuit, diligentius procurauit, merito vitam omnem, ac meam ſalutem inter varia rerum diſcrimina fluctuantem, tutiſſimo portu religioſæ ſubiectionis locaſſe putandus eſt.

Reliqui verò, vani huius mei honoris tamquam leuiſſimæ nebulæ, perniciter tranſeuntis (quamuis illorum tantæ in me beneuolentiæ, quæ putatur, ingratus eſſe non debeam) non me tamen ita afficiunt, non me trahunt, non capiunt ad ſeſe, cum illi quidem, etſi me incerta quadam gloriola honorant, certo pene periculo, vnde & magnorum plurimos corruiſſe comperimus, pendula ſalute, me locant. Malos autem tanta moderatione, & clementia regebat, vt indignum illum, & à Schiſmaticis graduatum, non alia pœna plecteret, quam vt eum, idque iuſſu Pontificis gradu Schiſmaticè obtento deponeret, nec, vt ante diximus, ipſo ſigillo ordinis, toto illo Vicariatus generalis annuo tempore, pro ſua modeſtia, & fuga faſtus, vſus eſt, imo ordinem ſanctiſſimè, & prudentiſſimè rexit, vt illius temporis monumenta teſtantur.

CAP.

CAP. XVII.

Quid egerit in Comitijs Patauinis Ordinis: quidue Pontifex inde statuerit.

ADuenit tandem tempus celebrandi ordinis comitia, per Eugenium Pontificem indicta ad nouum Generalem Ministrum defuncti ante annum Guillelmi Casalensis loco eligendum, quando ex vniuersa Religione Paduam conuenerant, in vnum locum, sed non in vnam sententiam Fratres obseruantes, & conuentuales, bis mille, quibus B. Albertus pro suo munere, necessaria omnia abundanter prouidit. Ventum denique ad rem, vt fieri solet, præmissis quæ ordinis iura decernunt in ipsa vigilia Pentecostes, anno 1443. & Albertus, vt erat illius Prouinciæ Minister, in qua Capitulum celebrabatur, ac totius ordinis Vicarius Generalis, & Capituli Prouisor, ac Præses ab Eugenio Pontifice specialiter delegatus, ad considentes Patres in plenis comitijs, Latino sermone, ac pro pondere causæ morali, ac laconico magis quam culto, & Rhetoricis pigmentis vago grauiter, & piè perorauit, & hortatus est, vt virum integrum, & necessarijs partibus, quas sigillatim exposuit, insignem ad communem vtilitatem Fratrum, iuxta Franciscanæ Regulæ præscriptum eligerent, seruatis, quæ ad id necessaria sunt, pace, veritate, charitate, idque non coactè, nec sinistra vlla intentione, sed spontanea conscientia ad ordinis decus, necessariam conseruationem, & vbi opus esset, restaurationem, ad gloriam Dei, & Sanctorum, quos per litaniam quandam inuocat, ipsius Matris Ecclesiæ, & Eugenii Pontificis lætitiam, & satisfactionem. Obseruantes, pro promouenda reformatione Albertum ipsum cupiebant Ministrum Generalem, nec pauci conuentuales in ipsum proni erant, cum satis ipsis innotuisset Apostolicum breue, quo Eugenius se id ipsum cupere, clarè manifestauit.

Sed quoniam in rebus humanis, quæ præsertim à mixta multitudine dependent, eadem ipsa, quæ natura sua, prodesse deberent, inordinato abusu, non raro nocent. Classis malorum quorumdam cum B. Alberti personæ, & dignitati nihil palam obijcere possent rem suam tumultu, & seditionibus agendam censuerunt. Tales igitur turbas concitauerunt, quibus orbem offendissent, si ipsius B. Alberti consueta modestia, & contemptus dignitatis, ac S. Bernardini Senensis præclara sanctimonia, prudentia, & odium turbarum, non attulissent remedium. Etenim ambo in quemcumque vnum idoneum vltro consenserunt. Inter has turbas, electus est Antonius Ruscronius Nouocomensis Sacræ Theologiæ Magister Conuentualis, vir alioquin Maiorum sanguine, & propria doctrina, alijsque dotibus clarus, cuius nobilis familia Franciscano ordini semper addicta fuit. Is Albertum etsi renitentem, in Prouinciæ S. Antonij administratione illicò confirmauit.

Eugenius interea Romam reuertens, moram Senis trahebat, quo ad eum conuenerant, vtriusque cœtus præcipui Patres, actorum rationes reddituri, sed delata electio cum Alberti

berti

berti exclusione adeò displicuit Pontifici, vt electum gradu deposuisset, nisi, vt antiqua monumenta produnt, Alberto ipso suadente, timeret Philippum Mariam Mediolani Ducem, sibi nuper conciliatum, non ęqui consulturum, vt ipsi subditus, vir doctrina, & sanguine clarus, à consodalibus dignitate donatus, non sine famæ iactura detruderetur.

Eugenius his rationibus persuasus, Antonium in Ministri Generalis officio confirmauit. At vt obseruantum statum securiorem redderet, parum admodum potestatis in eos ipsi reliquit, nam consultis Cardinalibus quibusdam, ipsiusque ordinis Conuentualium præcipuis Magistris, & Prouinciarum Ministris consentientibus iniunxit, vt citra montes Ioannem Capistranensem, & vltra Ioannem Maubertum Generales Fratrum Obseruantum, & Clarissarum ipsis adhærentium Vicarios institueret, concessa omni plenitudine potestatis, quæ sibi ipsi Generali Ministro alioquin competeret, atque inter alia, vt Fratres Conuentuales, ad obseruantiam se transferre, & regulariter viuere, veraciter cupientes, de Prouincialium Ministrorum licentia recipere possent, & propria comitia tam Generalia, quàm Prouincialia, cum opportunum videretur, celebrarent, cum aliqua tamen dependentia ab ipsis Generalibus, & Prouincialibus, respectiuè ipsorum Conuentualium Ministris. Et hanc institutionem, & authoritatem, vtriusque Vicarij Eugenius Pontifex diplomate suo, insertis Generalis Ministri patentibus literis, motu proprio, & ex certa scientia approbauit, eandemque authoritatem deinceps tam constanter sustinuit, vt Obseruantes in ea proficiendo perstiterint, donec postea per Leonem X. in eo statu regiminis, tam ipsi, quam Conuentuales, postea constituti fuerunt, in quo hodie, magna vtrorumque quiete, & charitate perseuerant.

CAP. XVIII.

Quid post res Comitiorum Senis compositas fecerit Albertus.

IN illo congressu Senensi, memor sociorum, qui ab ipso ad Aethiopes, Indosque destinati, à Saracenis captiui tenebantur, de ipsorum redemptione oretenus egit cum Eugenio Pontifice, significauitque superesse sumptibus Capituli Generalis Patauini aureos nummos quingentos, qui, si ita Pontifici placeret, in eorum litrum impendi possent. Annuit Eugenius, addita maiore summa, quantum necesse foret. Albertus ergo die 4. Iulii literis scriptis ad Ioannem Martinum Venetum, illum quem diximus Terrę Sanctæ Procuratorem, seu Sindicum Apostolicum constitutum fuisse, qui tunc fortè in Cypro, vel alio Orientis loco degebat, narrat Pontificis in ea causa prouisionem, eiusque Decreto venerandum Presbyterum Ioannem de Morostica, crastina diei illius qua ipse scripsit, Senis Venetias abire, Aloysio, Ioannis Martini fratri pecunias delaturum. *Ac tu vero,* inquit, *studium, & diligentiam adhibe, vt Fratres prælibati minori, quo possunt pretio redimantur, quod si per Dei prouidentiam, de carcere liberati, vel aliter iam sublati de medio reperiantur, certiores nos, & Aloysium, Sanctitatemque Domini nostri reddere procurato, vt pecunia illa in aliquod pium opus, secundum beneplacitum*

placitum Domini nostri, possit erogari.

Neque verò dilectorum, sanctorumque sociorum tam negligens erat Albertus, vt de eorum redemptione, tunc primum cum Pontifice tractasset, sed anno præcedenti 1442. cum eorum captiuitas, & extremæ calamitates certò illi notæ fuissent, literas ad eum dedit Venetiis die 24. Octobris, quamuis, vt in notis aduertitur, per lapsum amanuensis anno 1443. subscriptus fuerit, cuius clausulam hic exhibemus. *Postremo loco clementiam tuæ Sanctitatis exoro, vt Fratres illos ex nostro ordine, à tua Sanctitate ad grandia fidei negotia missos, sed certa Theucrorum captiuitate interceptos, & interceptione ipsa captiuos, Beatitudo tua non æstimet relinquendos. venit autem mihi in mentem Petrum illum, qui pridem profecturus erat in Græciam, pro illorum salute, qui iam diu fidei nostræ suspirant, plusquam dici à me possit, futurum idoneum, ad Fratres prædictos è manibus Theucrorum eripiendos, cum & linguam illorum infidelium probè calleat, & in eisdem Prouincijs habeat parentes captiuos, tantum illi adsit, idonea facultas pecuniarum, quas nec multas oportere esse existimo, cum magis ingenio, & astu quodam diutnæ prudentiæ quam magno ære captiuos illos arbitrer liberandos. Dominus te tueatur Omnipotens, B.P.* ex Venetijs 24. Octobris 1443.

At cum tunc nihil actum fuisset, vel quod pecunia parata non esset, vel ob aliam causam, Albertus iterum Senis Pontifici præsens, & pecuniam illam promptam esse sciens, satis opportunè captiuorum causam exposuit, & rem, vt iam dictum est, facile obtinuit. Nam Ioannes Martinus negotium tam solerter egit, vt in captiuorum litrum expensis tantummodo quadringentis aureis, fratres ipsos saluos, & incolumes, in Italiam remiserit præter vnum, qui per captiuitatis ærumnas, in carcere extinctus inter sociorum manus, purissimum spiritum Christo Redemptori reddidit. Erant autem alij superstites, B. Thomas Florentinus, vir sanctissimus, & plurimis miraculis in vita, & post obitum clarissimus, cuius vitam virtutibus etiam admirandam descripsit Vvaddingus tom. 5. ad annum 1447. aliique eius socii duo, qui tres sani, & salui Romam appulsi sunt, maiori Pontificis, aliorumque quam ipsorum lætitia, qui nimirum amarè lugebant præreptam sibi coronam martyrij, pro qua tanto tempore inter diros cruciatus, ærumnasque, quas Vvaddingus eo loco refert, constantissimè decertarunt,

Inter hæc imperium Græcorum, & Hungariæ, Cyprique regna Saraceni, tùm formidabili potentia, & simultaneo impetu effusis agminibus impetebant, quibus occurrendum censuit Eugenius Pontifex, & conuocatis Christianorum Principum auxilijs, magnas ipse copias terrestres, maritimasque comparabat, quibus in sacrum bellum comgregandis, parandisque stipendijs, viros graues ad præcipuas Europæ partes misit. Atque hos inter Albertum absolutis comitijs ordinis, Vicarij Generalis officio perfunctum, & Iacobum Picenum, Nuntios suos, ad Prouinciam, totumue Patriarchatum Aquileiensem, in idipsum opus amandauit: vbi inter alias copias, in mari Adriatico, & alte-

alteras in Hungaria medij, vtrisque præsto essent, dato amplissimo priuilegiorum, & facultatum diplomate, Quinto Kalend. Iunij, deinde sub anni finem Alberto in mandatis dedit, vt Fratri Iacobo Primaditio, quem nuper Constantinopolim amandauit in illius imperialis Vrbis, & altero Caffæ cœnobijs reformandis, auxilia necessaria contribueret.

In illis literis, quibus captiuorum Fratrum Redemptionem Pontifici commendauit, ab Alberto Dulcetto voce, & frequentibus literis flagitatus, rogauit Eugenium, vt Conuentui Ferrariensi S. Dominici ad arctiorem disciplinam redigendo prouideret, & Ciuitatem Assisij, Seraphici Patris Francisci matrem, & ordini addictissimam Pontifici enixè commendauit, vt eam liberaret, ab aliquo periculo, in quo tùm constituta ferebatur. Inaudiens etiam quosdam apud Pontificem instare, vt literas Apostolicas, quas iam vulgato nomine mare magnum appellamus ab ordine nostro prorsus aboleat, quod ne fiat grauibus argumentis, per aliam epistolam, eodem die Venetijs datam, suadet, & humillimè rogat. In ea Prouincia Veneta etiam anno sequenti mansisse Albertum, reperio in literis die 7. Aprilis Paduæ ad Pontificem scriptis, in quibus Tusciæ Ministrum, studiosum regularis obseruantiæ fautorem, eidem Pontifici seriò commendat. In fine tamen anni, vel initio sequentis 1444. ad Insubres migrasse monstrant epistolæ, quas ad Thomasium Bibium Cypri Regis medicum scripsit, Mediolano 3. Id. Februarii, & 20. die Maii, aliæque ad alios.

Nullum officium religionis, nulla Pontificiæ iussionis imposita negotia B. Virum à diuini verbi prædicatione ferè, vt diximus quotidiana, detinere potuerunt, in quo munere cum Insubriæ agrum hoc tempore percurreret Albertus, restitutis viribus post diuturnum languorem, qui eum integro anno afflixit, per quem ei præ valetudine vix viuere licuit, sub anni 1444. finem, Brixiam profectus est, quo ante octo circiter annos, prius à Francisco Barbaro, illius Vrbis tunc præside venire rogatus est, vt ciues periculosa simultate inuicem diffidentes ad pacem, & concordiam per Euangelica documenta reuocaret. Cumq; per eas, quas diximus, occupationes accedere non potuisset, nunc rem tam fœliciter exegit, vt prius in se mutuo feros, in eum animum diuinitus induxerit, vt maiores ciuitatis, & natu, & authoritate omnes, præter perpaucos reprobos, cum Fratribus conciliari vehementer expeterent. Sed ne ipsa paucorum malitia in alios aliquando diffunderetur effecit, vt pacta pacis in publicas tabulas redigerentur, easque misit ipse Albertus ad Barbarum, tunc Venetiis agentem, vt Veneti Senatus consulto perpetuæ legis robore inuiolabiles fierent, scripta ad ipsum epistola 5. Idus Ianuarii anni 1446. ex qua hæc nobis innotuerunt.

Nec pacem tantum, sed & pœnitentiam, & vitæ sanctioris desiderium ciuibus inculcauit, vt inter alia virgines, & viduæ supra quinquaginta nobiles, & graues decreuerint, terrenis facultatibus, & illecebris abdicatis, sub S. Claræ regula, in perpetua clausura viuere. Senatus Brixiensis pio operi ineundo adiudicauit Hospitale pauperum S. Mariæ de Serpente; scripsitque Albertus ad Eugenium Pontificem, & ad Flauium Blondum

amicum suum, Eugenio à secretis, vt non solum Hospitale, sed vicinam domum, & sacellum S. Crucis, & aliæ quædam Cluniacensium, & humiliatorum regularium bona Pontificio diplomate, in eundem vsum concederentur. Annuit Pontifex diplomate dato, modo legitimi possessores consentirent. Adeòque creuit illius instituti apud Brixianos veneratio, & amplexantium multitudo, vt secundum eius monasterium illis capiendis, anno proximè sequenti fundare oportuerit.

Albertus deinceps, quamquam sexagenario maior, eodem tamen animi vigore, & feruore zeli salutis populorum, eadem austeritate vitæ, eodemque in finem seruandi rigore, & infatigabili laborum tolerantia, & constantia propositi, per Lombardiam vniuersam discurrendo, nunc Mediolani, nunc Bergomi, nunc Cumis, nunc Bustis, & subinde alibi prædicabat, & magistri sui S. Bernardini exemplum sectando gloriosissimi Nominis Iesu venerationem, & cultum, Pontificijs oraculis iam tum approbatum feruenter populis inculcabat. Hortabatur quoque, vbi idoneum videretur, vt publicæ domus hospitales pro pauperibus infirmis, senibus, & expositis pupillis erigerentur. Certè in epistola illa, in qua Eugenium Pontificem orat pro erigendo Clarissarum Brixiensi cœnobio, hæc etiam habet. *Hoc ipsum autem, de quo scribo, flagitant Brixienses misso ad te celeriter, vt aiunt, nouello nuncio, qui etiam T.S. super amplissimo Hospitali conficiendo exorent, quibus, vt de clementia tantæ Sedis postulata suffragia tribuas, supplices ego, & illi oramus, & obtestamur.* Idem suadente Alberto, vt solebat, erigere statuerunt ciues fortassis loco illius Hospitalis S. Mariæ de Serpente, Clarissarum habitationi destinati, vt Mediolani postea tandem factum fuit, ea ratione, quam refert Paulus Morigius, de Hospitalibus Mediolanensibus, cuius (prædicantis Alberti suadelæ) fructum fuisse non ambigo, quem Ripamontius his verbis loco prius per nos indicato, describit. Hoc etiam tempus illud fuit, quo Principis (Francisci Sfortiæ Mediolani Ducis) animum mouit numen, vt sub Nosocomij, siue Hospitij nomine, publicam domum institueret, aperiretque curandis, & alendis vtriusque sexus mortalibus, quos morbus, & egestas, id petere subsidium coegissent. Namque per eos annos, cum lues, & pestilentia prius, deinde frugum, ob desertos agros, inopia vastarent, affligerentque vrbem, debuit multorum adspectus esse miserabilis, qui per compita omnia, absq; vlla humana ope, & solatio, quiritantes, aut insepulti iacerent, etiam in illa imperitantium cura, & benignitate, quæ declarata est, eam speciem idque deforme spectaculum, haud sine magno misericordiæ sensu insedisse Principis animo credibile est. Inde consilium ortum aperiendi Xenodochij, vbi lares, vbi tecta destitutis, & altera quasi patria esset. Huius hodie celeberrimi Xenodochij ingentes progressus, reditus, leges, & quæ inde in vniuersam vrbem, agrumque Mediolanensem, vtilitates deriuantur, idem author prolixa narratione prosequitur, eiusmodi hominum languentium, & feminecium laruarum per omnia vrbis compita discurrentium spectaculum, non poterat pium Christi præconis, B. Alberti

berti animum ad misericordiam non mouere. Et opportunum profectò ipsi fuit, cum non verbis tantùm, sed rebus ipsis, digito monstratis persuadere potuerit: quæ quamquam Francisci Sfortiæ Mediolani regnantis, tempori adscribat Ripamontius nullius religiosi suasoris facta mentione, Albertum tamen post mortem Philippi Mariæ Vicecomitis, prius illa, pro sua consuetudine persuasisse, nobis documento est, quod ciues tunc in Reipublicæ formam per triennium ante Sfortiæ dominatum redacti, de opere perficiendo, deliberauerint. Tunc enim Albertum Mediolani fuisse, & miseranda illa nouæ structuræ motiua, quæ Ripamontius incerto temporis periodo, per eos annos, inquiens, euenisse narrat, simul contigisse, postea referemus. At cum ipsorum Ciuium per trienninm illud intestina dissidia, & partium studia, Sfortiæque Ducatum sibi vindicantis arma, rei perficiendæ obstitissent, ipse Sfortia rerum deinde potitus, noui Hospitalis domus, erectionem diu, grauiterque discussam, decretamq; inchoauit, & anno 1456. die 12. Aprilis teste Morigio, primum fundamentis lapidem iniecit, nomenque dedit magni Hospitalis, idque dedicauit Deiparæ Virgini Annuntiatæ, ac tum primùm anno ab Alberti morte iam sexto Frater Michael Careanus, eiusdem Franciscani instituti, Reg. Obseru. nobilis Mediolanensis, & literis vitæque sanctimonia venerabilis, ac Blancæ Mariæ tunc Ducissæ ab arcanis confessionibus opus promouere cœpit, suoque studio, & sacris sermonibus plurimum promouit, vt fusius narrat Morigius, loco superius indicato.

CAP. XIX.

Quid extremis quinque annis vitæ fecerit.

Beatus Albertus deinceps, dum inter mortales vixit, vt sacris sermonibus declamandis, sic proficuis epistolis conscribendis, quā diu per propriam, publicamue valetudinem licuit, nunquam àbstinuit, anno 1445. Mediolani per epistolam accepit, à Thomasio Bibio, Iani Cypri Regis medico insulam illam à Mamaluchis Saracenis occupatam, & Regem ipsum ad Babiloniæ Sultanum, captiuum ductum fuisse, nec nisi graui tributo singulis annis in perpetuum pendendo, redemptum, indeque secutas regni calamitates, quas Albertus prædixit, 3. Idus Februarij Bibio respondens deplorat; ipsi quoq; Bibio, qui vt eas effugeret, cum familia sua in Italiam peruenit vir Dei gratulatur aduentum, & negotium, ab eo sibi commendatum, provt opportunitas ferret, se curaturum promittit. Eodem loci die 8. Aprilis, per literas ab Eugenio Pontifice petijt, vt Mediolanensis monasterij, quod de Vedano vocant, incolarum quinquaginta quinque scandalosa dissidia ita dirimere vellet, vt ducto per cœnobium integro muro, partem eius vnam assignari statueret tredecim tantum monialibus, quæ pristinam S. Augustini regulam deserere noluerunt, alteram autem quadraginta duabus reliquis, quæ S. Claræ regulam sibi seruandam, perfectioris vitæ studio delegerunt. Causa autem dissidij fuit, quod pars neutra toto cœnobio cedere voluerit, in quo

nimirum

nimirum vtraque longo tempore, & æquo iure vixerunt, dum alteri parti maior earum numerus, alteri vero antiquæ professionis possessio suffragari videretur, Alberti autem suasionis ratio fuit, quod insolens, & inconueniens esset, Moniales, non vnius vitæ, vel moris, in vna domo simul habitare, & vtrarumque voto satisfactum iri, si neutra pars amoueretur, & exorauit, cessaruntque querelæ, vt narrat Vvaddingus tom. 5. ad annum 1448. num. 42. vbi Clarissarum deinceps numeri, & sanctimoniæ incrementa prosequitur.

Celebrabant tunc extra vrbem Patres Prouinciæ Mediolanensis comitia sua Prouincialia, & Albertus aliqua illis communicanda contulit, cum quibusdam ex ipsis, postea verò per literas 19. Aprilis ad comitia datas, eadem cunctis commendauit, misso nuntio, qui ea suo nomine referret, vt Patres pro honore Dei, sibi postulanti satisfacerent: hortaturque, vt ipse loquitur, cum omni humilitate absens corpore, præsens spiritu, vt quæ Dei sunt, præ oculis habeant, nec eos à veritate auertat vlla tentatio, vllus error, vllus denique carnalis affectus, quo minus de bono gubetnatore familiæ suæ prouideant, cuius requisitas virtutes per ordinem recenset, vt denique ipsius monita maiorem apud eos authoritatem haberent, epistolam suam his verbis à nobis alibi descriptis, claudit. *Sustinete, oro vos, modicum quid insipientiæ meæ, nec contemnatis fratrem vestrum, qui etsi, non vita sua, saltem exemplis Sanctorum Patrum nostræ religionis, potest vobis quadraginta annorum indicem texere; quadraginta enim anni sunt, quibus sum educatus cum fratre centum, & decem annorum*, per quæ nobis primi sui in ordine tyrocinij tempus, & contubernium detexit, vt nos in notis ad eam epistolam, & superius in hac eius vita deduximus.

Hinc 20. die Maij Mediolano itidem longam epistolam, seu dissertationem ad Bibium dedit, cui titulum ipse inscripsit: *de conditione amicitiæ, & de malitia inuidentiæ*, de qua re, cum doctè disputat, voluit tamen hoc schemate, & à Bibio solo intelligi, & alijs occultare personis, resque per quas obstabat, quo minus negotium nuper à Bibio commendatum, perficere potuerit. Inuidiam denique, & ingratitudinem turpi characterismo detestatur, Bibioque solatium a propria ipsius virtute, & causæ communitate præbet. Mox in agrum insubrium egressus, vt suo more populos erudiendo circumiret, accepit literas à Paulo Romano, per quas nescio cuius monasterij Sanctarum Christi Sponsarum causam (reformationis authumo) ipsi commendabat, sed per epistolam Busti Arsitij die 30. Maij datam, se inde prudenter exemit, quod videret operam suam plus obfuturam, quam profuturam negotio, propter eorum duritiem, cum quibus tractandum foret, & qui tam honestæ rei pertinacius aduersabantur, in quos, nec ipse authoritatem tunc habebat, nec illi in eum fiduciam, quod suarum partium cum esse non existimarent.

Dum adhuc per oppida, & pagos Albertus prædicando discurreret, ad aliquem locum non insignem (Vvaddingo Falmentam) venit, vbi Antonius Raudensis, seu Raudinus, ex nostris Conuentualibus S. Theologiæ Magister, & ampla eruditione apud suos eo tempore clarus, Albertoque ami-

amicus, natus est, vbi Albertus ipse tunc humaniter susceptus. Hic ad multum populum, ex agris, oppidisque vicinis, concurrentem concionatus est; cum à prandio inter colloquentes aduenas Antonij mentio facta fuit, & vt ludere libuit, quisquam facetè nomen eius irrisit, quod cum esset vir spectabilis, à tam despicabili loco personæ appellationem sumpsisset. Inde Albertus pro Antonio stetit, & argumentum sumpsit epistolæ, pridie Kal. Iulij Galaratæ ad eum scriptæ, in qua eruditè differit, nihil nocere ad virtutem, humili loco nasci; parua quippe loca à magnis virtute viris, gloriam; vrbes ex aduerso cœteroquin insignes à ciuibus vitio famosis, etsi sanguine nobilibus ignominiam non raro deriuasse, quæ ratione, & exemplis prosequitur, literis ergo, & virtuti insudandum suadet, quibus & inter mortales temporaria, & in superna ciuitate gloria remanet sempiterna.

Posteaquam B. Albertus hoc anno Mediolani, Cumis, seu Nouicomi, ac repertis in medio oppidis gratiam verbi Dei seminauit, Bergamum sexto, vel septimo Octobris appulit, ac epistolam ibi sequenti die ad Mathæum Bizarrum Vicentinum, in Creta degentem, dedit, zeli Euangelicæ paupertatis, contemptus pecuniæ, Christianæ charitatis, & compassionis flammis micantem. Petijt ab eo Bizarrus Hieronymi scripta in Ruffinum, & vt erat ipsius olim in Creta vetus benefactor, misit illi per Andream quemdam aliquas pecunias, & postea per Cancellarium, vt eum vocat, aureos nummos duodecim, quibus Hieronymi descriptoribus satisfaceret, prior se pecunias misisse dicebat, posterior aureos non reddidit Alberto. Nihil ab alterutro datum est. At Bizarro rescribens, non solum repudiauit vtramque pecuniam. *Nam illas*, inquit, *nulla ratione recipiam*, *scriptoribus autem diuinitate propitia non deerit ratio prouidendi*, sed etiam pro Andrea orauit Mathæum; *verumtamen*, inquiens, *te oro vehementer pro mutua nostra beneuolentia, ne illi pro hac causa aliquid molestiæ machineris: ingens enim forsitan illum inopia compulit, creditas sibi pecunias auferre, & rubor verecundiæ exterruit confiteri*. De Cancellario autem hæc: *sed vnum est, quod apertè profiteor, longè abesse à corde, & meo instituto, vt te velim perpeti damna. Itaque ab illo repete pecunias tuas, quoniam illas nulla ratione recipiam. Hieronymi ad te scripta in dementem illum Ruffinum gratis, & sine argento, vel auro, aliquando transmittam.* Eodem die, & loco scripsit ad Fratrem Ioannem Pratensem, hominem vt innuit epistola, debilis, & infirmi capitis, qui Albertum sequi cupiebat, & concionantis pedibus assidere. Sed vir Beatus, & prudens eum humanissimè monet, & suauissima epistola à concepta prętensione auertit.

Bergamo Brixiam profectus à Petro Veronense rogatus est, vt concionatorem quempiam, hoc munere pro sua culpa priuatum, restitui curaret, cui Veronensis etiam de sanctimonia vitæ, quam tunc agebat, testimonium insigne præbuit.

At Albertus honorem religionis, & Apostolici muneris dignitatem zelatus, ob graues, iustasque causas, quas in epistola Pridie Kal. Nouemb. data profert, rem postulatam tam celeriter fieri non oportere demonstrat, donec verè pœnitentis emendatio, lon-

longiorque sustinentia, ijs omnibus constarent, quibus ante actæ vitæ ignominia palam fuit. Interea temerarium hominis ausum sugillat, qui cum scelerum pœnas diuturniores luere debuisset, præsumat, quod absurdum est, vt diu turpiter acta vita fastigio tanti ministerij honoretur, quo & Apostoli, & Apostolici viri insigniter claruerunt.

Alias habeo epistolas duas, ab Alberto hoc anno scriptas, sed absque mensis, vel diei datarum indicio, altera quod locum attinet, Cumas; altera Bergamum præfert, & credo scriptas, quando Mediolano, Cumis, Bergamo Brixiam pergeret; Cumis enim respondet Bergamensi Episcopo roganti, vt ad populum suum erudiendum accedere vellet, cui ille rescribit, id sibi in votis esse, verùm quoniam vbique passim discurrenti impedimenta plura, ex occasionibus populorum occurrebant, non potuisse statutum diem, aut tempus veniendi, Episcopo certius polliceri: sed sperare, quod in ipso erat, Bergamum celerius proficisci, nisi alia ipsi impedimenta prouenirent, & præstitisse existimo, nam alteras literas Bergamo dedit ad Episcopum Brixensem, non minori studio flagitantem, vt ad suam ciuitatem, verbo Dei erudiendam venire non grauaretur, sed apud hunc, & si dolenter, se omnino excusauit, ob allatas, & literas maiorum, & causas, quas tametsi Episcopo præsens consideret, sed literis committendas non censuit; Præsulem demum rogauit, vt suæ literæ sicut nec commune consilium ciuitatis, sic nec singulos quoslibet laterent, qui Episcopi discretioni viderentur idonei.

Ardentissimo Alberti zelo, salutis animarum, morumque resomationis, ac dilatandæ Catholicæ fidei, & sitientissimo desiderio martyrij, non satis fuit, omnem oram Italiæ, & magnam Asiæ partem Euangelij prædicatione compleuisse, quin, vt olim Ierosolyma scribens, ab Eugenio Pontifice petijt, vt eum liberum faceret, ad quascumque orbis partes, quamuis admodum remotissimas, siue fidelium, siue infidelium peragrandas, & ad quantumlibet barbaras nationes adeundas, & gentes extraniores conueniendas, assumptis socijs fratribus, qui vel seminandi latius verbi Dei, vel ampliandæ, confitendæque fidei, vel dilatandæ passim gloriæ Saluatoris, vel publicandi diffusius nominis Christi negotio, aut vtiles, aut idonei, aut necessarij ipsi viderentur, ita postmodum Senis ab officio Vicarij Generalis totius ordinis absolutus, ab eodem Pontifice, & B. Ioanne Capistranense Cismontanorum obseruantum tunc Præfecto, quod diu peroptauerat aliquando tandem adeptus est.

Anno igitur 1446. cum Insubriam peragraret, statuit Mediolani 3. Non. Iulij rogantibus pijs ciuibus, cum spe maximarum in Domino frugum, tertium explere annum, aut si Dominus affuisset, peragrata Aemilia, & Ianuensibus paululum salutatis, in Siciliam, & post Pascha in Cataloniam, ac reliquam Hispaniam relicta Italia proficisci: vnde ipsi per testimonium, & grauium, & sanctorum virorum, albescentibus regionibus, missio salutaris suggerebatur, vt ipse ad Eugenium scribens, loquitur, & hæc addidit: *sicut ipse cum tua Beatitudine apud Senas, expleto iam triennio, simul contuli, & tu hoc ipsum, cum Apostolica sapientia*

pientia, plurimum comprobasse, tùm etiam diuina authoritate, non parum roborasse, compertus es. Atque his similia de eadem professione scribit, etiam ad Iacobum Primaditium.

Voluit quidem Albertus, cum Vicarij Christi, & Superiorum ordinis bona venia, & Apostolica benedictione Hispaniam omnem peragrare: non tantùm, vt Catholicis populis, morum sanctimoniam, & crucis Christi mortificationem, per Euangelij prædicationẽ instillaret, sed Mauris quoq; Mahometanis, quibus tunc scatebat Hispania, Christum daturus, aut sanguinem, vt qua prius in Aegypto fraudatus est, corona martyrij, eam nunc secundi certaminis duplici honore intra Europam legitimè reportaret. At, vt nec Sanctis Dei, Antonio Patauino, nec Didaco Complutensi, nec Teresiæ Virgini, sic neque hac, vel altera vice successit Alberto, vt sua desideria compleret, Deo illum reseruante, vt multos Christo lucrifaceret, vt cuius non voluntas martyrio, sed voluntati martyrium defuit.

Etenim Ioannis Tauellij, Episcopi Ferrariensis, viri sanctissimi, & Leonelli Estensis, Marchionis Ferrariæ, coniunctæ preces apud Eugenium Pontificem, & Iacobum Primaditium, Fratrum Obseruantum familiæ citra montes Præfectum, inscio Alberto, exorarunt, vt ipsi per Apostolica simul, & Religionis mandata imponeretur onus, consuetos Quadragesimæ sermones anno subsequenti, ad populum Ferrariensem, declamandi, vtriusque mandati literas cum adiunctis suis, Leonellus Mediolanum, ad Albertum, nihil tale opinatum transmisit, per nuncium, qui eum Ferrariam saluum conduceret. Albertus omnibus idem responsum, sed forma pro personarum varietate diuersa, rescripsit, constitutam sibi Hispanicam professionem commemorans, hanc tamen, & cætera quæuis proprij arbitrij sui, Pontificis, & regularis Prælati obedientiæ, Marchionis autem, & Episcopi in ipsum beneuolentiæ postponens, promisit se opportuno tempore, modò obstaculis liberum, adfuturum, Leonello quidem Quarto decimo kal. Iulias, Pontifici autem, & Primaditio 5. Non. eiusdem mensis. Eodem die Bartholomęo Rouellæ Romæ degenti, collatum nuper Episcopatum Rauennatem aggratulatus est, ampliora certò promittens, modò is, non quorundam nouorum vitam, sed veterum Episcoporum virtutes imitaretur, cum breui, & vt aiunt, remissiua hortatione, ad easdem, suorumque votorum, & precum oblationes. In qua re prophetasse Albertum, sequentis Rouerellæ progressus, apud Ciaconium, & Vghellum relati, indicare videntur.

Interea Mediolani moratus importunis, & instantissimis precibus Monialium monasterij S. Mariæ de Cantalupo, ordinis S. Augustini coactus est, vt 2. Non. Iulij non orando ipse, sed referendo tantum, earumdem preces Pontifici exponeret. Volebant enim omninò, vt Fratrum S. Francisci Reg. Obs. cœnobij S. Angeli cura, & gubernatione regerentur in qua re, si opus foret, vt S. Claræ regulam amplecterentur, ad id se promptiores exhibebant, quam vt ad pristinam viuendi licentiam redire cogerentur, à qua illas olim, ad mores professioni ipsarum congruos, Deo gratos, & mundo exemplares, redu-

reduxit S. Bernardinus Senensis. Quid porro actum fuerit narrat Vvaddingus tom. 5. Annalium. Non cessabant Brixiani per literas, & nuncios Beatum Virum, ad ciuitatem suam pleniùs instruendam, ciuilesq; dissensiones exterminandas instantissimè sollicitare, cumque per literas ante indicatas, Episcopo, & consilio ciuitatis se satis excusasse videretur, adfuit kal. Augusti nuncius cum literis populi Brixiensis nomine porrigendis: quibus eo die Mediolani respondit ille: reticere se propria argumenta, quæ nondum sublata videbantur, at nunc noua etiam pericula nata esse, maioris mali, quam fuerit expectatio fructus, propter quæ venire non posset, spem tamen præfert, ablatis obstaculis, aliquando veniendi Monet interea ciues, vt rem suam ità disponant, quo veniens ipse factu faciliorem inueniat, & causas dilationis accessus, quas chartæ committendas non censuit, populo tamen referendas nuncio commisit.

Inter hæc obijt in Domino die 14. Iulij venerabilis seruus Dei Ioannes Tauellius, Episcopus Ferrariensis, eique 6. Id. Augusti Romæ in Episcopatu suffectus est, Franciscus Ligaminius Paduanus, Eugenii Pontificis Thesaurarius. Hic futuræ curæ Pastoralis suæ dimidium se habiturum ratus, si Ecclesiæ suæ regiminis initium, ab Alberti sacris monitis, & disciplina sumeret, & optimi præcessoris, Leonellique Principis proposito insistens, per literas 21. Octobris Romæ datas Albertum enixè rogauit, vt concionibus Ferrariæ per sacri ieiunij ferias, proximo vere habendis omninò non deesset. Papiæ tunc agens Albertus die 17. Nouemb. Ferrariæ se tempestiuè futurum promittit, dummodo noua non interuenirent impedimenta.

Hac autem occasione, vt capillata fronte hominem arripiens, Episcopum ipsum priusquam populum commonendum sentiens, refert primum admirari omnes, eum Episcopali dignitate donatum fuisse. Eum autem solatur, cui illa fœlicitas euenit, quod illi Ecclesiæ præfectus sit, in qua nuper in pace defunctus Sanctæ mem. Tauellius, diu laudabiliter præfuit: *qui tibi*, inquit, *& pro ætate magister, & pro sanctitate exemplo, & pro meritis, ac factorum claritate incitamento futurus sit*. Tum exponit arduitatem Episcopalis officii, ad quod assumptum Franciscum, tam feruenter hortatur, vt si Ioannis præcessoris merita, superare, quod optat, non possit, certè adæquare conetur: sic summam gloriam, vt alioquin summam verecundiam habiturus: vt his B. Alberti monitis, hortatuque comparata sit, admiranda illa vitæ Francisci mutatio, quam refert Vghellus, vbi scribit, Franciscum, & licentiosa vitæ ratione, repentè Spiritus Sancti gratia, cunctis admirantibus, in virum optimum mutatum fuisse, magnæque existimationis Præsulem euasisse, atque adeò Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. & Pio II. Romanis Pontificibus eximiè charum fuisse.

Francisci epistolam, & responsum hoc suum Albertus eodem die, & loco, tamquam vades futuræ suæ ad illos profectionis, misit Ferriam ad Guarinum Veronensem Leonello Marchioni legenda. Quamquam autem Guarino scribens profecturum se ad illos celeriter, post festa paralia spondet, Insubria tamen non tam cito excessit. Etenim ne Brixiensi

Epi-

Episcopo; & consilio ciuitatis, per priores epistolas illudere, vel populum eo indigentem crudeliter deserere, & Christi causam negligere videretur, ad illos post festa profectus est, & firmata dissidentium ciuium concordia, eas literas ad Franciscum Barbarum scripsit, quarum ante meminimus, pro pace per Veneti Senatus decretum perpetuanda, suasque preces ad Eugenium Pontificem resumpsit, pro fundatione monasterii Clarissarum, ac, vt ante diximus, negotii accelerationem Blondo Flauio Secretario, Mathæo Cubiculario Apostolicis, & Fratri Ioanni Capistrano, tunc Romæ degenti commendauit. His per mensem Ianuarium actis, cuius die 21. vltimas literas Brixiæ dedit.

Dedit etiam ibi aliam epistolam ad Ludouicum Vincentinum, per quam castitatis cultum in eo laudat, eiusq; diligentissimam custodiam pluribus suadet, & longum, doctumque, nec minus disertum commentarium ad Paulum Romanum, quo neruosè demonstrat, insolentes corripiendos esse, nec obstare fraternæ correctionis ordinem, aut ficta quædam emendationis indicia, vbi charitas, aut alia necessitas exigit correptionem. Post hæc Ferrariam profectus est, vbi officio suo fungens intellexit Eugenium IV. Pontificem obijsse, & Nicolaum V. illi successisse, ergo hoc anno ab Incarnatione Domini, non à Natiuitate computando 1446. alias 47. literas, quæ apud nos ipsius vltimæ sunt, ad Nicolaum dedit Ferrariæ die 15. Martij, in quibus pro Sedis Apostolicæ reuerentia, cui ipse diu, & bene inseruijt mortem amarè luget, Nicolao autem omnem fœlicitatem, & Apostolicas vires, ad sustinenda supremæ dignitatis onera precatur, suaque obsequia, sicut Eugenio fideliter præstitit, sic Nicolai nutibus humiliter, ac deuotè submittit.

CAP. XX.

B. Alberti Sarthianensis gloriosus obitus.

HOC nobis anno 1447. à natiuitate Domini, Alberto autem ab incarnatione 1446 vsque ad festum Annunciationis obijt Eugenius Pontifex die 23. Februarij, & suffectus est illi, non minoris virtutis vir, Nicolaus V. die 6. Martij, obijt etiam eiusdem anni die 13. Augusti Philippus Maria ex Vicecomitum domo, vltimus Mediolani Dux. Hinc turbulentissima totius Lombardiæ conditio fuit, & Mediolanensium præsertim maximè miserabilis. Defuncto enim Principe, sine filio, vel fratre hærede, rati Mediolanenses tempus illud esse depellendæ seruitutis, quam centum tùm & sexaginta quatuor annos Ducibus è Vicecomitum domo perpetuo succedentibus seruierunt fortius, quam fœlicius pristinam ciuilis Reipublicæ formam præ vllius absoluti Principis dominatu delegere. Qua ratione se libertati restitutos fore non dubitabant. Sed quali? extra pugnis, intus timoribus, calamitatibusque captiuæ. Plebs tota hanc regiminis rationem omnino volebat, à paucis quibusdam nobilibus fota; cum reliqua nobilitas numero minor plebe Principem optabat, sed ipsa in partes discissa: quæ Alphonsum Aragoniæ Regem, tamquam hæredem à Philippo moribundo

bundo dictum; quæ Carolum Aureliani Ducem, vt eiusdem Philippi ex sorore nepotem, quæ Franciscum Sfortiam, virum fortissimum, & Principe dignis dotibus præstantem, & Blancæ Mariæ Philippi filiæ contoralem, & ab eodem adoptatum filium acclamabant. Nec defuerunt alij, præsertim Veneti, qui ad nobilissimæ Prouinciæ dominationem, seu bello, seu paciscenda pace, & ciuium assensu obtinendam anhelabant.

Atque horum omnium copiæ militares, tam sociales, quam propriæ, Insubriam vniuersam fusis agminibus bellico furore, repleuerunt: & quidem Veneti, cæteris magis inuisi, ipsis penè Mediolani mœnibus incubabant. Solus Sfortia, & Philippi affinitate ductus, pro illa aduersus reliquos omnes fortiter, fœliciterque dimicare primum visus est. At ipse quoque, & si specietenus ciuium Senatui, sed reuera sibi mox regnaturo, & vrbem, & Prouinciam integram conseruare studebat, & reliquas conquirere ciuitates, quæ ante Philippo parebant. Sed harum præcipuæ, Mediolanensium exemplo, nec ipsi Mediolano, reliquarum prius Principi, nec vllius viri Principis dominatui, subesse volentes, absolutæ Reipublicæ libertatem sibi statuerunt. Cum tamen hæc ipsis Mediolanensibus adeò malè successerit, vt per eam coacti sint, primis Magistratibus præficere mecanicos opifices, aliosque vilissimos homines, nec virtute, nec ingenio, nec rerum agendarum vsu potentes aut futura prospicere, aut præsentia ritè disponere: atque adeò Reipublicæ gerendæ ineptissimos, sed solo populari furore fretos. Inde illa agrorum desolatio, & reliquæ calamitates, quas ex Ripamontio superius descripsimus, præsertim in vrbe, agroque Mediolanensi, acerbissima caritas annonæ, quam Bernardinus Corius, his verbis, sed patrio idiomate describit.

Aduenit iam dies vigesimus mensis, & Mediolanenses extrema fame, vsque adeò oppressi fuerunt, vt eam vlterius tolerare non possent, & pauperes plurimi erant, qui pro depellenda fame, non tantum equos, & asinos, sed catos quoque, & canes, ac talpas, seu sorices, aliasque res multas, quas natura hominum abhorret, in delitijs habebant. Ac proinde in publico foro Broleti, vt suauissimi cibi prostabant: nec non, vt & radices absque condimento comederent, contentiones, ac tumultus, nonnunquam concitati fuerunt. Nemo non locuples gustabat vinum, eaque necessitate constricti plures, annosi, & morbidi, per vias, plateasue peribant. Vnde omnia passim planctu, stridore, lamentis plena, nec tamen de alia re loqui licebat, quam de conseruanda illa phantastica libertate. Propterea plurima plebs, quæ hostium discretioni potius, quam inediæ se committere malebat, cum vxoribus, & liberis ex vrbe in agros abibant, vitamque miserrimam in campis tolerabant. Multi etiam consensu Magistratus, ad vicina castella fugiebant, si forsitan incolę misericordia moti, illos admittere vellent. Sed Franciscus vrbem tunc ad deditionem constringens, quamquam summo dolore suo, bellici tamen iuris necessitate, & ciuium obstinatione adactus, præcepit, vt nemo illis succurreret, sed omnes in vrbem repellerentur, quo factum, vt multi se in locis desertis absconderent, & fugientibus viris, ne

capti

capti tenerentur, eorum vxores, à maritis derelictæ cum infantibus à pectore pendentibus, & maiusculis puellis vagabundæ per agros incederent, vbi aliud alimentum non reperiebant, quam herbas, radices, & aquam. Multæ virgines, & matrimonio coniunctæ, vt viuere possent, sese cibum porrigent cuique prostituerunt. Ità Corius.

Iacobus Bergomensis in supplemento chronicorum ad annum 1448 hæc addit. Solis defectio hoc anno 4. Kal. Septemb. hora sexta facta est, quo anno maxima, & cruentissima bella multis in locis surrexere: in Anglia enim, & in Gallia, Germania, Flandria, Prussia, Pannonia, Apulia, & vniuersa Italia, & Græcia, cædes, rapinæ, direptiones, incendia, vastationes, & infinita propè mala, & damna subsecuta sunt, sequenti deinde biennio tanta vbique fuit pestis, vt de multis pauci remanserint, maximè Mediolani anno 1450. vbi ad sexaginta millia vrbanæ multitudinis extincta sunt, & per agrum Mediolanensem fœda strage grassata est. Quod quidem malum, præter penuriam magnam, etiam superior Solis defectio, & frequentes terræmotus indicauerunt.

Tunc Albertus noster munere suo Ferrariæ laudabiliter functus, incipientibus his malis compassus, omissa hispanica profectione, Mediolanum profectus est, ibique per fatale hoc triennium circiter, ad mortem suam vsque non destitit per sacros sermones publicos, priuatosque omnì charitatis opere, & remedia malis afferre, quæ poterat: nunc prouidere pauperibus ægris, & derelictis orphanis, ex campestri illa errabunda venere natis, nunc populum, proceresque vrbis monere, vt eiusmodi flagellorum Dei causas, & irritamenta vindictæ, & iustæ iræ Dei, peccata è medio tollerent, ac pœnitentia delerent: vtq; holocaustum Deo pro tot egenorum stragis peccato pecunias suas deuouerent, vtque duraturum sacrificium erigerent, quo ruina vtcumque reparari posset, domum illam hospitalem, de qua ante diximus. Arbitror etiam ipsum, hac occasione sermones illos, coram Francisco Mediolani Duce habuisse, quos conciliares eius iniqui consuluisse diximus. Nec enim citius poterat, nec serius. Franciscus namque non ante initium anni 1450 rerum sua fortitudine, & prudentia potitus, die 26. Februarij summo nobilium, populique plausu in vrbem admissus, & Mediolani Dux acclamatus est. Albertus autem sexto post mense, mortalem hanc vitam cum Beata æternitate commutauit. Virtutum enim, & laborum præmia recepturus anno redemptionis humanæ 1450. & ætatis suæ sexagesimo sexto, quo sacrum Iubilæum celebrabat Romæ Nicolaus V. Pontifex, & Bernardinum Senensem, Alberti religione Patrem, & in sacris rebus magistrum in Sanctorum cathalogum solemni ritu retulit.

Die vero 15. mensis Augusti, in die sacerrimo, quod eodem olim Deipara Virgo Maria, Domina nostra, corpore, & anima in Cœlum assumpta credatur, & ea solemnitate celebretur, Alberti ipsius anima, mortali corpore exuta, cœlesti triumpho, ad Sanctorum societatem, & beatam vitam recto tramite, in Cœlum translata est, è sui ordinis cœnobio Mediolanensi, quod S. Angeli vocant, ac tunc extra illius vrbis mœnia fuit. Huius B. Alberti in Cœlum assumptionis

ptionis testem nobis Deus esse voluit B. Ioannem Capistranensem, superum spectaculis iam dudum assuetum. Is enim procul Mediolano Biturgij, quod Burgum S. Sepulchri vulgo vocant, in Etruriæ, Vmbriæque confinio, de Dei Matris assumptæ gloria, eodem die sermonem mane ad populum habuit, post quem in communi mensa cum Fratribus prandens in ecstasim raptus est, & sensibus mox restitutus exclamare cœpit, ò me Patres! video animam cuiusdam Fratris nostri in Cœlum euolare, en speciosa vadit, en properat pulcherrima, idque fixo in Cœlum, hilari, & radiante obtutu sæpe repetebat. Inde ad orationem secedens, diuinitùs doctus est, animam illam fuisse, cœlestis Euangelij tubæ, Fratris Alberti Sarthianensis, tunc sarcina corporis exolutam, idque ad Fratres reuersus reuelauit: mortuus est, inquiens, Frater noster Albertus Sarthianensis. Quod ita contigisse, postea compertum est, & præsentes tunc socij Ioannis, alijque eius, & Alberti vitæ scriptores, literis consignarunt.

Alberti corpus in eodem cœnobio sepultum tunc fuisse, plerique scribunt, idque venerabiliter factum, Marianus Florentinus, qui tunc viuebat, affirmat. Sed quo templi, vel conuentus loco, nemo prodit, vt neque quo morbo ad mortem decubuerit. Certè sepulturæ locum notum fuisse oportuit, cum populus ad illum concurreret, & Alberti post ipsius mortem inuocatis suffragijs, necessitatum suarum remedia, per miracula reportabant, vt vitæ, & virtutum serui Dei scriptores vnà vetusti, nouique narrant, quorum ipsa verba nos postea conferemus, tametsi nullum in specie miraculum proferant, ab illo patratum post mortem. At post centum deinde annos hoc est 1551. templum illud S. Angeli, totumque cęnobium à Fernando Gonzaga tunc Insubriæ Rectore, sub Carolo V. Cęsare belli causa, demolita fuerunt, ne hostilibus copijs in proximam vrbem commoda forent, & noua fratribus intra mœnia constructa sunt, cum eadem veteri inuocatione Sancti Angeli. Sed quamquam Vvaddingus cum alijs referat, ipsos fratres secum ad nouum monasterium transtulisse, piorum hominum, aliorumque fratrum ossa, non scitur tamen vbi vllus nunc ipsorum iaceat. At si coniecturæ hic locus sit, ego existimem, vel Alberti lipsana, cum alijs venerabilium virorum ossibus mixtim translata, & in vnum noui templi loculum, cum illis ingesta fuisse, vt nullius hodie peculiaris sepulturæ distincta memoria, post ducentos triginta, ac plures annos à morte, & à translatione, centum circiter triginta supersit: vel fortassis illum, ex illis sexaginta millibus vrbanæ multitudinis eo anno Mediolani peste peremptis, vnum fuisse, atque adeo tunc in loco ab alijs separato sepultum, quem deuotus populus, absque periculo contagionis accedere posset. Sed fratres tempore migrationis, locum aperire non ausos, ac proinde B. Viri corpus, destructo conuentu ibi reliquisse, ac temporis diuturnitatem aboleuisse memoriam. Vero similius est, quod noui conuentus incolæ tradunt, omnes seruorum Dei, etiam Alberti nostri exuuias, quæ in veteri cœnobio sepultæ fuerunt, ad nouum simul cum corpore B. Beatricis Rusconiæ translatas esse, & circa eiusdem B. Mausoleum repositas, ibique etiamnum iacere.

Verùm dum Alberti caro, vbicumque

cumque requiescit in spe, tunc nihil occultum, quod non reuelabitur, quando mortale hoc immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionem. Plures profecto in Cœlis beati sunt, quorum vel nomina nescimus, etsi in libro vitæ conscripta, quam quos nominatim colimus. Plures quorum corpora, vel in cineres redacta venti per aera rapuerunt, vel aquis absorpta piscibus pastum præbuerunt, vel aliter latent, & amissa sunt, quàm quæ integra, vel non integra, cum summa veneratione seruantur, & illa olim proprijs animabus vnita, in Cœlis gloriosa conspicientur. Nobis interea eorum, quos nouimus præclaræ virtutes, & merita ad gloriam Dei authoris, ad Beatorum virorum honorem, nostramque vtilitatem, & vniuersalis Ecclesiæ exaltationem, hæreticorum confusionem consideranda sunt, & omni, quo licet modo colenda; vt proinde pia mater Ecclesia Sanctorum omnium Beatitudini per singulos annos recolendæ certum diem constituerit, ne illis nobis, vel non certo, vel nullatenus notis, sua vel communionis Sanctorum, vel debiti cultus pars in Ecclesia militante desit, & vt nos eorum suffragia apud Deum pro nobis interesse precemur.

CAP. XXI.

Doctrina Sanctorum Patrum de duplici genere miraculorum.

VT Beati Alberti Sarthianensis miracula vtriusque generis solidius exponamus, præmittenda fuit bipartita hæc miraculorum differentia, in ea, quæ in corporibus, & ea, quæ in animabus curandis perpetrantur, atque vt ipsius differentiæ ratio, & alterius præ altero genere dignitas clarius elucescat, per quam ista longè maiora miracula, illa minora, communi Patrum sententia reputantur; ipsorum propria verba describenda censuimus, ne in re grauissima nostrum potius, quam ipsorum sensum exprimere videamur.

Itaque Sanctus Gregorius Homil. 29. in Euangelia, miracula illa, quæ Christus eos, qui credidissent, secutura promisit, In nomine meo dæmonia eijcient &c. cum prædicantium laboribus, & operibus pietatis, comparando, hæc ipsa opera, & miracula vocat, & alijs illis miraculis maiora esse docet, *quæ nimirum miracula*, inquiens, *tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa, Fratres charissimi, authore Deo, si vultis, vos facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hæc operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt, hæc vero spiritualia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt; istis autem perfrui, nisi boni non possunt.* Et post pauca. *Nolite ergo, Fratres charissimi, amare signa, quæ possunt cum reprobis haberi communia. Sed hæc, quæ modo diximus charitatis, atque pietatis, miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto & occulta: & de quibus apud Dominum, eo maior fit retributio, quo apud homines minor est gloria.*

Idem lib. 5. Dialog. Cap. 4.

pga.

pag. 214. *Sed quid plus quæris operis, quando concordabat vitæ munditia cum studio prædicationis, tantus quippe illum feruor ad colligendas Deo animas accenderat, vt sic monasterijs præesset, quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem patriæ cœlestis excitaret. Erat vero valde vilis in vestibus, atque ita despectus, vt si quis illum nesciret, salutatus etiam salutare despiceret: & quoties alia tendebat ad loca, iumento sedere consueuerat, quod esse despicabilius omnibus iumentis in cella potuisset reperiri, in quo etiam capistro, pro fræno, & veruecum pellibus pro sella vtebatur. Per semetipsum sacros codices in pelliceis sacculis missos, dextro, læuoque portabat latere, & quocumque peruenisset scripturarum aperiebat fontem, & rigabat prata mentium.* Quibus verbis S. Doctor Albertum nostrum graphicè descripsisse videtur: præterquam quod Albertus, nec iumentum habebat, nec pecuniam, qua ipsum conduceret; sed nudis pedibus per vias incedens, iumentum ipse pro Christo factus sacros codices suo dorso vehebat. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.*

Sed pergit Gregor. lib. 3. Dialog. Cap. 17. pag. 260. cum Petrus dixisset, *se præ cunctis miraculis hoc potius existimasse miraculum, quod ad vitam mortui redeant, eorumque animæ ad carnem ex occulto reuocantur.* Sic intulit Gregor. *si visibilia attendimus, ita necesse est, vt credamus, si verò inuisibilia pensamus nimirum constat, quia maius est miraculum, prædicationis verbo, atque orationis solatio, peccatorem conuertere quam carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro, iterum moritura, in illo vero anima in æternum victura.*

Quam suam sententiam Lazari resurrectionem cum Sauli conuersione conferendo, amplius illustrat Greg. vbi Pauli virtutum exercitia, præ proprijs eius miraculis extollit, & sic tandem concludit. *Ecce qualiter viuit, qui ab inferno mente ad vitam pietatis rediit, minus est ergo quempiam in carne suscitari, nisi forte per viuificationem carnis ad vitam reducatur mentis, & ei hoc agatur per exterius miraculum, quatenus conuersus interius viuificetur.*

Breuius loquitur venerabilis Beda in psal. 76. *Tu es Deus, qui facis mirabilia. Quid mirabilius, quam viuificare mortuos, hoc est, de impijs facere pios, de damnatis in regnum assumptos.* Idem in cap. 14. Lucæ lib. 4. cap. 48. *tria signa simul in vno homine perpetrata sunt, cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dœmone, liberatur: quod & tunc quidem carnaliter factum est, sed & quotidie completur in conuersione credentium, vt expulso primum dæmone, fidei lumen accipiant: deinde ad laudes Dei, tacentia prius ora laxentur.*

Sanctus Augustinus in psal. 70. tom. 8. pag. 313. col. 1. C. *Quæ sunt putas mirabilia Dei? quid mirabilius inter Dei mirabilia quam mortuos suscitare? mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui, corpore viuunt, sed corde extincti sunt.* Et ibidem col. 2. *A. dicam enim audacter, Fratres, sed tamen verum, duæ vitæ sunt, vna corporis, altera animæ, sicut vita corporis anima, sic*

vita

vita animæ Deus: quomodo si anima deserit, moritur corpus, sic anima moritur, si deserit Deus. Idem in Psal. 97. pag. 448. col. 1. B. *Ecce mirabilia fecit Dominus, sed multo maiora mirabilia sunt, quod totum orbem terrarum, à morte sempiterna erexit, quam quod vnicum filium matris viduæ suscitauit.* Et secundo loco superius citato. *Deus*, inquit, *quando resuscitat corpus, mundo reddit, quando resuscitat animam, sibi reddit*, quasi dicere velit, vt quo magis est, animæ Deus, quam corpori mundus, eo quoque difficilius, est Deum animæ, quam animam corpori restituere, eo maius miraculum sit illud quam istud facere.

Sanctus Hilarius lib. 2. de Trinitate pag. 10. col. 2. *expectate nihil minus claudorum cursu, Cęcorum visu, fuga demonum, vita mortuorum, quærite, & intelligite, circumspicite, vtrum mirabilius fuerit, mortuum resuscitasse, an imperito scientiam piscatori doctrinæ illius intimasse. In principio erat verbum &c.* quæ sequuntur, quasi dixisset maius miraculum esse, ignorantem instruere, quam oculo cæco visum reddere, quo caducarum rerum formæ discernuntur, id quod ipsum Dei verbum renuntiari iubet: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ vidistis, & audistis. Cæci vident, Claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur*, Math. 8. His enim tanquam per gradus à minoribus miraculis ad maiora ascendens, mortuorum resuscitationem penultimo loco, sed discipulorum, turbarumque conuersionem, vt reliquorum maximum, vltimo loco pronunciauit. Hoc ipse Christus Dominus iterum Math. 4. eodem sensu expressit, quando Capharnaumitis volentibus ipsum propter frequentiam miraculorum apud se detinere, non respondit se debere alibi quoque similia miracula facere, sed quoniam inquit, *& alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum*, tamquam ad maius miraculum, ad rem tam arduam, & innatæ, sed corruptæ hominis libertati contrariam, vt quis lapidem in ceram, & glaciem in flammas, quam infidelem ad fidem, aut cor durum ad pœnitentiam facilius conuertat, nisi Deus fuerit cum illo, & digito suo vngat eum. Hoc enim miraculum miraculorum est, & corporalium illorum scopus, & finis. Nam vt Gregorij verba repetamus. *Minus est quempiam in carne resuscitari, nisi forte per viuificationem carnis, ad vitam reducatur mentis, & ei hoc agatur, quo per exterius miraculum conuersus, interius viuificetur.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus, Tom. 4. Serm. 4. in epistolam Pauli, ad Philip. longa dictione Pauli propositum explicans, & laudibus extollens, quod ille timens, an dum alijs prædicauerit, ipse reprobus efficeretur; elegerit tamen in laboribus, ærumnis, & periculis huius vitæ, propter gaudium fidei, & profectum fratrum magis, quam certum Cœli dissolui, & esse cum Christo in secura, & æterna requie, & gaudijs Paradisi Sanctus Præsul hortans auditores suos, vt in idipsum incumbant, ait, *nam, carissimi, credere in Christum, & pati pro Christo verè longè mirabilius est, quam cadauer ad vitam reuocare, & cætera miracula facere.* Idem rursus Tom. 4. Serm. 32. col. 503. & 504. *Quando charitatis est impositum diadema, id sufficit, ad osten-*

ostendendum perfectum Christi discipulum, non solum nobis, sed etiam infidelibus.

In hoc enim, inquit, *cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si alter alterum amatis. Quamobrem hoc signum est in omnibus signis maius, si quidem in ipso cognoscuntur discipuli; nam Paulum quoque propterea admiramur, non propter mortuos, quos excitauit, neque propter leprosos, quos mundauit, sed quoniam dicebat: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Nam si decies mille signa ad hæc adieceris, nihil dices quod ei possit conferri. Et cum se præponit Apostolis, non dicit plura quam ipsi feci signa, sed plus quam ipsi laboraui.*

Accedat Ambrosius Serm. 13. qui est 2. de Epiphania Tom. 5. col. 18. B. de conuersione aquæ in vinum. *Si mirabile est vtique quæ defecerant conuiuis vina suppleſſe, quanto est mirabilius, vitam, quæ est exhausta, hominibus reparaſſe*, vtique spiritualem, nam sequitur, *et si gloriosum est, aquam in vinum commutare, quanto est gloriosius, peccata in iustitiam commutare, & mores potius temperare, quam pocula? constat enim ex ipsis vasculis illos hausiſſe ebrietatem, nos haurire iustitiam, illos percepiſſe vini poculum, nos calicem salutis accipere.*

His adiungi possunt Sanctorum Patrum disertæ phrases, per quas corporis morborum nomina propria, morbis mentium indubitanter attribuunt S. Leo Papa Serm. 2. in Quadrag. *graui morbo vrgetur, qui carnis voluptatibus emollitur.* S. Ambrosius in Euang. Lucæ lib. 4. cap. 4. Tom. 3. col. 71. *Non minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris, itaque illa animam, hæc corpus inflammat; febris enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant.* Et infra, *vehementior tamen est animi, quam corporis febris, & ideò pro animi voluptate, corporis salus plerumque contemnitur, nec à periculis abstinetur, sic febre libido flagrantior est, grauiusque præcipitat, & inflammat*, quod cum ità sit, statim consequitur maius miraculum esse hanc pellere, quam illam. S. Augustinus tract. 44. in Ioannem. *Cæcitas est infidelitas, illuminatio fides*, & iterum vt supra non morbos, sed mortem etiam, mentis vitia vocat. *Mortui sunt*, inquiens, *omnes infideles, omnes iniqui, corpore viuunt, sed corde extincti sunt.* Sic illi, sic alij Sancti Doctores loquuntur, & rectè quidem, quoniam ea peccata, & mali affectus animi mortalia sunt, quod animæ vita, quæ Deus est, animam propter illa deserit, non minus quam corpus moritur, cum ipsum deserit vita ipsius, quæ ipsa anima est.

CAP. XXII.

B. Alberti maiora miracula.

QVisquis modo scire cupit, quot huius generis maiora miracula patrauerit B. Albertus, Europam, Africam, Asiamque percurrat, interroget Indos, Aethiopes, Aegiptios, Syros,

Syros, Palęstinos, Græcos, Armenos, Cyprios, Rhodios, Cretenses, & qui omnem Italiæ oram inhabitant, inuenietque multo plura, quam nunc fortassis cogitatione complectitur. Inueniet infideles ad vnius veri Dei fidem, & Sanctissimæ Trinitatis confessionem per eum conuersos: inueniet hæreticos Catholicæ fidei pertinacissimos hostes, & sæuos persecutores ab eodem triumphatos: inueniet multorum sæculorum inueteratos schismaticos, quos ille colla sua Pontificis Romani pedibus prosternere fecit. Inueniet perfidos Christi desertores, Mahometi sordibus fædos, quos ille per se ipsum, Dei gratia mundatos, Christo, & pietati restituit, inter quos omnes corporalia quoque miracula perpetrasse, piè credendum est. Quod si negetur, ego de Alberto dicam, quod de Apostolis Christi scripsit Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 5. in fine. *Si per Apostolos Christi, vt eis crederetur, Resurrectionem, atque Ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula visibilia, scilicet facta esse non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis, sine vllis miraculis credidit.* Ita quod per Albertum tot gentes pluribus, & multifarijs erroribus irretitæ, in tot sceleribus emortuæ, & in malæ consuetudinis puteo sepultæ ad veræ fidei lumen, sine vllis miraculis perductæ sint, & ex impijs, pietati, & Christianæ vitæ perfectioni restitutæ reperiantur, insigne est miraculum.

At ne nos quispiam hac generalitate aerem verberare dicat certa quædam huius generis miracula, notatu digna selegimus, quæ fidem alijs astruere possunt. Imprimis, quot, quantisque morbis mentis ægrotasse, quot mortibus extinctum corde credemus, Nicolaum illum Venetum de Comitibus cognominatum qui deserta Christi religione, à iuuentute sua per annos quadraginta Mahometi spurcissimam legem professus est, omnibus ijs vitijs obnoxius, quæ ex lex illa lex aduersus diuinæ fidei veritatem, & honestatem morum, vel præcipit, vel permittit, atque hunc ad veræ fidei lumen, è cymerijs tenebris eduxit Albertus, eumque ad scelerum pœnitentiam, integritatem morum, iustitiam, & pietatem reduxit, idque in medio Cayri; quæ Ciuitas Aegypti pręcipua, tunc Saracenismi Sedes, Sulthani Babiloniæ, & Mamalucorum Christo rebellium, regia, omnium ex omni Christiano orbe Apostatantium cloaca fuit, inter quos poligamus Nicolaus cum vxoribus, & liberis post totum pene Orientis vagam peregrinationem habitabat, eumque cum alijs victoriarum suarum trophæis, ad Romani Pontificis osculanda vestigia, & œcumenici concilij dogmata veneranda, cum duobus eius filijs, Florentiam perduxit, simul cum Aethiopum, Aegyptiorum, Iacobitarum, Schismaticorum, Hæreticorumque pignoribus, & solemni illarum gentium legatione, quos vt ipse B. Vir epist. 64. ad Eugenium Pontificem Rhodo scribens loquitur, magno cum periculo præ rabie Saracenorum, vix tandem ex Cayro, veluti ex fornace ferrea Aegypti, ac tamquam prædam ex ore immanis belluæ eripuimus.

Vt hæc in Aegypto facta sunt, aliud non minus miraculum eodem loci, ab Alberto patratum est, quod S. Chrysostomi sententia verè est longè

gè mirabilius, quam cadáuer ad vitam reuocare, & cætera miracula facere. Perpetuo ardore cupiebat Albertus dissolui, & esse cum Christo: quæ res illi iam prompta fuit, quando per pronuntiatam in eum tùm Sultani sententiam, Cayri ferreis vinculis constrictus, pro Christi fide tuenda gloriosam mortem lætus in horas expectabat, quod etsi sibi melius reputasset; Pauli tamen Apostoli zelum secutus illam suam æternam fælicitatem, vt differret, & per Christianos liberari se vellet, persuaderi sibi passus est, vt multos Christo lucrifaceret, & commissa sibi fidei legatione fungeretur, vt tum verè cum Chrysostomo in Pauli persona scribente, tamquam alter ipse Paulus dicere posset, non audisti me quærere, quod mihi vtile est, sed quod proximis, vt damnum ipse ex hac mora, & dilatione faciam, quo illis aliqua ad salutem accessio fiat. Et iterum Chrysostomus ad Paulum, & nos ad Albertum.

Quid est quod dicis? nosti, ac pro certo habes futurum te esse cum Christo, & hæsitas, ac dicis: quid eligam nescio; neque hoc tantum, sed etiam hic manere eligis, manere, inquam, in carne, tot nempe ærumnis, calamitatibus, & periculis obnoxia, quot ibi aceruat Chrysostomus. Illud præsertim periculum, ne dum alijs prædicaueris, reprobus efficiaris: quod non solus Paulus, sed multò magis alii timere debent. Times, si in hac vita permaneas, quid futurum sit. Innumeris malis implicatus es, ac tamen recusas apud Christum esse, recuso, inquit, idque propter Christum, vt quos illi paraui seruos, firmius in illius amore stabiliam, vt ex agro, quem plantaui, fructus extare faciam. Quid horum tunc Albertus dicere non posset? vt verè mereatur encomium, quod Chrysostomus Paulo acclamauit: nihil Alberti anima beatius, quoniam nihil magis etiam generosum.

Neque hoc Alberto hac vice tantum euenit, sed iterum, ac tertiò, pluriesue. Nam dum in prima sua legatione, & commissione Terræ Sanctæ dies aliquot Bethlemij, contemplandis Christi cunis, moram traheret, tunc interim Hierosolymis capti duo fratres, Antonius, & Lucas in vinculis tormenta fortiter pro Christo ferebant: ille vero, vt vigilem pastorem decuit, ipsos per epistolam consolatus est, & ad martyrium porrò consummandű feruenter corroborauit, quam epistolam, de se ipso loquens, his verbis conclusit.

Quod si viua præsentia meæ paruitatis vobis necessaria est, ego ad vos mundo resistente, medios inter gladios conuolo. Non enim me vetat metus; sed ne incenso iam igni, qui vel carnales, vel impios cruciat, oleum adiecisse blasphemer: maximè vobis fortiter, & inconcusso corde perseuerantibus. Valete dilectissimi Christi testes, & dignissimi confessores, & inter catenas, & fustes, mei nominis mementote, vt Christi pietas socium me vobis faciat penæ, quem fecit comitem desiderij. Ecce desiderij comes erat, fieri pœnæ quoque socius cupit, desideratissimi martyrij Corona iam illi parata fuit, dummodo se alijs adiungeret, cœlum apertum, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, pro se pugnaturum, etsi non vt Stephanus viderit, certè vt fidelis credidit, & pro comperto habuit. O Alberte cur non accedis? cur

non

non conuolas? cur aliorum oblatæ coronæ particeps fieri, ac socius esse non vis? cur pro Christo cum Stephano Protomartyre, & cum Christo martyrum capite Hierosolymis triumphare recusas? *Non*, inquit, *quod pugnæ metus me vetet, sed quia vobis inconcusso corde perseuerantibus* vtile non est, vt veniam, sed propter alios necessarium, vt maneam, *ne*, inquit, *blasphemer, accenso iam igni oleum infudisse*, furentem tyrannum sine causa amplius irritasse, vt vel omnes ditionum suarum Christianos, vel saltem Religiosos occidi, & sacra Christi loca incendi, demoliri, excidi iuberet, ne fidei causam non promouisse videar, orate ergo, vt Christi pietas, meliori occasione me faciat esse socium coronæ, quam quidem vehementer cupio, sed modo nolo, ne propter id, quod mihi melius cognosco, alijs deterius eueniat, ne multi infirmi, etsi modo fideles, sed persequentium atrocitate territi Christiana signa deserentes ad Mahometi castra confugerent. Non audistis Albertum non quærere, quod sibi vtile, sed quod proximis, vt damnum ipse ex martyrij dilatione faceret, quo fides fructificaret, & aliqua fidelibus ad salutem accessio fieret, & abscessio vitaretur.

Tertio hinc loco, cum per longi temporis frequentem, feruentemque instantiam senex tandem, & morti vicinus obtinuisset Pontificis Romani, & ordinis maiorum licentiam prædicandi cunctis infidelium nationibus, quantumuis remotissimis, & iter in Hispaniam pararet, vbi Mauritanici Regis iussu cremandus, aut discindendus, holocaustum Christo acceptum facile fieri posset, hanc etiam profectionem suspendit, & coronam, quo prolixius eò feruentius desideratam, ob aliorum necessitates distulit. Intellexit nimirum spirituales, corporales, ac temporales calamitates, quibus dilecti sibi Mediolanenses opprimebantur feruente pestilentia, & publica fame per vrbem, agrumque grassantibus, furentibus foris bellis, & intus dissidijs. Absolutis ergo sermonibus, quos anno 1447. iubente Pontifice, per ferias sacri ieiunij ad Ferrarienses habuit, illicò Mediolanum reuersus, populum illum doctrina, & omni pietatis opere, vsque ad mortem suam iuuare non destitit, nec ipse tamen cœlestis triumphi voto decidit. Nam in hoc agone fortissimè decertans, sanctiori igne diuini amoris incensus, & fraternæ charitatis flamma subuectus, cernente per visum Ioanne Capistrano, relicto terris mortali corpore, ad immortalem vitam gloriæ stola ornatus, triumphantis instar, velut alter Elias, relicto pallio, recto tramite in Cœlum translatus est, sed nos ad morbosos vitio, & anima mortuos redeamus.

Inter hos forte primus fuit Petrus ille cognomine Bonus, sed corpore, & anima tunc malè affectus, vt quem ipse Albertus epist. 3. (quam mense Nouembris ab eo scriptam arbitror) à Kal. Iunij molestijs, & angoribus contrariæ valetudinis, præsertim totius capitis oppressum esse refert, vt penè in insaniam prolapsurum, non tam capite, quam cerebro carere putauisses, & doctissimi medici, eum facile quam primum vita excedere vererentur: atque, quod animam attinet, vanissimæ, & perditæ vitæ hominem vocat, quem aliarum cupiditatum iam pridem perniciosa oblectatio eo adduxisset, vt animum ad

virtu-

virtutem comparandam, & si ægrè, sed sæpe conatus respondisset, quasi mortuus, & in puteo malarum consuetudinum sepultus. Vides ergo mentem insanam, in corpore insano? vides perdita vita emortuum in puteo peccatorum, tamquam in sepulchro fętentem, & malæ consuetudinis institis ligatum, vt crederes Christum necessarium fore, qui Lazarum hunc alterum, & lacrymis suis, & potenti clamore solus ad corporis sanitatem, & animæ vitam reuocare posset.

At B. Albertus Christi gratia vtrumque præstitit. Ipsum audiamus: cui cum ad recuperandam valetudinem diligentissimè affuissem, cum verò postquam ad sese redijt, in consilijs capiendis, quibus saluti suæ consuleret, non instantissimè modo, sed ferè importunè, atque etiam acerrimè institi, nihil equidem ipsi blanditus sum, nihil penitùs assentatus; itaque cum illum exhortarer, vt leuare se animi ægritudine, quam ægrotatione corporis mallet, & suaderem, vt vanissimæ, ac perditæ vitæ suæ, & re, & animo prorsus renuntiaret, assentiri se, & placere sibi suasiones respondit. En hominem à corporali capitis, & cerebri ægrotatione per diligentissimam Alberti assistentiam liberatum, & è mystico animæ sepulchro, eius consilijs, suasionibus, exortationibus euocatum, & extractum. Sed adhuc ignauia quadam, & præteritæ consuetudinis oblectatione, fascia ligatum, pedibusque, & manibus, ad comparandam virtutem impeditum, vnde Christus dixit, soluite eum, & sinite abire; nempe iam viuum, qui fuit anima mortuus, iam corpore sanum, qui fuit capitis, & cerebri ægrotatione oppressus, & hoc meo quidem sensu, per corporale miraculum; quid enim his malis conferre poterat diligentia, & assistentia naturalis Alberti, quod doctissimorum medicorum peritia non poterat, sed consueta humilitas vetuit Albertum, ne miraculum clarius exprimeret: quæ eadem suasit, ne ipse ligamina penitùs solueret, sed vt Christi exemplo, illum ad alium remitteret, qui ipsum, vt ait, penè quondam mortuum ex puteo malarum consuetudinum liberaret, & extraheret, hoc est, vt solueret, & sineret abire, vt Lazari imaginem hic per omnia delineatam videas.

Hac re posterior tempore, sed pro potiori parte, par illi dignitate fuit conuersio alterius, adeò indurati peccatoris, vt planè desperaret emendationem, cum impossibile sibi persuaderet se deserturum scelus, cui per consuetudinem immersus fuit, & tamen facili consilio Alberti, eiusque precibus apud Deum intra paucos dies contritus, & pœnitens ad ipsum redijt, nec deinceps quiduis magis abhorruit quam quod ipsum prius tantopere delectabat, quod cum nos ante plenius retulerimus, hic non amplius explicamus.

Non minus mirabilis fuit mutatio vitæ Francisci à Ligamine Patauini, qui prius licentiosè viuens, deinde creatus Episcopus Ferrariensis, & ab Alberto, cęteroquin amico, de sacræ dignitatis officijs per epistolam admonitus, voto etiam, & precibus apud Deum pro illo fusis, in alium virum repentè mutatus, insignis admiranda bonitate Præsul, & apud optimos, maximosque Pontifices magnæ æstimationis euasit.

Sed & ciues Mutinenses, nunquid multa febre phrenetici fuerint; quando ciuitatem suam in Guelforum, Gibel-

Gibellinorumque factiones diuisi, quotidianis cædibus, & fraterno sanguine, per multum tempus crudelissimè fœdabant? sed vno, vel altero Alberti sermone, & priuatis colloquijs, eo reducti sunt, vt odia ipsa summo odio haberent, atque statim deponerent, mutuæque dilectionis igne accensi, publica instrumenta solemni stipulatione firmauerint, quibus ipsam dissidiorum originem, suadente Alberto, radicitus auerruncarunt, vtque perpetuæ legis vis illis accederet, interpositis apud Principem B. Viri precibus, & hortatu impetrarunt.

His adde, si libet, similem Brixiensium pacificationem, & alios apud eos B. Alberti Euangelici effectus, cuius officij prudenti dilatione plus illis profuit, quam si citius accessisset, &, vt Fabius, cunctando, rem opportunè restituit.

Hæc demum, & alia multa (quæ ne ipse multus sim, actorum Alberti lectoribus meditanda relinquo) quantæ apud homines gloriæ esse debeant, nemo Christianus est qui non facile percipiat: quanti item & Alberti operantis, & eorum in quibus operatus est meriti sunt apud Deum, vel vna Chrysostomi sententia satis, superque nos docet; sic enim ait, tom 5. col. 951. orat 5. aduersus Iudæos. *De fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaueris illis velut oleum, sermonis doctrinam, si obligaueris humanitate, temperantiaque vulneratum, si sanaueris, ille faciet te ditiorem quouis thesauro. Qui enim adduxerit pretiosum ex indignitate, tamquam os meum erit,* inquit ille. *Quid huic poterit æquiparari? quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque peruigilia, neque aliud quidpiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quam multa os tuum peccauerit, quam multa verba obscœna protulerit, quam multa conuicia, quam multa maledicta euomuerit, & omnino suscipies collapsi curam, nam hoc vno benefacto, omnem illam delere maculam poteris, & quid dico delere? facies vt sit os tuum, sicut os Dei. Quid huic bonori possit æquiparari, non enim ego ista polliceor, ipse Deus hoc dixit. Si vnum quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuum, purum, sanctumque.*

Quam sanctum igitur oportet fuisse os aureum B. P. Alberti Sarthianensis, qui non vnum solum eduxit, nec paucos tantum illos, quos diximus, sed omninò innumerabiles; ex diuersis mundi regionibus, ex tam varijs, inueteratisque erroribus, ex tam grauibus vitijs, enormibusque peccatis, in quibus variè horrendeque morbidi, ac iam anima mortui, & sepulti iacebant, ad Catholicam Christi fidem, ad matris Ecclesiæ gremium, ad Seraphicæ Religionis asylum, morumque integritatem, sanctimoniamque perduxit, vt qui sexaginta annorum vitam omnem, sermonis doctrinam, & cœlestem sapientiam, vel sibi copiosè hauriendo, vel egentibus, vt oleum laboriosè instillando, impendit.

Quam puram oportet fuisse beatam illam animam, in qua de ergastulo carnis liberata, purgatorius ignis, nec leuem culpæ maculam, quam absumeret, nec pęnæ reatum, quem deleret, nec stipulam, aut fęnum, quod vreret, inuenire potuit.

Sed

Sed quæ de carne, de mundo, de dęmone, de culpa, de pęna triumphans, pura, & gloriosa in Cęlum recta migrauit, nobis in terra eum corpore relinquens heroicæ virtutis exempla, quæ Deo iuuante imitemur; illustria prodigia, quæ deuotè miremur; & ingentium meritorum suffragia, quæ quantum Sancta Mater Ecclesia permittat, supplices inuocemus.

CAP. XXIII.

Minora Alberti miracula, & posthuma veneratio.

EX numero Scriptorum, qui venerabilis huius serui Dei acta fusius describunt, vel breuem aliquam eius mentionem faciunt, multi sunt, qui miraculis clarum, qui clarissimum fuisse, qui etiam post mortem miraculis claruisse, qui Deum per ipsius merita multa miracula operari, qui multis miraculis claruisse, qui multa miracula fecisse, qui post mortem miraculis coruscare, qui miraculis à Domino illustratum affirmant, qui denique illum in eorum numero æque collocant, quos ipsi miraculis clarissimos, magnisque prodigijs coruscare testantur. Atque istæ horum formulæ sunt, quorum nomina, ætates, & integra testimonia sequenti Capite proferemus.

Quod autem generali hac assertione contenti fuerint, nec vllum ex ijs miraculis, quæ Albertus Mediolani post mortem patrasse dicitur, in specie narrent, id partim tunc viuentium negligentiæ, sed præcipuè extremis eo tempore Mediolanensium calamitatibus adscribendum existimo quando qui vel scriptores, vel oculati testes esse possent bello, pestilentia, publica fame, per plures annos afflictissimi, & his malis depellendis magis intenti, nec seruorum Dei actis pernotandis, multo minus publicis eorum tabulis compingendis, occupari possent, sed inter perpetuas clades, in vrbe pariter, & agro, in dies, atque horas miserandis modis perirent. Nec minus per sæculum subsecutum varias, multasque huiusmodi Mediolanensium calamitates, illius vrbis, & prouinciæ historiarum scriptores referunt. Vetus denique cęnobium ipsum exterius S. Angeli circumcollocatis Heluetis Borbonij castris, in quibus etiam Hæretici fuerunt, nocturno incendio conflagrasse ferunt, anno circiter 1550. Quo casu dispersi incolæ, partim exterius morabantur in ipso semiusto cęnobio, partim in hospitio Vrbano Viridarij, & aliis pijs locis, quæ intra vrbem ad veteris cęnobij regimen pertinebant; translata illuc ea supellectile, quam flammis præripere potuerunt, dum aliud ædificium eiusdem nominis S. Angeli, quod hodie extat, in apto Vrbis loco pro ipsis erectum fuit, iacto primo ipsius lapide anno 1552. die 21. Feb. demolito funditus veteri habitaculo, vt nullum eius vestigium amplius existat, vt mirum non sit, inter tot ruinas, & rerum pertubationes, per longissimi temporis interuallum, perijsse cartas, aut etiam legitima documenta, si quæ de Alberto, aut per ipsum scripta ibi aliquando fuissent. Neque verò hæc, seu hominum incuria, seu tęmporum aduersi casus, Alberto soli nocue-

nocueruut, sed alijs quoque pluribus Dei seruis, qui per ea tempora, in eodem veteri cœnobio S.Angeli cum sanctitatis vitæ, & publica miraculorum opinione, & fama, mortalem suam vitam finierunt, vsque adeò, vt neque quo loco sepulti fuerint, aut hodie iaceant, posteris innotescat, sed tempus æris, ac marmorum edax memoriam rerum cum corporibus deglutiuit, manente, vt rei notoriæ, generali illa miraculorum publica fama, tum per ora hominum successiuè viuentium, tum in perpetuis scribentium notis.

Non defuerunt tamen ex his ipsis Scriptoribus, qui aliqua miracula per viuentem Albertum patrata, per occasiones commemorant, vt quod cacodæmonem, cerui specie laruatum, prophetico spiritu detexerit, idque suis auditotibus per spectrum territis, disturbatisque inclamando, potenti virtute vocis disparere protinus,ac disperire fecerit. Quod Christus Dominus noster Albertum ipsum inedia in deserto deficientem visibili sua diuina præsentia, & familiari colloquio confortauerit, allatisque cibis refocillare dignatus fuerit. Quod per plures dies in fortitudine cęlestis illius cibi ambulauerit, dum vasta solitudine superata, ad ea loca peruenit, in quibus terrenos cibos reperit, quibus deinceps pascebatur, & hoc in Moyse, & Elia miraculum fuisse, & quomodo contingat, fusè disputat Abulensis lib. 3. Reg. cap. 19. q. 8. Cur non ergo etiam in Beato Alberto, quantumuis illi pluribus diebus, iste paucioribus, ambulauerint in fortitudine, seu virtute cibi illius. Quod fęlicem eius animam è corpore in Cœlum, recto tramite gloriosè properantem, diuino ostento viderit B. Ioannes Capistranus, tum corpore procul absens. Qua cęlesti visione statim euulgata facile fuit, vt Mediolanenses, alijque in pristina sanctitatis Alberti opinione roborati, vsque adeò fuerint, vt in suis necessitatibus eo confidentiùs in Cœlo, vt piè credebant, viuentis ad ipsius præsidium confugiebant, multosque fauores, & malorum remedia, à diuina bonitate per ipsius inuocationem retulissent, vt constanti Scriptorum attestatione factum traditur.

Nobis etiam posterius innotuit Sarthianenses aliquos, diebus nostris affirmare, se à periculis vitæ, & ærumnis fortunæ per Alberti inuocationem liberatos fuisse. An etiam Regni Cypri excidium? an Bartholomæi Rouerellæ fortunas? an triumphum illum suum in Cœlos postea ductum? quæ cum ille prænuntiaret, futura erant, & postmodum re ipsa secuta sunt, prophetico spiritu præuidisset, aliorum iudicio relinquo.

Quod ad Alberti sanctitatis, vel Beatitudinis cultum attinet, certum imprimis ipsum, nec Beati nomen, nec Ecclesiasticum cultum à Romano Pontifice, huc vsque per canonicum ritum retulisse, neque constat causam in curia motam fuisse, verumtamen veteri more ab ipso anno 1450. quo obiit, per ducentos huc vsque ac triginta, & amplius annos Beati titulum, & communem æstimationem perpetuo loquentium pariter, atque scribentium vsu, & consuetudine obtinet, vt liquet ex ijs, quæ hactenus diximus, & ex Scriptorum testimonijs, quorum succedaneas ætates, & verba capite sequenti proferemus. Quando Mediolani post mor-

tem, vt multi Scriptores testantur, miraculis, & prodigijs clarissimus fuit, cultum etiam illis correspondentem, qui nondum tunc prohibitus fuit, eum habuisse, supposita veritate miraculorum negari non potest, cum venerabunda inuocatio, & vota gratiarum sint correlatiua miraculorum, & hæc multo tempore post Alberti mortem, percrebuisse indicant Scriptores, qui diu post mortem serui Dei de eius miraculis, tanquam de illis, quæ tunc fiebant, præsenti suo ipsorum tempore loquuntur, vt Capite sequenti ad notam anni 1480. vbi *per Alberti merita Deus operatur multa miracula*, & ad annum 1588. *maximis coruscant prodigijs*, nempe Albertus, & alij, quos author ibi nominat, quod autem & nunc fieri non audiamus, non defectus meritorum Alberti in causa fuit, sed quod cessantibus calamitatibus Mediolanensium, etiam cessauit inuocationis deuotio, ac deinde per incendium, ac demolitionem conuentus, ac per confusionem tumultuariæ transmigrationis fratrum, intra vrbem perierint monumenta veteris cœnobij, & notitia tam pristini, quam posterioris sepulchri, atque hinc refriguerit posteriorum deuotio, quæ præsentibus, ac notis seruorum Dei monumentis magis, quam vetustarum rerum auditione mouetur.

Neque res noua est, etiam absque his causis cessare, vel non tam frequentia esse miracula Sanctorum, etiam Canonizatorum, decursu temporis, quam fuerint in vita, vel non adeò longè post mortem. Imo instar magni miraculi est in Sanctissima Matre Dei, & S. Antonio Patauino, quod ab operandis miraculis nunquam cessare videantur, cuius rei causa in arcana Dei consilia magis referenda est, quam nostra curiositate scrutanda.

Nec eo minus æstimandi sunt Sancti, quod vnus præ alio, plura, vel pauciora miracula faciat, nam, vt teste S. Augustino lib. 83. qq. q. 79. *Ideò non omnibus Sanctis miracula attribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes, in talibus factis esse maiora bona, quam in operibus iustitiæ, quibus vita æterna comparatur*: sic non omnibus Sanctis conceditur perpetua operatio miraculorum, ne pari errore, pluris fiat perpetuitas miraculorum, quã sanctitas operum, aut ne magis Sanctus putetur, qui plura facit miracula post mortem in terris, quam qui cum paucioribus miraculis, fortè multo plus gloriæ habet in Cœlis, aut propter alias causas soli Deo notas. Quapropter, vt ante diximus, cum Paulus se præferret Apostolis non dixit, *quia plura quam ipsi signa feci*, *sed quia plus omnibus laboraui*.

Sed quidquid Mediolani fiat, non desunt alibi signa veteris venerationis B. Alberti, nam in pariete Ecclesiæ Fratrum Min. oppidi Sarthianensis, iuxta maius altare, à parte sinistra, vt sacræ reliquiæ obmuratæ, cum veneratione seruantur duæ epistolæ propria ipsius B. Alberti manu scriptæ, & appensa desuper eius imago depictis circa caput radijs, cœlestis gloriæ indicibus, quæ imago ibi posita fuit multis annis ante Vrbani VIII. decreta de his rebus edita. Nec desunt qui pro sua deuotione illam supplices frequentant, & affirmant se aliquando, interposita apud Deum inuocatione B. Alberti, exauditos fuisse. In templo quoque conuentus

uentus S. Franciſci Citonienſis non procul Sarthiano, in quodam tabernaculo ſupra altare, quod S. Bernardini vocant, cum quibuſdam ipſius S. Bernardini reliquijs extat etiam liber Miſſalis cartæ pergamenæ M. S. quo olim cum licentia ſuperiorum vtebatur B. Albertus, vt in ipſius libri principio, & fine antiqua manu notatum eſt, atque hic liber pro ſacra B. Alberti reliquia, ibi cum veneratione aſſeruatur, & aduentantibus perſonis deuotis reuerenter oſtenditur, non ſecus quam reliqua pro reliquiis S. Bernardini.

In Eccleſia etiam eiuſdem ordinis Capiſtrani in Aprutio, cum ſcriptis B. Ioannis Capiſtrani eſt codex ille M. S. operum B. Alberti, ex quo nos deſcripſimus maiorem partem eorum operum Alberti, quæ hoc volumine exhibemus, & vt illa B. Ioannis, ſic iſte B. Alberti decenti, ac deuota cuſtodia, & veneratione ſeruatur, vt Alberti reliquia. Nec aliud nobis de eius miraculis, aut poſthuma veneratione hactenus innotuit: præter aliam depictam eius effigiem, quæ radiis ornata caput cernitur, in Sacrario Templi Aracœlitani in Sancta hac Vrbe Roma.

CAP. XXIV.

Alberti virtutum, miraculorum, & Beatitudinis fama, conſtantibus ſcriptorum teſtimonijs perpetua.

Poggius Florentinus in ijs literis, in quibus alios pleroſque ſeruos Dei vituperat, ipſius Alberti reſpondentis teſtimonio, eum ſic laudauit. 1429.

Sed quia me ab iſtorum vulgo eximis, ac per hoc non vulgarem, ſed ſingulari quadam & vita, & doctrina præditum me egregium facis, habeo huic exiſtimationi tuæ de me tam bonæ ingentes gratias, ſimulque in ea re tibi gratulor plurimum, cum ex bene inſtituto animo tuo, hæc tua de me opinio certe proficiſcatur: tamen Alberto tuo, tibi quidem ex animo vera teſtanti credas velim, complures inter hos fratres eſſe, qui cum aſpectu, & auditu iuſtiores, tam verò eruditionis præſtantia, longe me doctiores exiſtunt.

Idem Poggius in epiſtola excuſatoria ad B. Albertum, quæ ſic incipit. 1430.

Tantum abeſt mi Alberte, vt grauiter feram, quę à te ſcribuntur, vt etiam maximas tibi & habeam, & debeam gratias: quod me pro tua in me beneuolentia, & charitate admonere voluiſti, eorum, in quibus me aberraſſe in meis literis arbitratus es; non enim ſum is, qui tantum meis viribus confidam, vt non aliorum

quoque opibus subleuari velim, atq; adiuuari ad errores vitæ corrigendos.

1430. Guillelmus Casalensis Ordinis Minister Generalis, in literis ad Albertum datis, & in ipsius Alberti epistola, nobis 28. allegatis.

Te igitur, mi Alberte, liberum facio ad quascumque prædicationes sumendas, si tuo desiderio satisfactum iri à me potest: tecum enim familiariter agere, nostra iam confirmata facit consuetudo, quia neminem mihi magis familiarem inuenerам, qui posset vita, moribus, & doctrina Viterbiensis Ciuitatis periculis prouidere.

1432. Eugenius IV. Pontifex in literis, quibus Albertum constituit Vicarium generalem totius Ordinis Min. 15. Kalend. Augusti.

Tribuit autem nobis Altissimus, vt quam primum tu à nobis in Vicarium ordinis vsque ad nouam creationem Generalis creatus fuisti, magnam exinde habuerimus consolationem; cœperimusque intelligere te, præstante Domino, futurum lapidem illum angularem, qui, quod sæpe & diu diximus optasse, nec vnquam consequi potuimus, vtrumque parietem coniunges, & vtraque vnum facies.

Idem Pontifex in alijs, quibus B. Ioannem Capistranum vltramontanarum Prouinciarum Vicarium ab Alberto institutum confirmat kalend. Septemb. anno eodem.

Et tandem deliberatione matura dilectum filium Albertum de Sarthiano, dicti Ordinis professorem, Prouinciæ Ministrum elegerint: cuius electio non paruam nobis consolationem, ac lætitiam attulit; cum comprobatæ integritatis, & præcipuæ doctrinæ, & prudentiæ existat, & grauitate morum, & consilio præstans, vt longa experientia nobis innotuit, de cuius vita, moribus, & doctrina, ac religionis zelo, & reformationis ordinis ardenti desiderio, in Domino plurimum confidentes.

Plura ad Albertum, ac de ipso dedit Eugenius diplomata, & priuatas literas, quæ nobis ad manum non sunt; sed in quibus dubitandum non est, eius laudes per ipsum celebratas fuisse, qui etiam in perpetuum suæ de ipso opinionis testimonium ad latus suum illius assistentis imaginem, æneis Vaticani templi valuis expressam perennare voluit.

Philippus Bendedeus, de quo 1434
sic etiam ipse Albertus epistola 33.

Qua tu mihi, ea opinione, ea existimatione, ac veneratione loquaris, tamquam si vnus è Patribus sanctimonia, atque eruditione clarus, insigniter euasissem; quod ego prorsus laudis genus reijcio, ob idque maximè in ipso huius epistolæ nostræ principio dixi tuarum literarum

maxima

maxima iucunditate me omnia affecisse, præter laudes meas, in quibus omnibus, pace tua dixerim, tuo vitio, parùm ineptè dicta attribuis; qui ausus sis, me homunculum imperitum, qui vix scripturas sacras, pene dixerim, adhuc totas diligenter perlegi, & sacrarum literarum interpretem, & Euangelicæ legis tubam licentiùs, facilius ne dixerim, leuius nominare.

Paulus Veronensis similes Alberti laudes scripsit: hic eas ita refellit: & sibi ignaro, & extremæ professionis abiectissimo abortiuo, eas deesse humiliter affirmat, simul eleganter, & humaniter ostendens, Paulum non proinde mentitum esse, vt qui dixerit quæ credebat, quamuis non quæ essent.

1439. Eugenius IV. Pontifex in literis ad Æthiopum, & Indorum Imperatores 5. Kal. Septemb. an. 1439.

Mittimus ad tuam celsitudinem dilectos filios Fr. Albertum de Sarthiano, ordinis B. Francisci, Commissarium nostrum in partibus Orientalibus, & eius socios; suntque omnes viri, vtique cum sacra Dei doctrina pleni, tùm etiam in timore Domini, & eius vijs ambulantes.

Idem in alijs ad Cophtos, & eorum Prælatos eodem anno Non. Iulij.

Prout ex decreto inde confecto, quod vobis ostendet dilectus filius Albertus de Sarthiano, ordinis Minorum professor, lator huius, vestra deuotio apertius discet.

Idem in alijs ad ipsum Albertum profecturum 2. Kalend. Septemb. eodem anno.

Ad personam tuam, quæ quidem potens opere, & sermone, in magnis, & arduis, familiari experientia comprobata est, dirigentes aciem mentis nostræ, ac sperantes, quod ea, quæ committenda tibi duxerimus, pro honore Dei, & propagatione Christiani nominis diligenter, & fideliter prosequeris; te in partibus Orientalibus Indiæ, Aethiopiæ, Aegypti, & Ierusalem Commissarium nostrum facimus.

Ioannes Alexandrinus, & per totam Ægyptum, Libiam, Æthiopiam, Pentapolim Occidentalem, & Africam Patriarcha Iacobitarum ad Eugenium IV. Pontificem. 1440.

Post hæc refero tuæ magnæ Sanctitati sacratissimam, & honoratissimam scripturam tuam, per benedictum filium tuum, & honoratum Sacerdotem Fr. Albertum, ad manus meas peruenisse, & infra. *Idem benedictus filius, venerabilis Albertus reddidit mihi duas imagines. Cæterum quædam eidem Patri commisimus, quæ literis mandare non possumus, sufficiet itaque ipse quidquid ijs literis deest: cui referenti tua Beatitudo plenam fidem dare dignetur.*

Philothæus Patriarcha Alexandrinus, ac totius Ægypti Græcorum, in literis ad Eugenium Pontificem. 1440.

Mea

Mea humilitas, Beatissime Pater, audiens quæ tuæ magnæ Sanctitati à filio meo in Spiritu Sancto Fratre Alberto Monacho ordinis Minorum misso in Aegyptum refero, scilicet, huc ad nos veniens detulerit sanctissimas literas sanctitatis tuæ.

1441. Andreas Abbas S. Antonij in Ægypto eiusdem Patriarchę & gentis Iacobitarum legatus in oratione habita ad Eugenium Pontificem, in generali congregatione Concilij Florentini.

Vt nos (Aethiopes Iacobinos) *per dilectum filium tuum Albertum ordinis Minorum, ad vnionem quærendam inuitares*, & infra: *quemadmodum poterit enarrare idem Fr. Albertus, qui multa mecum pericula, multos subijt labores, pro hac dignissima vnione fidei Christianæ.*

1441. Nicolaus de Comitibus à quadraginta annorum Saracenica apostasia conuersus, cum in Concilio Florentino, prædicante de fide Beato Alberto, durante sermone perpetuo fleuisset, causam interrogatus respondit, fletus sui causam fuisse, cœcitatem Saracenorum, & ingratitudinem Christianorum, quod scilicet isti non adeo studeant illorum conuersioni.

Nam, inquit, *si ille sermo in medio Cayri prædicaretur, tunc ex centum millibus Saracenorum, qui dicentem intelligerent, octuaginta sex millia conuerterentur.*

Accedit Illustris. Cardinalium, qui Alberti sermoni cum Eugenio Pontifice tunc aderant, de Alberti fidei zelo, & prædicationis efficacia opinio: dicebant enim, cum Pontifice colloquentes, si fides Catholica in cæteris extincta fuisset; eam tamen in Fr. Alberto conseruatam, & in reliquis, per ipsum suscitatum iri: ea hyperboli expressius enuntiantes, quam excellentem opinionem, de Alberti virtute conceperint.

Eugenius IV. Pontifex in literis, quibus Alberto confirmat electionem ipsius in Ministrum Prouincialem Prouinciæ S. Antonij 16. Kalend. Augusti, 1442. 1442.

Meruit ardens tuæ religionis zelus nobis pridem cognitus, & magna in nos, Sanctamque Romanam Ecclesiam fides, probataque in tuo ordine virtus tua singularis non dubiè promerentur, vt ea tibi concedamus, per quorum impositum tibi onus, maxima ordini tuo commoda confidimus prouentura.

Æneas Syluius Picolominæus, mox Pius II. Pont. in libro M. S. de viris illustribus loquens ibi de S. Bernardino Senensi: 1448. Tom. 1. Oper. Bernard. pel cius vus.

Plures reliquit suarum virtutum imitatores, è quibus præcipuus fuit Albertus de Sarthiano, qui eloquentiam doctus sub Guarino, literisque sæcularibus apprimè instructus, & ipse postea Minor factus, sub Bernardino

nardino eloquentiam Dei didicit, prædicauitque populis cum magna gratia. Hunc & Eugenius Pont. Max. Hierosolymam misit, vt specularetur facta Soldani, qui reuersus, & Aegypti, & Indiæ negotia, vti se haberent, edocuit, & quomodo vinci possent, monstrauit.

1450. Franciscus Sfortia Primus illius nominis Dux Mediolani, cum eum adulatores in Albertum concitarent, in hæc verba respondisse scribitur.

Fratris Alberti sermo vsque adeo nobis non displicet, quin eo potius acceptior sit, quod ille munere suo rectè fungatur.

1451. B. Ioannes à Capistrano, in epistola ad Franciscum Barbarum scripta anno 1451. 17. Kal. Aprilis, in registro Vicariatus generalis ipsius Beati Capistrani pag. 15. septimo mense post Alberti decessum.

Vt frequenter didici ex ore nouelli nostri B. Bernardini, recolendæ memoriæ olim Fratris Alberti Sarthianensis, & nuper Fratris Antonij de Betunto, quos tua dignos amicitia puto.

1454. Idem in epistola ad Aquilanos Cracouiæ 12. Maij anno 1454.

Audistis prædicantes S. Bernardinum, Fratrem Albertum à Sarthiano, & Fratrem Iacobum à Marchia, viros sanctos.

B. Bernardinus Fossensis, alias 1470.
Aquilanus in suis Chronicis apud Marianum Florentinum tom. 5. cap. 17. fol. 85. col. 4.

Erat Frater Albertus peritissimus homo, & potentissimus in Theologia, singularissimus predicator, & in suis prædicationibus acceptissimus. Erat etiam vtique bonæ conscientiæ ita, vt Mediolani dicitur Beatus Albertus, eo quod post mortem miraculis claruit.

Registrum ordinis sub gubernio 1472.
Fr. Timothæi Lucensis scriptum anno 1472.

Post mortem Fratris Guillelmi à Casali Ministri generalis, Dominus Papa super totum ordinem Fr. Albertum Sarthianensem, familiæ nostræ Obseruantiæ Apostolicum Vicarium constituit, qui per annum totum ordinem sanctissimè gubernauit, & capitulum generalissimum Paduæ celebrandum constituit; transmisit autem ad istud capitulum Dominus Papa Breue quoddam, in quo voluntatem suam declarabat, videlicet vt Fr. Albertus in generalem Ministrum eligeretur, existimans; quod si ex familia obseruantiæ Generalis ipse electus esset, optima totius ordinis reformatio sequeretur.

Nicolaus de Fara indiuiduus 1475.
Capistrani socius, qui vitam eius latinè omnium primus conscripsit, vbi Cap. 13. habet quæ sequuntur, seq. tunc præsentem fuisse, & omnia vidis-

vidisse, & comperisse testatur, sed ipsa eius verba describere non piget.

Hic est (Capistranus) *qui in loco nostro apud Burgum S. Sepulchri, expleta prædicatione in laudem, & gloriam Beatissimæ Virginis, Dei Genitricis Mariæ, in die Assumptionis eius in mensa sedens, cœlestis illius Fratris Alberti Sarthianensis beatam animam ad Cœlos tramite recto migrare vidit, ita namque lętissima, Angelicaque facie quadam, me, & compluribus Fratribus præsentibus in cœlum suspiciens affatus est; video*, inquit, *animam vnius Fratris nostri ad cœlum euolare, en vadit, en properat, sæpe replicans. Cumque statim in Romandiolam proficisceremur, certiores facti sumus, eloquentissimum, & clarissimum illum virum Albertum Sarthianensem, qui multis miraculis claruit, Mediolani ipsa die assumptionis animam cęlo reddidisse*, & cap. 10. sic scribit: *tum ipsius* (Capistrani) *tum Bernardini, tum etiam Fratrum Alberti Sarthianensis, Iacobi de Marchia, Antonij de Bitonto, & complurium aliorum prædicatione, multi nobiles, multi studentes, multique doctores, ad religionem se contulerunt, ex quibus nonnulli acceptissimi, & fructuosissimi euaserunt prędicatores.*

1479. Alia Capistrani vita, à quodam nomine Deodato composita, phrasi veteri Italica, & impressa Comi anno 1479. Cap. 7.

Eugenius Pontifex commisit curam Vicariatus totius ordinis recolendæ memoriæ, Fratri Alberto de Sarthiano, viro sanctitate, & scientia præclarissimo, & per totam Italiam nominatissimo, cupiens, vt in sequenti capitulo generali eligeretur Minister Generalis. Sed benignus Creator, sine cuius permissione non cadit folium in terram, id non permisit; cognouit enim, re sic stabilita, secuturam potius obseruantię ruinam, quam aliorum reformationem: data enim cura B. Alberto, vt conuentuales ad arctioris vitæ normam reduceret, optimos quosque ex obseruantum familia in eorum conuentibus collocaret; quo tandem fieret, vt conuentuales vitæ suę rationibus assueti, eas non facile desererent, & ex aduerso conuentus obseruantum rigidis illis, & sanctissimis viris destituti facilius remitterent rigorem disciplinæ, quo factum, vt non Beatus Albertus, sed alius in Theologia Magister conuentualis electus sit.

Codex Italico stylo, & charactere vetustus vitæ F. Ioannis Capistrani, de eius spiritu prophetico fol. 47. à tergo. 1480.

Hic Beatus cum esset in Burgo S. Sepulchri in festo Assumptionis Virginis Mariæ, ibi post habitam concionem, dum sederet ad mensam cum Fratribus, vidit in cęlum ascendere beatam animam illius tubæ cęlestis, Fratris Alberti à Sarthiano, & coram multis Fratribus vultu lætissimo, & Angelico in cęlum elato, dixit: Ego video animam vnius nostri Fratris in cęlum volare; hæc verba

verba sæpius repetens; en ascendit, en vadit ad gloriam, ac deinde socij certiores facti, diem, & horam notarunt, & in Romandiolam venientes comperuerunt, illum eloquentissimum, & clarissimum fratrem Albertum à Sarthiano transijsse ex hac vita ad Deum die Assumptionis Dominæ; in Ciuitate Mediolani, vbi per ipsius merita Deus operatur multa miracula.

1486. Marianus Florentinus tom. 5. Chronicorum Ord. cap. 21. fol. 120. col. 2.

Locus S. Francisci de Sarthiano, ex quo fuit illa sonora tuba, & columna, seu auriga, & scutum nostræ familiæ, B. Fr. Albertus Sarthianensis, qui Mediolani requiescit, & fol. 124. col. 1. *locus S. Mariæ de Angelis apud Mediolanum, in quo requiescit illa magna, & resonans tuba, & quartus auriga familiæ obseruantiæ Fr. Albertus Sarthianensis, prouinciæ Tusciæ, miraculis clarus,* & cap. 24. fol. 160. col. 4. *Hoc anno 1450. in solemnitate Assumptionis Gloriosæ Virginis Mariæ B. P. Frater Albertus de Sarthiano, prouinciæ Tusciæ miraculis clarus obdormiuit in Domino,* & relata reuelatione gloriæ Alberti, facta Capistranensi, vt in vita narrauimus; postea subiungit: *qui B. P. Fr. Albertus in supradicto loco venerabiliter sepultus, etiam post mortem miraculis coruscauit.* Idem alibi passim, & fol. 124. col. 1. de alio loquens, *qui in sua iuuentute,* inquit, *cum per viam sensualitatis, & inertiæ ambularet, à S. Fratre Alberto Sarthianense monitus, mutauit vitam suam, & ex imperito iuuene, doctrina clarus euasit, & pro virtutum studio, sedula prædicatione, & exemplis vitæ, per totam Italiam vir sanctus reputabatur.*

Opusculum vetus inscriptum, Memoriale Ordinis, inter firmamenta trium ordinum S. Francisci pag. 37.

Hic Albertus de Sarthiano fuit, eloquentissimus orator, & prædicator per totam Italiam, & præcipuè Mediolani, & in alijs Ciuitatibus principalibus: patet in miraculis factis. Eum Eugenius IV. summè cupiens Ordinem Minorum reformare, post mortem præfati Guilielmi de Casali Ministri generalis, constituit Vicarium generalem totius ordinis, scilicet Obseruantum, & Conuentualium per totum orbem, & dedit illi, scilicet Alberto, licèt inuito, & renitenti sigillum Ministeriatus, & præcepit, vt conuocaret capitulum generale celebrandum Paduæ, ad electionem generalis Ministri. De hoc extant copiæ epistolarum, & literarum suarum, propter disertitudinem, & facundiam, in volumine collectarum, in bibliothecis Senarum, & Capistrani cum pluribus tractatibus, & alijs epistolis ad Eugenium, ad Prælatos, et Principes totius Italiæ: Ibi, inquam, sunt literæ obedientiales ad conuentum Parisiensem, ad Ministros Prouinciales Hispaniæ, Franciæ, Alemaniæ, vt nomine Eugenij IV. ad capitulum supradictum properarent, et similiter ad Regem Castellæ, et alios; vt ipsos Ministros mitterent renitentes sub isto, quia Generalis totius ordinis erat.

1516. Ex Catalogo omnium prouinciarum, & cœnobiorum Fratrum Min. Reg. Obseru. conscripto anno 1516. in fine epitomes Annalium, vbi de prouinc. Mediolani.

S. Mariæ de Angelis apud Mediolanum, vbi requiescunt vir ille insignis virtute, & doctrina Albertus Sarthianensis, illisque similis Antonius de Arzeno &c.

1536. Leander Albertus, in descriptione Italiæ in Tuscia pagin. 90.

Hinc ad Clanem versus, Sarthianum est, Alberto, ex Min. ordine, maximo concionatore inclytum.

1540. Dionisius à Pulinari, in chronico M. S. prouinciæ Tusciæ part. 1. fol. 14.

Hoc etiam anno 1439. Summus Pontifex Eugenius misit B. Fr. Albertum à Sarthiano ad Presbyterum Ioannem Aethiopiæ Imperatorem, & ad Sereniss. Thomam Imperatorem Indorum, ad res maximi momenti tractandas; & fol. 16. *in quo capitulo* (prouinciali Paduano) *omnes nonaginta tres vocales conuentuales, excepto vno solo concorditer elegerunt in suum Ministrum, sanctum P. Fr. Albertum à Sarthiano, ex fratribus obseruantinis prouinciæ Tusciæ*: & infra: *qui B. Pater Fr. Albertus Minister prouinciæ S. Antonij, & Vicarius generalis totius ordinis, nono die Iunij anni Domini 1443. & ordinis 237. celebrauit Paduæ secundum capitulum generalissimum ad quod capitulum Pontifex misit literas, quibus declarauit suam voluntatem esse, vt Albertus eligeretur Minister generalis, existimans, si id fieret secuturam totius ordinis bonam reformationem*: & fol. 20. *hoc eodem anno 1450. in festo Assumptionis Dominæ nostræ, in hoc nostro conuentu S. Angeli, Mediolani quieuit in Domino B. P. Fr. Albertus à Sarthiano, qui fecit multa miracula, cuius animam per Angelos in cęlum ferri vidit S. Vicarius generalis* (Capistranus) *existens in Burgo S. Sepulchri*: & parte 2. in historia conuentus Sarthianensis fol. 258. *Huius conuentus erat B. Fr. Albertus à Sarthiano, qui obijt Mediolani, de cuius excellenti sanctitate, & doctrina, nunquam satis dici poterit*: & infra: *de hoc Fr. Alberto legitur, quod Pontifex, & Cardinales inter se discurrendo dixissent, quod si fides Christi in omnibus extincta esset; tamen in Fratre Alberto remaneret, qui in reliquis ipsam resuscitaret.*

Blondus Flauius Foroliuiensis, 1559. in Italia illustrata, de Etruria pag. mihi 308.

Deinceps vltra Clusium, Sarthianum est oppidum, Alberto Minorita diuinorum dogmatum prædicatore insigni ornatissimum.

Marcus Vlissiponensis in chronicis Ordinis Min, part. 4. lib. 1. cap. 33. 1560.

Regularis Obseruantia S. Francisci per quatuor præcipue sanctissimos, & doctissimos viros aucta, & illustrata fuit, vt sacra, & famigerata

rata doctrina, sic etiam sanctissima vita, & miraculis. Ii fuerunt, S. Bernardinus Senensis, B. Ioannes à Capistrano, B. Iacobus Picenus, & B. Albertus Sartbianensis, qui fuerunt veluti quatuor firmissimæ columnæ restaurati nouiter illius ædificij: & tanquam quatuor strenui Duces magnæ familiæ, qui eam duxerunt, per securam, rectamque viam, & semper saluam conseruarunt. Erant quatuor Clypei, qui suæ sanctitatis exemplo, & doctrina, eam ab aduersis tutati sunt. Erant quatuor Tubæ, quarum sonitu, multi ad Religionis militiam, & Christi sequelam concitati fuerunt, eorumque feruore zeli studioque diuino munere, tota Italia, Germania, Hungaria, Polonia, & Bohemia obseruantum Cœnobijs repletæ sunt.

Idem 3. part. cap. 35. pag. 267. de B. Michaele ab Arcagnano scribens.

Is, inquit, *in ordine iuuenis inconsiderate viuens, in ordinis disciplina non satis se occupabat, verum S. Bernardini, & B. Alberti à Sartbiano salutaribus monitis, concitatus, vitam in melius commutauit, ac adeo gnauiter sese literarum studijs addixit, vt auxilio diuinæ gratiæ, intra paucum tempus, clarissimus verbi Dei concionator euasuerit, suæque doctrinæ radijs, & sanctitatis opinione, totam Italiam illustrauerit.*

Franciscus Rosieres, in Stemmatibus Ducum Lotharingiæ tom. 5. pag. 287. 1580.

Diuus Albertus Sartbianensis, signis, & miraculis clarus è vita migrauit: & in margine: *S. Albertus.*

Codex M.S. sub Gregorio XIII. Pontifice, vbi fol. 86. à tergo compilator sic dicit.

Huius Conuentus (Sarthiani) *fuit Venerabilis, & B. Pater Fr. Albertus de Sartbiano; qui multis functus legationibus Pontificijs, cum ad Indos, tum quoque ad Aethiopes, obdormiuit in Domino Mediolani, apud Sanctum Angelum, qui Conuentus Obseruantibus Minoritis paret, Anno Domini 1450. cuius anima visa fuit à B. Ioanne de Capistrano in Cœlum euolare; nec mirum, cum per ipsum multa edidit Dominus Deus miracula.*

Rodulphus Tossinianensis, Episcopus Senogalliæ, Histor. Seraph. lib. 1. fol. 72. à tergo. 1586.

Beatus Albertus de Sartbiano Mediolanensis (17.) *humili loco natus, vir literis eruditus, vt monumenta eius, laude digna declarant, suis prædicationibus, multos traxit ad fidem Christi, peragauit per totam Syriam, Græciam, Aegyptum. Fuit autem in sacris concionibus maximus vitiorum obiurgator; vnde multoties pro veritate tuenda, incurrit discrimen vitæ. Erat prædicatio eius grata, & fructuosa, doctis simul, & indoctis: in dicendo vtebatur præclara dicendi forma, quæ cum*

cum sanctitate vitæ coniuncta, multos ad se attrahebat.

1587. Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus de origine Seraphicæ Religionis, & progressibus Regul. Obseru. in Conuentu 14. Prouinciæ Tusciæ nemoris de Mugillo.

Quo quidem capitulo, cui etiam B.P. Albertus de Sarthiano interfuit: & in Conuentu 22. Cetonij. *In huiusmet loci tabellario sexdecim Pontificiæ Bullæ à Summo Pontifice Eugenio IV. ad Venerabilem Fratrem Albertum à Sarthiano transmissæ custodiuntur; quibus illum ad Indos Orientales, ad Aetiopes, & ad alia plurima loca, apostolica authoritate delegauit*. In Con. 29. S. Francisci Sarthiani. *Huius Monasterij alumnus fuit Venerabilis, ac B. P. Fr. Albertus de Sarthiano, qui plurimis functus legationibus Pontificijs, Mediolani obdormiuit in Domino, ibiq; apud Conuentum S. Angeli, Domini anno* 1450. *sepultus est: cuius anima à B. Ioanne de Capistrano æthera petens visa est*: Et in Catalogo Beatorum Ordinis. *B. Albertus à Sarthiano miraculis clarissimus*. Idem Gonzaga edit. Rom. pag. 13. *Summus Pontifex, vt Venerabili P. Fratri Alberto à Sarthiano, viro vtique integerrimo, atque Reg. Obseru. acerrimo propugnatori, nec non Religione moribusque insigni, viam ad generalem ministeriatum strueret: nouerat enim vigilantissimus ipse pastor plurimum accrementi, plurimumq; splendoris, vniuerso ordini ex huiusmodi promotione obuenturum, ipsum super vniuersam Religionem Minoriticam, ex Apostolica authoritate generalem Vicarium instituit, qui & munus sibi creditum exactissime, iuxta conceptam de ipso spem, per integrum annum obiuit, & generalissimum secundum, tum Obseruantiũ, tùm quoque Conuentualium Patrum Capitulum Patauij, anno Domini* 1443. *vel (vt alij volunt) anno* 1444 *futurum assignauit, ac tempore præscripto prudentissime celebrauit.*

Bernardinus de Bustis, præter ea, quæ ex ipso, in Alberti vita descripsimus, serm. 27. part. 2. pag. 668. col. 2. in fine alterius tom. 1. sui Rosarij. 1588.

Multos etiam produxit (primus Ordo) *alios Sanctos fratres, vita & miraculis clarissimos, de illis verò, qui fuerunt, non multis temporibus elapsis, vt de B. Ioanne Capistrano, B. Alberto de Sarthiano, B. Iacobo de Marchia, & multis alijs, qui maximis corruscant prodigijs, nimis longum esset recitare.*

Henricus VVillot Athenarum Ortodoxarum lit. A. 1598.

Albertus de Sarthiano Mediolanensis, Guarini Veronensis alumnus, D. Bernardino præceptore sanctioribus literis operam dedit; & is fuit moribus, & eruditione, vt Bernardini discipulum posses agnoscere; exantlatis in spargendo semine Euangelico multis, ac varijs laboribus, Mediolani ipso, quo Deipara triumphum egit, celebri die fæliciter obdormiuit anno 1450.

Sil-

1193. Siluanus Razzi Camaldulensis, in vitis Sanctorum, & Beatorum Etrurię pag. 716.

Qui (B. Thomas Florentinus) *ab Eugenio IV. Pontifice postea missus est socius, cum B. Fr. Alberto Sarthianensi in Indiam, & ad Presbyterum Ioannem, & altera vice Hierosolymam, cum Beatis dicto Fr. Alberto, Ioanne Capistranense, & Fr. Herculano à Piagale ad reformandum, & reducendum ad veram regulæ obseruantiam loca, & conuentus illarum partium.*

Et pag. 722.

Quando Papa Eugenius misit Legatum suum ad Presbyterum Ioannem Imperatorem Aethiopum, & ad Thomam Imperatorem Indorum, cum suis literis B. Fr. Albertum Sarthianensem, vt illos reduceret ad vnionem Sacræ Romanæ Ecclesiæ, dedit illi pro peculiari socio B. Thomam, vt sanctitate suæ vitæ ædificaret dictos Imperatores, & eorum populos, sed cum Sultanus Babiloniæ ipsi Fr. Alberto, eiusque socijs impediret transitum, discesserunt ex Aegypto, & retro reuertentes venerunt Constantinopolim, vt per Thanaim nauigarent in Persiam, & ex Persia in Aethiopiam, & Indiam. Fr. Albertus per viam morbo detentus, ne Pontificis propositum frustraretur, misit B. Thomam cum tribus alijs Fratribus, ad complendum eiusdem Pontificis desiderium.

Alius codex vitę B. Ioannis à Capistrano scriptus anno 1594 autore Bonauentura de Calasio. 1594.

Cum esset alia vice (Capistranus) *in conuentu nostro Burgi S. Sepulchri, in festiuitate solemnissima assumptionis Virginis Mariæ, vidit in cœlum ferri animam illius magni Prædicatoris Fr. Alberti de Sarthiano & id reuelauit Fratribus: atque hi diem, & horam diligenter obseruarunt, & sic rem contigisse compererunt, quemadmodum à S. Viro Dei, & Propheta Christi reuelatum fuit.*

Claudius Picquet in Catalogo Illustrium Ordinis Min. pag. 270. inter Beatos. 1597.

Fr. Albertus de Sarthiano iacet Mediolani.

Ludouicus Robelledo 1. part. Chron. versus finem in Catalogo Illustrium personarum Ordinis S. Francisci fol. 12. 1598.

Beatus Fr. Albertus de Sarthiano Mediolanensis (18) *sepultus est in conuentu S. Francisci, eiusdem vrbis Mediolani.*

Idem ibidem fol. 37. in Catalogo Scriptorum Ordinis.

Frater Albertus à Sarthiano, Mediolanensis composuit quosdam tractatus de immortalitate animæ, & de purgatorio, & alia opera.

Libel-

Libellus Anoymi M.S. nostri archiui arm. 3. num. 43. fol. 23.

Mittitur Fr. Albertus Sarthianus, vir magna doctrina, & sanctitate conspicuus, cum 40. alijs obseruantibus ad Imperatorem Aethiopiæ Presbyterum Ioannem. Et paulo post: *anno 1443. in capitulo Paduano 2. generalissimo, in quo aderant Conuentuales, & Obseruantes, præcepit Papa eligi Fratrem Albertum Sarthianensem, virum sanctum, & strictæ obseruantiæ professorem, qui à morte dicti Fr. Guillelmi, vt Vicarius totum ordinem rexit. Sed Conuentuales quidam eius rigorem experti in hoc obedire noluerunt, & turbas excitarunt, quas ipse Albertus sopiuit pro mittens, quod de sua electione nihil moueretur.*

1606. Antonius Posseuinus in apparatu sacro,

Albertus Sarthianus Mediolanensis ord. Min. celebris sui æui concionator: quique operam suam Eugenio IV. Pontifici Max. in Concilio Florentino, atque in legatione Hierosolymitana nauauit (nimirum, vt acta Sultani cognosceret) scripsit &c.

1610. Antonius Daza 4. part. chron. lib. 1. cap. 36. pag. 185.

Venerunt ad concilium Florentinum multi Prælati, Episcopi, & Legati ex Aethiopia, Armenia, & India, ad dandam obedientiam Pontifici Romano tracti per industriam B. Fr. Alberti de Sarthiano, huius sacræ religionis, & Legati Pontificii Eugenij IV. in partibus Aethiopiæ Presbyteri Ioannis, & Indiæ Orientalis, vt apparet ex sexdecim bullis eiusdem Pontificis originalibus: quæ seruantur in Conuentu S. Francisci Citonij in Etruria.

Ioannes à S. Maria in chronic. prouinciæ S. Iosephi part. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 14. 1615.

Sanctus Bernardinus Senensis, Fr. Ioannes à Capistrano, Fr. Iacobus à Marchia, & Fr. Albertus à Sarthiano, tamquam robustissimæ columnæ sustinuerunt nouum ædificium reformationis, & vt fortes, dextrique Duces gubernarunt nouam illam militiam, cum titulo Vicariorum generalium, & assensu Ministri generalis per Pontificem constituti.

Bartholomæus Cimarellus in 4. par. chron. S. Francisci lib. 7. cap. 44. pag. 844. loquens de adductione Orientalium, ad Concilium Florentinum.

Et hoc (inquit) *per industriam, & laborem B. Fr. Alberti à Sarthiano huius sacri ordinis, Legati Apostolici Eugenij Papæ IV. in partibus Aethiopiæ, & Indiæ Orientalis, vt apparet per 16. bullas originales Summi Pont. quæ nunc seruantur in prouincia Tusciæ. Hic est ille magnus religiosus, & principalis columna reg. obs. cuius mirabilia, & egregia facta in ipsius vita explicantur.*

Dermitius Thadei, aliàs Anton. Hiquæus in Nitela Francisc. pag. 62. 1626.

Hinc

Hinc ab Oriente Ioannes Capistranensis Franciscanus Armenos, hinc B. Albertus Sarthianensis Franciscanus Iacobitas Florentiam ad fidei vnitatem, & veritatem reducunt; quorum vterque cum legati munere, ad illas partes destinati sunt (magis 50. suorum sodalium numero comitante) procurandæ Ecclesiarum vniuersi concordiæ; cum pridem Sarthianensis grecę, & latinę linguæ à puero eruditissimus in concilio Florentino interpretem egerit, adiuncto eiusdem instituti socio.

Augustinus de Vvitte in genealogia S. Francisci pag. 20.

B. Albertus à Sarthiano miraculis decorus quiescit Mediolani, & pag. 59. *B. Albertus de Sarthiano.*

1627. Saluator Massonius pag. 131. vitæ B. Ioannis Capistrani.

Papa commisit curam Ordinis tanquam Vicario generali Fr. Alberto à Sartbiano, viro magnæ famæ sanctitatis, & sapientię, & per totam Italiam nominatissimo, ea mente, vt in proximo capitulo generali eligeretur ipse Minister generalis.

Idem ad Calcem vitę eiusdem Capistrani, Alberti vitæ breuiarium exhibet, ex quo descripsi, quæ hic sequuntur.

Fr. Albertus Sarthianensis erat ex Sarthiano, vnde Pius III. (19) Pontifex originem duxit. Cum esset paruulus, pater eum obtulit S. Francisco in ipsius monasterio, vbi ætate crescens in literis bene profecit. Erat enim pulcherrimi ingenij. Quam excellens euaserit in lingua græca, non minus quam latina, manifestauit in Synodo Florentina, vbi seruus Dei latinorum, græcorumque interpretibus annumeratus, latinorum verba, & sententias, tanta facultate, & elegantia græcè reddebat, vt admirati græci dicerent, fieri non posse, vt ille in Græcia natus non fuerit. Erat pariter in diuina scriptura, & sacra Theologia adeò consummatus, vt viri docti Italiæ, Prælati, atque ipse Pontifex illum inter sui temporis doctissimos censerent; cuius rei specimen suis literis præbuit, quando Pontifex illum Legatum suum in Orientem misit.

Trigesimo ætatis anno à conuentualibus ad obseruantiam migrauit, in qua vixit semper cum puritate, & vera obseruantia regulæ. Multa monasteria ędificari fecit, in Italia, & extra, vt Candię, Constantinopoli, Hierosolymis, Caffę, & Perę. Hęc tuba Spiritus Sancti discurrebat prędicando nomen Iesu Christi, per totam Italiam, Gręciam, Aegyptum, & Syriam. Et infra. *Hic seruus Dei vnum annum multa prudentia rexit Religionem, cum esset valde zelosus obseruantię regularis, seuerus, & iustus.* Et postea loquendo de turbis capituli generalis Patauini. *Nihilominus, sedato rumore, Fr. Albertus, vt Vicarius generalis Ordinis, sua dexteritate collectis omnibus ad comitium, humilitate sua placauit ipsorum animos, & illos in pace vniuit, renuntiando officio generalis Ministri (quo ad Pontificis mentem potiri poterat) vt illi in eo constituerent, quem magis expedire iudicarent; promittens insu-*

insuper non defuturum se placando Pontificis animo, quantumuis ipsi non eligerent, quem ille cupiebat. Deinde narrat, in conuentu Cetonij conseruari spinam coronæ Christi, & partem ligni S. Crucis, quæ Albertus Constantinopoli secum tulerat, ac denique mortem ipsius, & reuelationem triumphi eius in Cœlum ascendentis, eadem hora mortis, factam B. Capistrano.

1629. Ioannes Franciscus Bonasus, Bononiensis ordinis Minor. Conuentualium, in Theatro illustrium personarum trium ordinum S. Francisci Bononiæ anno 1629.

Beatus Albertus Sarthianus, Mediolanensis, qui Armenos ad S. Romanæ Ecclesiæ obedientiam reduxit, Mediolani quiescit.

Paulus à Trinitate in expugnatione spirituali Indiæ Orientalis per fratres Minores lib. 1. cap. 2.

B. Fr. Albertus à Sarthiano, qui miraculis claruit, crucem in manu gestans, prædicauit in diuersis partibus mundi, per totam Syriam, Græciam, & Aegyptum, & multos infideles conuertit.

1635. Iacobus Grassettus S. I. in vita Beatæ Catharinæ Bononiensis lib. 1. cap. 19. pag. 65.

Vna dierum dum Catharina occuparetur panibus furno ingerendis, accessit ad monasterium quidam Pater ordinis obseruantum S. Francisci, nomine dictus Fr. Albertus, vir deuotissimus, & potens prædicator, vt sermonem de rebus spiritualibus ad matres haberet, cui omnes interesse debebant; quapropter illico per campanulæ sonum vocatæ sunt, quo audito serua Dei panes omnes furno celeriter imposuit, deinde ad concionem abiens furno benedixit, dicens; ego te commendo Christo meo. Tum, res miranda, sermone per integras quinque horas indesinenter protracto, quando ad furnum rediit, vt panes extraheret, multæ sororum eam secutæ sunt, certò tenentes, panem omnem iam combustum fuisse, sed ingenti ipsarum stupore eum inuenerunt non modo bene maturum, sed etiam solito pulchriorem roseo colore, & ad admirationem odoriferum.

Placidus Myrtus Frangipanius, Cler. Regularis, in sua acclamatione Madritensi fol. 17. pag. 2. 1637.

Tempore Eugenij IV. Summi Pontificis, voluit Albertus Sarthianensis aperire sibi viam ad reductionem Aethiopum.

Arturus à Monasterio in Martyrol. Franc. die 15. Augusti. 1638.

Mediolani B. Alberti de Sarthiano confessoris, ac concionatoris eximij, qui pluribus functus legationibus Pontificijs, ad Indos, Aethiopes, & alios Orientales populos, copiosum numerum Schismaticorum, & hæreticorum; maximè Armenorum, Iacobitarum, Græcorum, & aliorum reduxit ad fidei vnitatem, quam professi sunt in Concilio Florentino œcumenico, vbi conuenerunt

runt sub Eugenio IV. Papa : tandem doctrina, vitæ sanctitate, ac miraculis clarissimus spiritum Deo reddidit; cuius animam B. Ioannes Capistranus vidit æthera petentem. Et in annotationibus ad eundem locum totam eius vitam compendio recenset.

1639. Lucas Vvaddingus, quo nemo B. Alberti acta copiosius, aut solidius prodidit, tum in syllabo scriptorum ordinis, tum & maximè in suis eiusdem ordinis Annalibus, præsertim tom. 5. per totum, ex quo hanc vitam eius, magna ex parte concinnauimus, & nunc inter hęc aliorum testimonia, selecta quædam eius verba colligemus, quę ad B. Viri doctrinam, sanctimoniamque vitæ pręcipuè pertinent.

Anno 1415. n. 22. *Hoc anno Fr. Albertus à Sartbiano Clusinæ Diœcesis oppido, à Patribus Conuentualibus ad Obseruantes transiuit, annos natus triginta. Guarino Veronensi, & Emanuele Chrisoloræ præceptoribus græcè, & latinè doctus, vtraque lingua eruditè scripsit, & vtriusque gentis conuersioni studuit. Ipse in summo vitæ rigore, & disciplinæ seueritate, pauperem vitam transigens, omnes cupiebat Christo lucrifacere, vel assidua oratione, vel efficacissima prædicatione. Sæpissimè de hoc viro sanctissimo, & doctissimo nobis offertur occasio loquendi; multa enim præstitit egregia in sui ordinis, & fidei catholicæ incrementum.*

Anno 1430. n. 34. recensitis illustribus aliquot viris. *Inter hos*, inquit, *& super hos eminentissimè floruit B. Albertus Sartbianensis, sanctitate illustris, græcè, & latinè doctus.*

Anno 1450. n. 11. & 12. *Celebri Assumptionis Virginis festiuitate ad Cœlos euolauit B. Albertus Sartbianensis, cuius præclaras animi dotes, & gloriosissimos, pro Ecclesia Catholica, & fidei propagatione labores, per varios annos distribuimus. A tempore quidem quo prædicandi munus, superiore iubente, suscepit, nunquam ab opere cessauit; sanctissimis documentis immaculatam coniunxit vitam, & opera sanctissima, tot præclaris meritis radiantem eius animam vidit B. Ioannes Capistranus in Cœlos ascendentem. Sepultus est in cœnobio S. Angeli, vbi post mortem coruscauit miraculis.*

Felix Reineccius, in Solone Franciscano lib. 2. cap. 10. pag. 277. & 278. 1640.

Postremò etiam Angeli cœlestes exhibuerunt se, tamquam fidelissimos singularis diuinæ prouidentiæ erga Franciscanos vades; fit ex pluribus vnus ille, qui Fr. Alberto de Sartbiano mandatis Apostolicis in Aegyptum profecto, & in terra inaquosa, loco horroris, & vastæ solitudinis, ob defectum potus, & tibi, ex bidui penuria languenti, & querenti adstitit. En dicebat Albertus; iam morior; Vr arij tui præcepta peragere non potero, neque pereuntes animas ad tuæ veritatis cognitionem redu-

reducere. Domine miserere. Non prius dixit, quam viderit prope se iuuenem pulcherrimum lingua Italica salutantem, mox cibos afferentem, & sic affantem; non est cur de diuina diffidas misericordia, & prouidentia. Ego sum, qui Francisco seruo meo subsidium promisi opportunum, neque tu vidisti huc vsque in religione hac iustum derelictum, aut fratrem aliquem fame perijsse; quibus dictis disparuit.

Idem lib. 3. cap. 4. pag. 53. narrat ea, quę Alberto in Ægypto contigerunt, & eius reditum ad Pontificem, adductis ad Concilium Florentinum, Ætiopum Ægyptiorumque Legatis, ac tandem subiungit de socijs hæc pag. 60.

Interea nec illi, qui ab Alberto surrogati, & ad Indos missi fuerant feriati creduntur, certè scribit Bartholomæus Cimarellus, quod etiam plures Prælati ex India Orientali per legatos suos memorato in Concilio, ope Alberti Sarthianensis, obedientiam præstiterint Summo Pontifici Eugenio IV. tamquam capiti vniuersalis Ecclesiæ. Inuenitur quoque in Annalibus Minorum etiam anno 1452. Franciscanos in India extitisse, eamque & anno 1455. adijsse alios. Hæc Reineccius, & alia plura, quæ cum per nos in hac historia narrata sint, ea iterum describere superuacaneum censuimus.

Michael Angelus à Neapoli in Chronologia historica legali pag. 87. 1650

Obseruantium Congregationem, quatuor cœlestes præcones, Bernardinus Senensis, Ioannes Capistranus, Albertus à Sarthiano, & Iacobus Picenus dilatauerunt, quibus ducibus familia obseruantiæ adeò succreuerat, vt Minister generalis, Fr. Guillelmus de Casali, super ipsam familiam anno 1438. S. Bernardinum Senensem, accedente Eugenij Papę IV. ordinatione, Vicarium generalem instituit: quo magistro, gubernatore, atque prædicatore, comitibus tribus supradictis, maxima in dies incrementa suscepit.

Petrus Marchant in 12. fundamentis Ord. Fr. Min. parte 2. pag. 121. 1660

Eugenius IV. misit B. Albertum Sarthianum, qui cum Græcis redierat, vna cum aliquot FF. Minoribus ad Patriarchas illarum regionum & Cophtos, nec non ad Thomam Indorum, & Presbyterum Ioannem, Aetiopum Imperatores: nec inutilis illa missio fuit Ecclesiæ Dei &c. & pag. 226. *Mortuo Fratre Guillelmo de Casali institutus est à Summo Pontifice Eugenio Vicarius Generalis Ordinis, vsque ad Comitia Generalia, Fr. Albertus de Sarthiano, vir doctrina, pietate, & religiosa vita insignis, ex Familia Obseruantum, qui ad annum sequentem 1443. indixit Comitia Generalia: Et infra, S. Bernardinus de Senis quod, vt de eo scribitur, in oratione didicisset Obseruantiam, adbuc in suis exordijs debi-*

debilem, B.P. Alberto indigere, instabat apud familiam Obseruantiæ, vt Fr. Antonius de Rusconibus eligeretur.

1653. Iacobus de Riddercin Speculo Apologetico.

Fr. Albertus de Sarthiano vir integerrimus, atque Regularis Obseruantiæ accerrimus propugnator, quē Pontifex vocalibus commendauit, vt scilicet, tam Conuentuales, quam Obseruantes illum in Ministrum Generalem Totius Ordinis vtrisque communem eligerent.

1653. Isidorus Vgurgerius in pompis Senensibus part. 1. tit. 14. pag. 306.

Fr. Albertus de Berdinis, Senensis à Sarthiano, præcipuus discipulus, & imitator S. P. Bernardini, & Vicarius Generalis noui instituti Minorum Obseruantum, ab Eugenio IV. Pontifice Romano creatus, græcas, & latinas literas à Guarino Veronense aliisque celebris famæ humanioris literaturæ professoribus; ac diuina de hinc mysteria ab ipso Bernardino didicit: vnde cum singulari decore multis populis prædicauit. Mox in Eugenij Pontificis beneuolentiam acceptus, ad Concilium Florentinum vocatus est; vbi græcorum Ecclesiæ vnionem cum latina iniuit. Hinc Hierosolymam ab eodem Pontifice missus est, vt obseruaret machinamenta Soldani, & alia negotia, cum Aegyptijs, & Indis perageret, rationesque disquireret, quibus illa superari possent; postquam pluribus legationibus, eiusdem Pontificis nomine, ad varios Principes perfunctus est, Mediolani tandem decessit anno 1450. relictis quæ sequuntur operibus ingenij sui claris monumentis: Tractatus de Corpore Christi.

Franciscus Haroldus in Epitome Annalium Vvaddingi tom. 1. col. 1239.

Beatus Albertus Sarthianensis vir attica & Romana eruditione clarus, & col. 1271. *Dum verò B. Albertus de his rebus &c.* & col. 1282. *Interea B. Albertus* Sarthianensis.

Godofredus Henschenius, & Daniel Papebrochius S.I. in vitis SS. tom. 2. Martij die 9. in notis ad vitam B. Catharinę Bonon. pag. 55. 1668.

(21) *Videtur is esse* (Albertus) *quem à Sarthiano natali suo in Etruria oppido cognominat Arturus, in Martyrologio Franciscano, ad 15. Augusti Apostolici zeli non tantum in Europa, sed & in Asia concionator: Minister Ordinis Generalis futurus, ex Pontificis voluntate, nisi recusasset, qui, vt Arturus ait, tandem virtute, doctrina, miraculis clarissimus, obijt Mediolani in Conuentu Sancti Angeli honorificè conditus anno 1450. Videtur autem hæc res contigisse anno 1442. quando* (22) *ipse Prouinciæ S. Antonij, idest Bononiensis, Minister fuit Prouincialis: nam post annum 1443. & Capitulum Romæ celebratum, tam multis Apostolicis legationibus fuit occupatus, vt forte in suam Prouinciam, intra annos aliquot non redierit.*

1670. Abbas Philippus Picinellus Canonicus Reg. Lateran. in Atheneo literatorum Mediolanensium.

Insignis erat fœlicitas, per quam Albertus à Sarthiano, noster Mediolanensis, relicto sæculo, & indutus habitu Minorum Obseruantum Sancti Francisci, S. Bernardinum Senensem, nunquam satis laudatum, magistrum sortitus est, sub illo enim magno rectore, qui purissima sanctitatis lumina cum altissimæ scientiæ splendoribus copulabat: mirum quam facile fuit, fortunato huic discipulo, vt vtroque titulo tam eminentis magistri alumnus reuerendus euaderet. Vt erat Albertus facultate doctissimus, Eugenius IV. Pont. Max. voluit, vt celebri Florentino Concilio interesset &, vt erat admirandus verbi Dei preco, feruore Apostolico, tantam auditorum multitudinem attrahebat vt feratur eum subinde quinquagesies mille Mediolanenses auscultatores habuisse: intuitu eius vtriusq; magni talenti virtutis, idem Eugenius Pont. eum legatum suum Hierosolymam amandauit, vt Christianitatis prærogatiuam sollicitaret, & iudiciosa sua prudentia obseruaret molimina Sultani, & aduersus ea opportuna remedia exquireret. Posteaquam in Apostolico munere, per varias prouincias multo sudore, laborasset, eo die quo Maria Virgo triumphali pompa in cęlum translata fuit, ipse quoque dulcissimo somno graues palpebras mundo occlusit anno 1450. Ex operibus eius, quæ pretiosam hæreditatem Obseruantum Religioni reliquit, etiamnum Capistrani seruat elegantem librum epistolarum, græco, & latino doctè permixtum.

Benedictus Mazzara Sulmonensis, & Ord. Min. strict. obseru. Proninciæ S. Bernardini Pater, & Franciscani Legendarij Author, in vita Beati Alberti. 1678.

B. Fr. Albertus Sarthianensis, in Ord. Min. tam auidus erat integræ, & purissimæ adimpletionis Franciscani Canonis, & austerioris vitæ, vt ad hanc assequendam à conuentualibus ad obseruantes sub huius districtionis primordia transierit, ipsumquè institutum multis viris, è sæculo vocatis, multis domibus auxerit, & firmauerit: ipsum etiam doctissimis scriptis, ab aduersis conatibus vindicando. Erat ipse in se ipsum austerus, & Euangelicę paupertatis tenacissimus, & feruentissimus zelator salutis animarum, cui promouendæ se ipsum perpetuò impendebat, tum assiduis precibus, cum constanti, & indefesso labore prædicationis. Erat verbum Dei in ore eius gladius acutus ad resecanda vitia, & carnales affectus detruncandos. Erat acerrimus criminum obiurgator; in quo nullius, vel diuitis, vel potentis faciem respiciebat, ea tamen dexteritate, & eloquentia, vt sui aui concionatorum Rex appellaretur.

Et postea. *In Itinere Aegyptiaco illi accidit, vt dum per immensa illa deserta, & vastissimas solitudines deficiente victu, ex integri bidui inedia ad aridæ arboris truncum sedens & querulus ad Dominum conuersus, diuinam promissionem S. Francisco factam allegauit; illius quippe filijs nunquam defore victui necessaria.*

Et

Et en ego, inquit, in hac solitudine morior fame, nec potero Vicarij tui iussa perficere, nec tot animas ad veritatis tuæ lumen adducere, Domine miserere. Hæc verba non prorsus absoluit, cum adstantem sibi vidit iuuenem pulcherrimum, qui eum Italica lingua salutans, cibos porrexit, quos cum ille admirabundus, cum gratiarum actione sumeret, subiunxit. Non est quod de Dei benignitate, & prouidentia diffidas. Ego ipse sum qui seruo meo Francisco promisi omne opportunum auxilium: nec tu huc vsque vidisti in hac Religione vllum derelictum, aut fame pereuntem, ijsque dictis disparuit. Et iterùm. *Sanctissimis documentis, quæ prædicando subministrabat, ad iungebat opera, & vitam sanctissimam, quibus multos Infideles in Oriente conuertit ad fidem, multos Schismaticos ad vnionem Ecclesiæ reduxit, & ex alijs erroribus incredibilem hominum multitudinem liberauit multosque induxit ad Religiosæ vitæ professionem. Denique postquam pro Ecclesia Sancta Dei multum desudauit, & pro sua Religione obseruante per triginta nouem circiter annos, vt vnus ex quatuor præcipuis columnis, qui eandem obseruantiam aduersus æmulorum studia, summo honore supportarunt, meritis copiosis dives, Mediolani transiuit ad Dominum, in Festo die Assumptionis B. Virginis Mariæ anno reparatæ salutis* 1450. *in Conuentu S. Angeli, vbi corpus eius sepultum fuit, & multis deinde miraculis à Domino illustratum. Eadem hora qua obijt Albertus, B. Ioannes Capistranensis, in Conuentu Burgi Sancti Sepulchri, mensæ cum fratribus accumbens, læto & radiante vultu in cœlum elato, sic exclamauit. O Patres ego video animam vnius fratris nostri in Cœlum euolare, ò vt vadit gloriosa, expedita, & Beata: quod cum oculis in altum defixis, pluries repetijsset, è mensa ad orationem surgens, in ea sibi reuelatum didicit, animam illam fuisse P. Alberti Sarthianensis, quæ tunc exuta corpore, ad Cæli gaudia properabat.*

Nicolaus Bartholinus Cl. Reg. Congregationis Matris Dei, in calce Hodæporici B. Ambrosij Camaldulensis, à se nuper editi pag. 70. 1680.

B. Albertus de Sarthiano, tùm vitæ sanctitate, tùm eruditione, ac laboribus Ecclesiasticis cum paucis æuo suo conferendus.

Antonius à Terrinca, in Theatro genealogico Minoritarum Tusciæ part. 1. serm. 2. tit. 2. pag. 14. 1680.

B. P. Albertus Berdinius à Sarthiano Reg. Obseru. Alumnus, columna, & basis, propugnator, & propagator vti Theat. 1. Ord. tit. 4. diximus: vir prædicatione, vitæ sanctitate, ac miraculis illustris, Græcis, & latinis, humanis, ac diuinis literis apprimè eruditus, Martino V. Eugenio IV. & Nicolao V. Summis Pontificibus summè charus, sanctissimis namque documentis immaculatam coniunxit vitam, & opera sanctissima; quibus Orientales multos, varijs apud eos legationibus functus, ad fidem conuertit, Iacobinos, Græcos ad vnitatem Ecclesiæ in Concilio Florentino à schismate adduxit, & re-

& reuocauit, incredibilem multitudinem ab errore retraxit, plurimos Religiosorum cœtibus adiunxit. Tot præclaris meritis radiantem eius animam vidit B. Ioannes Capistranus in Cælos ascendentem ipsa Assumptionis Virgineæ festiuitate anno 1450.

P. Dominicus de Gubernatis in Orbe Seraphico Tom. 1. in Indice.

B. Albertus de Sarthiano Pontifici, & Ordini vniuerso acceptus & f. 184 *In locum Fratris Dalismani demortui electum fuisse in Ministrum Prouincialem B. Fr. Albertum à Sarthiano.* Idem Tom. 3. pag. 78. col. 2. *quo etiam anno B. Albertus de Sarthiano, tùm doctrinæ, tùm sanctitatis rarum exemplar ab ordinis communitate, ad Regularem Obseruantiam conuolauit.*

Et Tom. 2. lib. 6. cap. 2. p. 34. col. 1.

Anno 1415. *Fr. Albertus à Sarthiano Clusinæ Diœcesis. in Tuscia Oppido, Pij Tertij patria, ad obseruantes à Patribus Conuentualibus transiuit annos natus* 30. *latine egregie edoctus Guarino viro insigni præceptore, & græcè sub Emanuele Chrisolora vtraq; lingua eruditè scripsit, & vtriusque gentis studuit conuersioni. Sanctum hoc institutum multifariam adiuuit suis doctissimis scriptis, & ab impugnatoribus liberauit, vocatis à sæculo adolescentulis auxit, multiplicatis ædibus, & optimis præscriptis legibus formauit. Ipse in summo vitæ rigore, & disciplinæ seueritate pauperem vitam transigens omnes cupiebat Christo lucrifacere, vel assiduæ oratione, vel efficacissima prædicatione. Faciem nullius respiciebat, neq; diuitum potentiam timebat quin minus Dei verbum liberè proponeret, & quod absonum erat redargueret. Id tamen tanta fecit dexteritate, & eloquentia, vt prædicatorum sui temporis Rex diceretur.*

Ei ibidem cap. 8. pag. 92. col. 1.

Quem (Poggium Florentinum) *B. Albertus Sarthianensis attica, & Romana eruditione clarus edita graui sed modestissima Apologia verbatim confutauit, & suorum bonorem, iam ex operibus apud sæculares clarum suo scripto clariorem reddidit.*

Cap. 15. pag. 203. col. 1.

B. Albertus de Sarthiano attica, & Romana eloquentia insignis, sed fructu prædicationis, vitæque sanctitate longè insignior, pro Obseruantiæ Regularis inuicta defensione, felicique propagatione quam gloriose laborauerit videndum est in Vvaddingo, & nos in proprijs locis enarrabimus.

Alij plures huius B. Patris meminerunt S. Antonin. p. 3. tit. 22. pag. 789. Ioannes à S. Maria part. 1. Chron. Prouinciæ S. Iosephi cap. 4. Ignatius Legault, de Sanctitate Ecclesiæ Rom. cap. 2. sect. 2. Henricus Sedulius in cap. 3. vitæ S. Francisci. Henricus Spondanus in prosecutione Annalium Card. Baronij tom. 2 anno 1441. num. 3. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiæ tom. 18. anno 1441. & alij plures. Sed quia quos ex illis vidimus nihil noui proferunt, eorum verba omisimus. At non tam finem quam illustrem coronidem, & pennatam summitatem his testimonijs imponet sequens elogium

gium Alberti, nobilium authorum eruditione, & elegantia dignum.

(23) ACCADEMIA SENENSIS

Intronatorum in Fastis Senensibus ad Alex. VII. Pont. p. 208.

B. Albertus de Bendinis à Sartbiano (24) Ordinis Minorum.

Cunas cum pheretro confundere visus est, qui Albertum Mediolani natum prodidit, certissima quippe monumenta sunt, quæ natale illius solum Sartbianum, Senensis nobile ditionis Oppidum esse dubitare non sinunt. Mediolani quidem supremum decubuit, & hac mortalitate solutam illius animam Cęlo triumphantem succedere suspexit Biturgij degens vir ille Beatissimus, superumque spectaculis iam dudum assuetus, Ioannes à Capistrano. Huius in oculis quasi etiamnum hærentem tanti spectaculi pompam vnà mecum lector, si vacat, cognosce. Post præuios faustum modulantes choros ferebantur simulacra Hierosolymæ, Constantinopolis, Mempheos, Cretæ, Græciæ, Armeniæ, Syriæ, Aegypti, ac Numidiæ, quas ille Vrbes, nationesque non tam itineribus, quam victorijs, eloquentia, & pietate partis, late lustrauerat: videre erat ex eiusmodi simulacbris pendentia sacra quam plurima diplomata à vaticani bierarchis ad Albertum data, amplissimis illius meritorum titulis honestantia, & Apost. authoritatis vires impertientia, vt vel remotiores Africæ, Asiæque Prouincias Christo subigeret. Inerat simul aureis expressa caracteribus approbatio Florentini Concilij, virum eximijs laudibus honestantis, quod Eugenij IV. iussu ad consessum illum accitus, in fęderandis Rom. Ecclesiæ Græcorum animis, eximiam operam, industriamque nauasset. Accedebant opima de profanis impietatis delubris relata spolia: acti ante currum, deuinctis manibus virulenti Scriptores non pauci, quos reformatum nuper Franciscanum Ordinem, dentatæ chartæ maledictis proscindentes vindex hic noster inuicto stylo confoderat: currum ipsum sydereis gemmis rutilantem geminæ monstra, hæresis, ac superstito, ineluctabili fręno constricta, trabere cogebantur. Præ quibus illum ingentem ceruum catenæ præmebant, cuius laruam malus dęmon indutus Mediolanenses (qui adbuc vsque sexagesies mille dicenti Alberto interdum aderant) dùm è nostri oratoris ore pendebant, facto in medio impetu perturbare est ausus, auertissetque fortasse attonitam spectaculi atrocitate, concionem in ipso suo furore diffidentem inanibus suis viribus, nisi belluam pro vocis imperio, non fugere modo, sed euanescere coegisset: stipabat latera manus Epheborum numero, ac dignitate per nobilis, quos Albertus ad ipsum adolescentiæ florem, spinis patientis Dei intra religiosa claustra, sacrandum mira dexteritate permouerat, sequebatur innumera pileatorum turba, Iacobitarum prę sertim, & Armenorum, quos, videlicet, e perfidiæ seruitute, in veram Catholicæ fidei pietatisque libertatem, tanti doctoris præpotens virtus asseruerat: sed splendidissimam triumphi maiestatem, vnus ipse spirabat Albertus sacræ Latinę, & Græcę eruditionis, laureis redimitus, & textili, non quidem è cineribus veste, sed ex radijs syrmate

late

late conspicuus:obuiam interim effusi Cœli Ciues aduentantem victorem plausu, & quam lętis fauoribus excepere: salutabant egregium Diui Bernardini Senensis discipulum, dignissimumq; populorum magistrum: verè magnum ex ipsius æterni Regis decreto compellabant, qui nimirum ex euangelici oraculi præscripto ante fecerit, quæ docebat, vt nunquam manum linguę rubori esse contingeret; quando nulla Christianæ sapientię præcepta, ad aures populorum admoueret, quę moribus, vitaque multo antea non affirmasset. Reddendam vero laudatissimi viri humilitati vicem vna cœlestium omnium vox esse videbatur, vt qui sublimis inter mortales, recusato supremo sui Ordini magistratu, esse noluerit, eo apud Cęlites excelsius emineret, nec monitore suæ paruitatis, & vulgari triumphantium more indigebat, qui tam illustri experimento, quanti se faceret, ostendisset.

NOTAE IN VITAM BEATI ALBERTI SARTHIANENSIS ORD. MINOR. OBSERV.

Nota In Frontiſpicium Inciſum.

QVid hoc ſchemate deſignetur, ad pedes eiuſdem ſummatim incidi curauimus. Nunc verò particularia quædam explicanda ſunt, atque imprimis cum duo nobis extent eius ectipa, ex eodem Vaticano prototypo, ad eandem rem præſentandam deſumpta, alterum ſcilicet hoc noſtrum, alterum quod Horatius Iuſtinianus fieri fecit, & in ſua hiſtoria Concilij Florentini addidit, adeò tamen inter ſe diſſimilia ſunt, vt non vnam actionem, ſed duas, diuerſaſque ſignificare videri poſſunt. Ad tollendam ergo hanc ambiguitatem, aduertendum eſt, Iuſtinianum, vt rem integram produceret, portam Baſilicæ Lateranenſis adiunxiſſe, eamque imagine Sancti Saluatoris, brachio dextro, in modum benedicentis eleuato, ſiniſtra verò pomum cum infixa cruce, illius Eccleſiæ inſignibus ornatam, vt ijs notis indicaret, eam actionem Concilij in eadem Eccleſia celebratam fuiſſe. Addidit prętcrea plures quam nos legatorum imagines, quaſi portam illam ingredientium, & ad Pontificis pedes procedentium, fidei decretum ex eius manibus accepturi. Quæ omnia cum in parua ſcheda comprehendere non poſſet, noua celatura neceſſaria fuit, vt imagines ipſæ multò quàm noſtræ minores prodijſſent.

Ego verò ſola ipſa præcipua actione contentus, quæ intra templum acta fuit, & Alberti noſtri effigiem complectitur, malui impacto gypſo figuras, eadem qua in ipſa porta Vaticana molis menſura exprimuntur, excipere: nam id folij noſtri latitudini conuenit, & icones ipſæ magis conſpicuæ, clariùs diſcernuntur, & maiorem venerationem, authoritatemque præferunt.

Accedit inſuper, ne paucitas perſonarum, quæ hoc ſchemate oculis obijciuntur, inducat lectorem, vt ſuſpicetur huic actui plures non interfuiſſe, vel actum ipſum non publicum, aut ſolemnem, ſed ſecretum, & quaſi clancularium fuiſſe, hic aduertendum duxi, non ideò paucas perſonas exprimi, quod re ipſa paucæ fuerint, ſed quod anguſtia noſtræ paginæ plures capere non potuerit, atque adeò ſynecdoche opus fuit, qua per vnam plures intelligamus.

Sic vnus Cardinalis eſt pro pluribus qui interfuerunt, ac duo tantum legati, cum duodecim circitèr ex Aegypto, & Aethiopia re ipſa interfuerint, vt habetur in tabulis à Iuſtiniano ex porta S. Petri in ſuum librum tranſlatis.

Quemadmodum enim Rhetores, & Poetæ per ſynecdochen vocalem efficiunt, vt ex vno plures intelligamus, ſic ſculptores, & pictores, per pauciores res plures intelligi volunt, vt dum mediam corporis partem, totum hominem, aut per vnum hominem plures intelligunt.

Poſtremo hoc loco dicendum reſtabat, quod ad Alberti effigiem, & habitum pertinebat. Verùm ea res ſatis elucidata eſt cap. 13. eius vitæ prope finem, vt proinde ſuperfluum ſit eam hic repetere.

Nota In Frontispicium scriptum.

* *A Sartbiano*. Hac orthographia libentius vtor, quam qua alij quidam Sartianum, Sarcianum, vel Sarreanum scribunt. Illa enim vsi sunt Blondus Flauius eruditus historicus, Alberti nostri synchronus, & amicus: Marianus Florentinus ex eadem prouincia Tusciæ, in qua Sarthianum situm est, & certioris fidei scriptor ipse Albertus, qui vt erat Tusca pariter, & Latina lingua peritus, rectam natalis oppidi nominis orthographiam ignorasse præsumi non potest. Et ratio suffragatur tùm ad retinendam primitiuam nominis pronunciationem; Tusci enim, non vt Latini, Titium, Mattialem, & similia, hoc nomen efferunt, in quibus extenuatur natiuus sonus litteræ T. sed vt Schytiam, Aethiopiam, & alia eiusmodi, in quibus, ad solidiorem sonum litteræ T. necessaria est interpositio aspirationis, vt extenuantem alioquin vim sequentium vocalium intercipiat, vt non Sartianum, sed Sarthianum ad aures deferatur, tum etiam vt clarius, distinctiusque differat à nomine Sarzanæ Ciuitatis eiusdem Tusciæ.

Cap. I. Nota 1.

Bina legatione. Acta huius legationis extant M. S. in Bibliotheca Vaticana, vnde historiam deprompsit Vvaddingus tom. 5. Annalium Min. & ipsa verba descripsit Baronius, in Annalibus Ecclesiast. tom. 15. sub anno 1426. à numero 5. ad num. 19.

Cap. I. Nota 2.

A mille fere tunc annis rebelles. Lege Card. Baronium tom. 3. an. 347. n. 64. & Thomam à Iesu de procuranda salute omnium gentium, lib. 6. cap. 2. pag. 237. Ioannem Azorium tom. 2. instit. moral. & multos alios, qui controuersias fidei, ac Terræ Sanctæ historiam tractant.

Cap. I. Nota 3.

Post Bernardinum secundus. Hoc ita intellige, vt Albertus habitum Religionis induerit, & professionem inter Conuentuales emiserit antequam sæculum reliquerit Capistranus, sed quod hic prius inter Obseruantes ipsos indutus fuerit, quam Albertus à Conuentualibus ad Obseruantes migrasset, constat ex Vvaddingo.

Cap. I. Nota 4.

Vaticanæ, Pontificiæ, & Fesulanæ Min. Sic ipse Vvaddingus tom. 5. Annal. ad annum 1438. num. 3. & 1439. num. 11.

Cap. II. Nota 5.

Ex nobili, & clara Ceruinorum familia. Huc spectant Francisci pacis seu alterius horni scriptoris verba, in epistola nuncupatoria cuiusdam sui libelli ad Antonium Ceruinum Montis Politiani Episcopum, quæ ex Italico Latinè reddita, hæc sunt: Inclyta Ceruinorum prosapia indubitanter sat grandis est nobilium dominiorum possessione, qua illa ab antiquo gauisa est: parentela cum Hetruriæ familijs maximè conspicuis contracta; rerumque gestarum splendore, & administratione Magistratuum quos illa regebat. Sed & (quæ illam amplioti veneratione dignam reddiderunt) personarum pietate resplenduit, vt Franciscus ille Ceruinus, qui sanctissimæ vitæ suæ fastos Beati charactere obsignauit. Quis prudentia, vt ille Marcellus? qui ex Ecclesiæ Saonensis Antistite, in hac adeò digna Montis-Politiani, sed tibi antecessor euasit? Quis rerum cognitione, vt magnus ille Richardus in omni scientiarum genere versatissimus? Inter maximè claros, charosque, quorum conuersatione Paulus III. Pontifex eximius literarorum æstimator se oblectabat? Si Richardus eo minor in se ipso non fuerit, quod maiorem se mundo

pro-


protulerit? qualis fuit Marcellus Secundus Pontifex Maximus ex illo genitus.

Cap. III. Nota 6.

Græcæ, & Latinæ eruditionis fontem. Breui hoc Elogio Albertus gratus auditor sui præceptoris Guarini virtutem expressit, nec elegantiori, vel significante magis potuit, qui veram Guarini effigiem ex ære fusam, posteritati consecrauit, In auersa quippe numismatis facie, fontem exhibuit laureo serto pendentibus baccis circumdatum, cuius & reliqua ornamenta eruditionem, doctrinam, scientiam, sapientiam, bonarumque rerum cognitionem fontis emblemate significari, tum sacræ, tùm profanæ literæ contestantur. In illis enim eruditio ipsa fontis nomine quandoque venit, vt Prouerb. 16. *fons vitæ eruditio possidentis*, aliquando etiam personæ doctrinæ dotibus insignes, qui ex abundantia virtutis suæ, eadem dona in alios effundunt. Quod indicare videtur Isaias Propheta cap. 12. num. 3. cum diceret. *Haurietis in gaudio aquas de fontibus Saluatoris*: qui fontes in veteri testamento fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, & legis doctores. In nouo verò Christus ipse Saluator, Apostoli, Euangelistæ, Patres, & Ecclesiæ Doctores, seu in vtroque, vt alij volunt, ipsa doctrina, tam scripta, quam tradita, ex quibus aquas salubertimas doctrinæ in alios scaturire credimus. Cornelius à Lapide in illa verba Isaiç *Haurietis &c.* & patres quos citat, per aquas intelligunt Sacram Scripturam; & doctrinam Euangelicam, quam haurimus à Christo ipso præcipuè, sed mediantibus illis doctrinæ fontibus, quos iam indicauimus. Accinit Regius Vates Psal. 64. *In stillicidijs eius lætabitur germinans.* vbi Lorinus: Mysticum sensum, inquit, de imbre cœlestis doctrinæ percipiet facile, qui hactenus dicta perlegit. Et eadem pag. 226. col. 2. omnia, descriptis interpretum locis, ad doctrinam, doctoresque refert. Denique Anton. Agellius in Psal. 35. ad illa verba. *Quoniam apud te est fons vitæ*, relatis alijs sensibus addit; *nam & ille sensus non repudiandus est: fontem vitæ appellari sapientiam, & doctrinam, quæ tum in templo, seu tabernaculo à Sacerdotibus, & Prophetis, ad explendam populi sitim, tanquam ex fonte redundabat, Spiritu Dei, Sanctis viris iugiter fontis viuentis instar, aquas doctrinæ suggerente, & Christus ipse fons vitæ sic intelligi potest: quomodo ipse de se dixit; Qui sitit veniat ad me tanquam scilicet ad viuum sapientiæ fontem, & bibat.*

Colebant quoque Gentiles fontes suos, vt ad rem dicam, doctrinales, qualis fuit Caballinus ille Montis Parnassi, cuius aquam, cum Ascræus ille senex affatim bibisset, repente poeticum accepisse spiritum fabulantur; cum antea patris oues pauisset in monte Parnasso, talis etiam fuit Castalius fons, quem Amiano teste, dictarunt Græci propheticum influere spiritum, sed vniuersim Andreas Baccius de thermis lib. 6. pag. 356. *Sacræ dictæ musæ, & sacri vice versa quos eas diximus colere fontes, ac etiam montes. Quæ figura hanc videtur habere rationem, quod vt è fontibus sponte aqua manat vberi vena, sic è vatum sapientumque ingenijs, quasi è perenni vena abundent, quæ meditantur, qui & coloni quoque fontium figurantur, quoniam musæ, ac ipsarum studiosi*, vt Strabo interpretatur lib. 10. *quasi indagatrices sunt, ac venatores rerum maximè vtilium ad disciplinas, & ad vitam: vnde & venari vsurpamus verbum quod est inuestigare, & inuenire.*

Restat nunc vt Guarini fontis proprium apparatum, hoc est partes, & ornamenta paucis explicemus, in quem finem vtramque numismatis faciem oculis cernendam exhibeo;



In hoc ſchemate conſpicuus eſt venerabilis, magnique viri vultus: in emblemate latent myſteria; quæ quoniam ex ethnica veterum diſciplina, partim fabuloſa ſunt, & partim Chriſtiana fide certa, ſolidâque veritate conſtant, nos vtraque comparabimus, ſed ſacra ſeriò proſequemur, & fabularum vanitates Mythologis explicanda mittimus, fingunt enim globum illum cœleſtem in aere ſuſpenſum, qui fontis origo eſt, Iouis caput eſſe, quia Pierio Valerio teſte Euſtathius eruditè 1. Iliados, veteres ait cœlum pro capite accepiſſe. Nos verò globum illum Diuini verbi ſapientiam interpretamur, quæ ſuæ figuræ rotunditate perennem, æternum, indeficientemque fluxum denotat. Omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum Eccl. 1. n. 1. & n. 5. *fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*; nympham illam globo inſiſtentem, & quaſi pedum impactu aquas elicientem, Palladem, ſeu Mineruam è Iouis capite natam eſſe ſomniant, ingeniorum, diſciplinarumque præſidem. At nos Spiritus Sancti gratiam intelligimus, qui ab initio ferebatur ſuper aquas Gen. 1. ac tanquam verus ingeniorum, diſciplinarumque præſes dona ſua hominibus diſpenſat, vnicuique enim datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij ſermo ſcientiæ &c. *Hæc autem operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis pròut vult* 1. Corinth. 12. n. 11. toto corpore nuda depingitur, vt veritatem doctrinæ afferat, quæ veritas ideò nuda eſt, tum quia per ſe ipſam ſatis ornata, tùm vt manifeſtum fiat, nullum in ea erroris, falſitatis, adulationis, diſſimulationis, aut alterius vitij næuum eſſe, cuius eam vel pœnitere, vel pudere poſſit. Dextra clauum torquet Herculis virium inſigne; non illius Græci, Iouis ex Alcmena filij, cuius vires in corporis robore conſiſtebant, in quo homines à beſtijs pleromque ſuperantur, ſed alterius Herculis quem Gallicum vocant, quique clauo linguæ veteres Celtas prudentia, & erudita eloquentia conuictos, à feris moribus ad humanam viuendi rationem, & ciuilem conuerſationem ſuauiter, fortiterque traduxit. De quo multa Claudius Minoes in ſuo commentario ad emblema 180. Alciati, & Alciatus ipſe hanc epigraphem appoſuit: *Eloquentia fortitudine præſtantior*. Et Herculem Gallicum carmine laudauit, & græco præfert. Nos autem in clauo Diuinam æterni Patris potentiam agnoſcimus, & vim illam inuincibilem, nudæ, ſimplicis, & eruditæ veritatis, per quam ſuper omnia vincit. Eſdræ 3. Cap. 3. in clypeo verò prudentiæ virtutem colimus, cum Io: Boccatio in genealog. deor. lib. 10. Cap. 11. ait enim Perſeum

ſcuto

ſcuto Palladis armatum oppreſſiſſe Meduſam, in templo Mineruæ, ideſt, inquit, *intra terminos prudentis conſilij, illam ſuperat, quod etiam per ſcutum Palladis demonſtratur, quod cryſtallinum erat, vt per eum ſumatur prudentis circumſpectio. Habet enim Cryſtallum hoc, vt reddat oculis intuentis, quidquid extra ſe geritur. Sic & dux diſcretus conſilio, quidquid poſſint hoſtes agere intuetur, & ſic ſe tutum facit, dum illorum à ſe præuiſa fruſtratur conſilia.*

De quatuor illis ſapientiæ riuis, qui ex globo in fontis cratera ſcaturiunt, augurentur illi quod volent, nobis cum Laurentio Berlingo in theatro vit. hum. ſentire liceat quaternarium hunc numerum ſignificare, quatuor genera rerum, quibus conſtat noſtra inſtitutio; nempe præcepta ad iuſtitiam, mandata ad charitatem, teſtimonia ad fidem, exempla ad perfectionem, vel dogmata, præcepta, minas, promiſſa. Per duas autem ſcaturigines, quæ ex cratere in ſubiectum labrum decidunt, ſignantur duo præcepta Dei, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ, hoc eſt Chriſtiani hominis perfectio conſiſtit. *Diliges Dominum Deum tuum &c. Et diliges proximum, ſicut te ipſum.* De ijs enim dictum eſt, fac hæc, & viues, ideſt vitam æternam poſſidebis. Denique ne vllum huius fontis myſterium omittam, pratum illud, ſeu campus virens, & floridus, inferiori labro ſubſtratus, ad diſcipulos pertinet, qui dum eruditionem ex fonte concipiunt, virtutum flores germinant: & bonorum operum fructus proferunt, de quibus iam dictum eſt: *In ſtillicidijs eius lętabitur germinans.* Pſal. 64.

Nunc tandem cum B. Alberti gratum præceptori animum laudamus, cauendum ne ille nos ingratitudinis, turpis vitij, redarguat, ſi eorum memoriam ſilentio tranſeamus, per quos proficimus. Si quid ergo vtilitatis in hac nota eſſe videatur, id referendum eſt in Cl. V. Antonium Magliabechum Mediceæ Coſmi III. Magni Ducis Etruriæ Bibliothecæ præfectum, in quo Nicolai Nicoli quondam eruditio æuo noſtro, rediuiua florentinis muſis reſtituta cernitur. Is namque illius numiſmatis integrum ectypum ex æneo Muſæi ſui gypſo depromptum ad nos miſit, & primus hortatus eſt, vt ipſum Alberti, & Guarini memoriæ, eruditorumque voluptati, in aptum lucubrationis noſtræ locum inſeramus.

Cap. III. Nota 7.

Florentiæ docentem. Opitulatur Poggius cuius locum proferimus in noſtris notis ad epiſt. 6. Alberti.

Cap. VI. Nota 8.

Guelforum, Gibellinorumque. Vide noſtram notam in epiſt. 10. Alberti.

Cap. XII. Nota 9.

Vt è ſua familia ſegregarent ſex viros. Ij fuerunt Ioannes à Capiſtrano, Iacobus Primadicius Bononienſis, Iacobus Picenus à Montebrandono, Albertus Sarthianenſis Tuſcus, Bartholomęus de Yanno Vmber, & Ludouicus Bononienſis, viri omnes egregij, qui quam multa, & magna deinceps Eccleſiæ præſtiterint, fusè narrat Vvaddingus tom. 5. & 6. Annalium.

Cap. XIII. Nota 10.

Iter ſuum in Aegyptum direxit. Hæc Alberti prima in Aegyptum profectio fuit, cuius viam ita deſcribit Fr. Franciſcus Surianus Venetus ordinis Min. teſtis oculatus, & non ſemel expertus, in ſua hiſtoria Terræ Sanctæ, quam abſoluit Ieroſolymæ in Conuentu Montis Sion anno Domini 1414. & ſui in eo Conuentu ſecundi Guardianatus anno ſecundo, ſic autem ſed vernaculo ſermone loquitur. *Ieroſolyma Cayrum profecturus, bidui imprimis itinere per viam aſperam, montoſam, & malam pergit Gazaram Paleſtinæ, vbi viator victui neceſſaria pro reliquo itinere ſibi procurare debet, quod inaquoſum, ſalſuginoſum, & arenoſum eſt; nec per dietas inde quinque, alia ciuitas eſt, vſque ad Cathyain vrbeculam antiquiſſimam, in qua Cayri vectigalia perſoluuntur. Hæc*

ea-

eadem est, in qua Abrahamo in Aegyptum eunti, Sara vxor dempta fuit, & inde ad Pharaonem ducta, hinc item ad Cayrum, quatuor tunc itineris dietæ, & aliqua loca culta, & inhabitati pagi, Mediæ diei extra Cayrum itinere occurrit ciuitas Tanes, quam cum suo territorio Ioseph Patriarcha Patri Iacobo, & fratribus suis in Aegypto possidendam dedit. In toto hoc itinere sunt per arenam vermes, tineis nostris maiores, quos Pharaonis pediculos vocant, suntque venenatis morsibus, noctu magis quam diu viatoribus molesti, sed aduersus eorum venenum præstans remedium est, succus limonum.

Cap. XIII. Nota 11.

Cum Mamaluchis. Hi erant Christianæ fidei desertores, & Alberti nostri tempore in Aegypto, Syria, & Palestina potentissimi, eorumque originem, progressum, & casum idem Surianus fol. 13. ita posteritati tradit. *Quo tempore Sultanus Aegypti cum suis Sarazenis Terram Sanctam expugnauit, in eo bello multi Christiani in seruitutem redacti sunt, sed quoniam in armis exercitati, & strenui præliatores erant, Sultanus eos tanquam sui regni propugnacula futuros reseruauit. Ac primùm, in Beduinos capitales hostes suos emisit. Erant etiam Beduini Sarazeni, sed alterius sectæ. Mamaluchi itaque multis prælijs Beduinis Arabibusque superiores, maximum studium in eo posuerunt, vt suæ fortunæ Christianis mancipijs copias suas in dies magis, magisque adaugerent. Quo factum, vt aucto numero, & potentia, post insignem victoriam ab Arabibus, Beduinisque reportatam, communi consensu constituerint, vt è suæ sortis hominibus strenuum aliquem virum, ducem sibi præficerent, cui cæteri parere tenerentur. Mox arma sua in Sultani subditos vertunt, & multi Cayrum ingressi Sultanum ipsum multosque ipsius asseclas trucidarunt. Nec moram passi vnum è suis in eius throno cum dignitatis titulo collocarunt, & Sultanum salutarunt. Hinc Prouinciam vniuersam deprædati sunt, & incusso terrore, cunctos coegerunt noui tyranni iugum admittere; nec vllum Christianum in suum ordinem admittebant qui Mahometi legem non profiteretur, & qui sic faciebant, aliquo Principatus, vel Dynastiæ titulo honorabant, in quem laqueum diabolus multos pro dignitatis ambitu traxit. Omnia enim Sultani dominia in principatus diuiserunt, quos solis Christi desertoribus, & professis Mahometi sectatoribus conferebant. Et quoniam primus, quem Sultanum salutarunt, quintam seruijt seruitutem, ac toties emptus, venditusque fuit; idcirco neminem suprema inter eos Sultani dignitate donabant, qui & ipse non esset repertus, toties emptus, venditusque fuisse, vsque adeo, vt si quis alioquin Sultani Sede dignus censeretur, non admitteretur tamen, nisi per venditiones tanquam per gradus ad thronum ascenderet: ac ne dignum abijcere viderentur, hunc toties eodem die vendebant, vt quintum venditionum numerum compleret, ac dignitatem hoc quoque titulo mereretur. Tanta arrogantia, fastuque viuebant huiusmodi apostatæ, vt ipsorum vilis quisque natiuorum Sarazenorum primorum quemuis baculo percuteret, & iste nec se defendere, nec queri quidem de iniuria, multo minus vindicare auderet, nisi bonis, aut ipsa vita plectendus.* Atq; hanc tyrannidem annos circiter tercentum, & viginti exercebant, dum tandem anno Christi 1575. à magno Turcarum Imperatore debellati, deletique fuerunt. Isti igitur cum Sultani Electores, Consiliarij, Duces, atque adeò etiam Iudices fuissent, multum procul dubio in B. Alberto è Sarazenorum manibus eripiendo poterant.

Cap.XIII. Nota 12.

Et si dolente, & contra nitente Alberto. Quam sincera fuerit in hac occasione voluntas Alberti, & quam ardens desiderium, studiumque Martyrium pro Christi fide adipiscendi, præter testimonia scriptorum, satis demonstrat ipsius opusculum, seu epistola ad Eugenium Pont. contra vituperatores Martyrum, & alia ad fratres Antonium, & Lucam, qui Ierosolymæ carceres, & sæua tormenta, tunc pro Christo constanter tolerabant; ipsiusque sæpe re-

pe-

petita, ac tandem obtenta facultas, barbaras quasque, & remotissimas infidelium nationes adeundi, Christum daturus, aut sanguinem.

Cap. XIII. Nota 13.

Abeuntibus ergo secundis his socijs. Hos, vel eorum aliquos ad Aethiopes, Indosque peruenisse, præter ea, quæ hoc loco diximus, docet etiam publica promulgatio Florentinæ vnionis in Aethiopia, & aliqui inde secuti effectus, quos refert Fr. Gandulphus Siculus, nostrorum Ierosolymæ Guardianus, & post Alberti reditum in Italiam, in partibus Orientalibus Indię, Aethiopiæ, Aegypti, & Ierusalem, Apostolicæ Sedis Commissarius, in literis ad Eugenium Pont. scriptis: quas mox infra dabimus. Et S. Antoninus part. 3. hist. tit. 22. cap. 11. pag. 531. vbi narrat aliquos ex India, misisse oratores suos Florentiam ad Eugenium Pont. postulantes, & supplicantes, instrui, & erudiri in ijs, quæ sunt fidei, à Romana Ecclesia, & vniri cum ea in charitate Christi. Videndus etiam Odoricus Raynaldus tom. 18. Annal. Ecclesiast. ad annum 1441. à num. 5. & an. 1442. à n. 1. ad 9. vbi plura, quam diximus habet, de alijs Christianorum Orientalium populis, & quibusdam Sarazenis, cum Ecclesia Romana, hoc tempore confœderatis, vel ad fœdera proximè dispositis, in quibus dubitari non potest, B. Alberti studium interuenisse, quantumuis, & ipsius, & eorum, cum quibus tractabatur, nomina silentio tegere, tam temporis, quam rerum ratio, maxime postulasset, vt colligi facile potest, ex ipsius Alberti literis ad Eugenium Pontificem Rhodo datis, quando ipse cum Aegyptiorum, Aethiopumque Legatis Florentiam rediret.

Cap. XIII. Nota 14.

Accidit autem. Duo hic distinguenda, ac seorsim elucidanda sunt. Primum, ac principale, quod Christus Dominus noster in humana specie pulcherrimi iuuenis apparuerit Alberto, tunc fame in deserto languenti, ipsumq; optimo cibo, & suauissimo colloquio refocillauerit, in quo conueniunt Marianus Florentinus, Lucas Vvaddingus, & anonimus aliquis, qui notas marginales Mariano manu scriptas apposuit, & alij, præterquamquod Marianus rem referens, proprium Alberti nomen dissimulauerit, quod alij exprimunt. Etenim de Alberto, & socijs ita loquitur.

Erat inter eos quidam frater valde nobilis in sæculo secundum carnem, sed nobilior fide, & virtutibus, qui cum legationem suam promptissimè expleret &c. Et iterum: *frater verò obedientiam Vicarij Christi explere plurimum optans aliquas è rebus sibi magis necessarijs in sarcinulam composuit, eamque suis humeris dimissis alijs imposuit, inceptumq; iter*, illud nempe ex Græcia in Aegyptum, in quo Christus Alberto apparuit.

Itaque ne quisquam ex hac Mariani dissimulatione suspicetur Christi apparitionem in deserto non Alberto, sed cuidam illi fratri per Marianum innominato contigisse, is primum aduertat, Marianum ipsum cum ab alterius rei narratione, ad Alberti acta prosequenda transiret, se ipsum his verbis declarasse *Sed nunc ad gesta narranda fratris Alberti Sarthianensis redire oportet*. Et quamqum proprium eius nomen aliquando tacuerit, certè personam clarè manifestauit, cum illum suum fratrem quemdam, proprijs Alberti characteribus depinxit, ipsumque imprimis in sæculo nobilem secundum carnem appellat. Ego enim in illo Alberti comitatu neminem reperio, sanguinis nobilitate commendatum, præter Albertum ipsum, de cuius progenie iam egimus Cap. 2. huius ipsius vitæ, cum adiuncta nostra nota. Marianus eum infert cum apparente ipsi Christo hoc modo loquentem. Nonne pro amore tuo sæculum dimisi, ac temporale dominium. Hoc etenim dominium nulli magis congruit, quam viro nato nobili, diuiti, & potenti, qualis, vti dixi, in tota illa societate solus Albertus fuit. Marianus illum porro fide, & virtutibus nobiliorem vocat, quibus dotibus, in tota hac historia ab omnibus extollitur Albertus. Hic frater quidam apud Marianum,

num, idem eſt, qui Vicatij Chriſti obedientiam explere plurimum optans, dimiſſis ad Indos, & Aethiopes alijs, iter, vt ſupra, per deſertum agens, in Aegyptum redijt, & Iacobitarum legatos ad Florentinam Synodum perduxit. Sed quis hæc, & plura niſi Albertus? Ergo ſiue lapſu calami, ſiue cauſa nobis incognita motus Marianus, proprium nomen Alberti in commune Fratris cuiuſdam mutauerit, ex ijs quæ diximus clarum eſt, ipſum Alberti perſonam vbique deſignaſſe, & à nobis intelligi debere cum Vvaddingo, & anonimo ſcriptore notæ marginalis, alijſq; qui hos indubitanter ſecuti ſunt.

Alterum hic notandum, in circumſtantijs, & acceſſorijs verſatur, vt an in Italica, vel alia lingua Chriſtus Albertum ſalutauerit, an apparitio Saluatoris in primo, vel ſecundo Alberti acceſſu in Aegyptum contigerit, quibus verborum formulis collocuti ſint, & ſimilia, in quibus ſcriptores pro ſuo arbitrio, & natura materiæ, rem referunt. Marianus fusè, ſed parcè Vvaddingus, & nos ex vtroque aliquid, abſque detrimento ſubſtantiæ, apparitionis, & colloquij.

Eodem Cap. XIII. Nota 15.

Nicolaum quendam natione Græcum. Mirum quam parcè, ne dicam diſſimulanter, Andreas à S.Cruce Actorum œcomenicæ Synodi Florentinæ ſcriba publicus, Nicolaum quaſi hominem ſibi ignotum, & obſcuram perſonam ſic nobis indigitat, quem alioquin quotidie in medio Concilij ſedentem videbat, & ea ipſi Latinè dictantem, quæ Græci Græcè proferebant, pro officio communis interpretis Græcorum, & Latinorum, à cuius muneris præſtatione illum eximiè laudat, nulla alia expreſſa conditione perſonæ, tanti alioquin æſtimatæ, vt illuſtre nomen ſibi præ cœteris interpretibus, ipſorum etiam, & vtriuſque nationis Conciliarium omnium applauſu, adeptus ſit. Eodem elogio, tametſi mutatis aliquando vocabulis, eum efferunt Andreas in Actis Concilij part. 2. collat. 2. pagina editionis Iuſtiniani 90. Math. Palmerius etiam præſens tunc teſtis, ad annum Chriſti 1441. ſui Chron. per Cardinalem Bellarminum laudati, vbi Nicolaum Euboycum vocat, Aeneas Syluius in hiſtoria Europæ Cap. 54. & de origine, & moribus Turcarum Aſiæ minoris cap. 100. qui illum Saguntinum, & Sagundinum appellat. Henricus Spondanus tom. 2. proſecutionis Annalium Card. Baronij anno 1438. num. 29. Philippus Bergomas in ſupplemento ſupplementi chronicorum ad annum Chriſti 1449. fol. 382. Marianus Florentinus in huius noſtræ notæ textu citatus, Antonius Poſſeuinus in apparatu ſacro, Franciſcus Sanſouinus hiſtoriç Venetæ lib. 13. ſub Ioanne Mocenico Duce, circa annum 1477. pag. 250. ex quibus colligo, virum omnium conſenſu Nicolaum nomen tuliſſe, natione Græcum, Patria Euboicum, ſeu Euboea Inſula oriundum, generis cognomento Sagundinum, Segundinum, vel Saguntinum, nam quod hanc appellationem ab Epiſcopatu Saguntino poſt abſolutam Florentiæ Synodum ipſi collatum ſumpſiſſet (quod Palmerius, & fortaſſis ex ipſo Marianus noſter affirmant) vana coniectura eſt, à ſyllabarum ſoni ſimilitudine deſumpta, vt quę mox dicturi ſumus, facile demonſtrabunt. Sanſouinus præterea Nicolai conſilio decemuirali Veneto à ſecreris, & cum alijs aliquot ingenij, & eloquentiæ eius monumentorum meminit. Ego ipſorum verba non refero, tum quoniam in locis impreſſorum librorum, quos allegamus, facile reperiuntur, tum quod, quæ diximus cum ampliori hominis notitia, & vetuſto M. S. monumento ob raritatem codicis, nondum, quod ſciam, typis editi, proprijs verbis authoris nunc deſcribam. Caſu enim incidi in codicem M. S. epiſtolarum Petri Parleonis, viri eo ſæculo Græcè, & Latinè eruditi, & Nicolao noſtro familiaris, & amiciſſimi, atque dum folia verterem inueni prolixam epiſtolam, ſeu iuſtum libellum, quo Petrus Nicolaum, de naufragij calamitate conſolatur, hac inſcriptione pernotatum, *Petrus Parleo ſalut. D. Nicolao Sagundino.*

Epiſtolam hanc Venetijs datam fuiſſe

ipsa satis indicat, sed quo tempore scripta fuerit, non assignatur, vt nesciam quantum ab absoluta Synodo tunc effluxerit; quidquid historiæ ad Nicolaum pertinens complectitur, ad maiorem personæ notitiam, breuiter excerpo. Nicolaus igitur Sagundinus, postquam illustre nomen à Græcis pariter, & Latinis in Sacra Synodo reportasset, in Cyprum profecturus, nauem in portu Veneto ancoris alligatam auro, & argento, libris, supellectili, fortunisque omnibus, longo tempore, & magno labore paratis onerauit: ipseque arridente Cœlo, cum vxore moribus, virtutibusque præstante, ac morti per ætatem propinqua, & multa prole, cæteraque familia conscendit; sequenti mane vela facturus: sed intempesta nocte orta tempestate, fractaq; naui, substantiam vniuersam, fortunasque, & multo cariores vxorem, duosque filios paruulos, & fœminulam vnam, opem in medio mari frustra implorantes, vno momento submersos amisit. Ipse tamen, Deo disponente, ne omnes vnà perirent, nudus, & naufragus euasit, cum vno filio adolescente & filiabus quinque, suique naufragij calamitatem ad Parleonem per epistolam descripsit, de qua sic ipse Petrus. *Cum ad manus meas epistola tua peruenisset; omnem calamitatem abs te acceptam, apertius, pleniùsque cognoui, quod eam ita diligenter sis amplexus, atque rem omnem ita ante oculos posueris, vt mihi non scripta, sed picta, nec ipse legere, sed cuncta oculis perlustrare viderer.* Et postea consolari eum exorsus. *Tametsi virum*, ait, *vltro ad omnes fortunæ ictus, inuicto animo excipiendos paratissimum, perfectèque omnibus maiorum præceptis institutum singulari sapientia præditum, quique multa sibi consolationis præcepta, doctissimè conscripserit, qui existeret ætate sua doctissimus, atq; in vtraque fortuna ita exercitatus, vt iam in rebus humanis callum obduxerit, qui denique consolandi afflictos, nunc pre cæteris præstare & posset, & soleret:* quem (inquit Parleo) *paucis ante mensibus vidimus, Ioannis filij tui, & viri, & doctissimi quidem viri, ætateque florentis iacturam, qui decem tibi erat filiorum instar, in quo tuæ senectutis spem omnem collocaras, adeo moderatè, fortissimèque ferentem, vt nos pro officio salutandi, & consolandi tui causa, domum venientes, non alio te vultu offenderimus in aduersa fortuna, quam fueris semper in secunda, eamque constantiam, & tranquillitatem animi retinentem, quam in vero Philosopho, vtraque sapiente, hi requirunt, qui peracutè, ac diligenter philosophiæ præcepta, & scrutati sunt, & in vno quondam Socrate fuisse tradiderunt. Aderant mecum Phœbus Capellus, & Marcus Aurelius, viri doctissimi, ac vtrique nostrum amicissimi, quo tempore multa grauiter, de morte differendo, cum nihil in vita præter culpam dolendum esse ostendisses, ita nos affectos abs te dimisisti, vt te admirantes congratularemur potius virtuti tuæ qui ita ferres, quod accidisset, quam doleremus filium amisisse, in cuius doctrina, & virtute; ac omni rei familiaris administratione, senectus tua iam grauescens quiescebat.* Et post alia, infert operam, quam Nicolaus nauauit Synodo Florentinæ.

» Illa verò sunt, *inquiens*, & præcipua, & propria, & tua benè, & honestè acta, ætas singularis, doctrina summa, Græcarum, Latinarumq; literarum cognitio, omnium præceptorum, quæ à maioribus de morte, de exilio, de naufragio, de cæteris huiuscemodi tradita sunt, frequens, & assidua pertractatio, tuæ virtutis, & gloriæ fama, cum multis ex rebus cognita, tum verò ex his, quæ in Florentina Synodo per te gesta sunt, adeò illustris apud Græcos, & Latinos, aliasque exteras nationes, vt nulla vetustate, nullis vnquam tenebris obscurari queat. Cum enim ex toto terrarum orbe in celebrem illum, frequentemq; Christianorũ omnium conuentum, ad disceptationem aduersus Græcos, de Spiritus Sancti processione audiendam, tractandamq; magno studio, multi confluxissent, & vtrimque tam Latinorum, quam Græcorum maximi, & electi viri ad discurrendum parati, magna expectatione conuenissent, quæreretur; tantarum rerum idoneus, ac dignus interpres: tu solus ex omni Christianorum numero,

„ mero, vtriusque linguæ, ac dispu-„ tationis, doctissimus, atque excellen-„ tissimus, & inuentus, & habitus es, „ qui tanta verborum, sententiarumque „ proprietate, tantaque cognitione, „ atque peritia diuinarum, humana-„ rumque rerum, de quibus duæ sum-„ mæ nationes inter se contendebant, „ memoriter, & commodè omnia refe-„ rebas, & in vtramque vertebas lin-„ guam, quæ vltrò, citròque discur-„ rendo, acutissimè dicebantur: vt qui „ aderant, omnes non Græci modo, „ Latini, Galli, Hispani, Britanni, „ & cæteri, qui Romanam sequuntur „ Ecclesiam, sed Armeni quoque, Hi-„ beri, atque Indi (nam & hi quoque „ conuenerant disceptaturi de hæresi, „ quam sectantur) admirati. & quasi „ stupefacti, non hominem terrenum, „ sed cœlestem quemdam in terris te „ esse iudicarent, atque propterea ab „ Eugenio IV. Pont. virtutis, & me-„ moriæ causa, magnis es honoribus, „ præmijsque donatus. Quas igitur vr-„ bium expugnationes, quosque trium-„ phos, cum hac tua laurea compara-„ bimus? cuius ductu, atque virtute, „ eam victoriam Ecclesiæ Dei peperisti, „ quam annis plusquam quadringen-„ tis nunquam assequi potuit, vt duas „ gloriosissimas nationes, tam diu in-„ ter se disiunctas, tandem ingenij tui „ facultate coniunctas aspiceret, & Græ-„ cia quondam literarum, ac Italiæ pa-„ rens, nunc Latinorum filia, & à suis „ tùm nepotibus, tum maioribus aliena, „ & diffidens in pristinam tandem gra-„ tiam, & beneuolentiam, concor-„ diamque rediret.

Post multa ad solatium naufragij, *tu apud Vrbem Venetias, quam tibi sedem, & patriam elegisti, naufragus vnà cum amicis, & familiaribus, & bis, qui superfuerunt, liberis, tuorum mortem piè flentes, lugentesque illorum cadauera sepulchro condidisti. Denique tu tuis filijs, & filij, quos habes, tibi restituti, reduces in patriam rediјstis, qui mutuo solatio, præsidioque muniti, alter alterum solatur, iuuat, fouet, protegit.* In rerum verò iactura sic eum inter alia consolatur: *habes profectò pro tempore vnde tuum damnum consolere, atque ita consolere vt si (quod semper facis) volueris omnia consilio, & ratione metiri, iudices plus tibi in tali naufragio dedisse fortunam, quam ademisse. Nam cum euersa naui, multi perijssent, in quibus nonnulli erant patrij, re, ac fortunis omnibus amissis naufragi euasissent, te nudum, & ad littora eiectum, ita ciuitas excepit, ita casum tuum grauiter, ac molestè tulit, vt quasi cæterorum malorum, quæ eo tempore acciderunt oblita, & tuam calamitatem miserata, lugens, ac mœsta, in te vnum conuerteretur, & quanti te faceret, declarauerit benigno illo Senatus decreto, quo quidem, & Duce, & Principibus Senatus, & Consiliarijs, & omni Collegio ad Senatum referente, adiunctis suffragijs decreti sunt tibi sexcenti nummi aurei Veneti; filio vero tuo, adhuc adolescenti, publicum cum bonore, & commodo munus demandatum, quamuis nondum per ætatem liceret id muneris adire: tibi præterea restituto, vt veterem locum, & dignitatem scribæ Reipublicæ annuum salarium decretum aurei nummi Veneti ducenti, quæ omnia si diligenter considerare volueris, & à quibus, & quo studio, quoue animo, & quo tempore profecta sunt intelliges, certè aut nullam tibi accidisse iacturam, aut minime dolendam, quæ acciderit. Nam vt quæ tibi, ac filio in omnem vitam decreta sunt, taceamus &c.* Hæc ad Nicolaum Petrus Parleo multo post absolutum Florentiæ Concilium, qui eum absque vllo vestigio, vel vmbra Episcopatus Saguntini, ipsum Sagundinum cognominat, vt reliqui scriptores præter Bergomensem, & Marianum, immo cum alia vitæ conditione, Pontificali statui prorsus aduersa, vt quæ de vxore, de liberis, de officio Secretarij Senatus Veneti, de migratione in Cyprum, verso dorso non tantum Sagunto in Hispania, sed toti Cismarinæ Europæ, vt quæ dicta sunt clarè demonstrant.

Eodem Cap. XIII. Nota 16.

D. N. Episcopus. Is erat Frater Aloysius, seu Ludouicus de Piramo, Ord. Min. Episcopus Foroliuiensis, quem Vghellus de Pirramo cognominat,

nat, qui, vt refert Vvaddingus, Ferrariæ in Concilio Eugenium Pont. publico sermone excepit: cum priusquam adesset Pont. secundæ sessionis per Beatum Nicolaum Albergatum Card. Legatum celebratæ decretum Pontificalibus indutus, ex Vmbone publicasset, vt etiam alterum tertiæ sessionis, præsente, & præsidente ipso Pontifice. Hinc inter alios cum Græcis disputaturus electus, id munus tam laudabiliter gessit, per duos dies clarissimè docens illud verbum filioque non nouum articulum Concilio Nicœno additum fuisse, sed maiorem expressionem, & declarationem processionis Spiritus Sancti à Filio, ipsi Niceno consonam, & conformem, vt in communi Græcorum, Latinorumq; applausu, & æstimatione habitus sit. Quod Andreas à S. Cruce Collector actorum Concilij, tunc præsens, his verbis confirmat. *His expositis vnusquisque intuebatur alterum, ex his, quæ facundissimè graui sermone à viro antiquo, verbis conuenientissimis, letisque audierunt*. Et iterum: *tam letè, iucundèque verbis conuenientibus dicta fuerant, vt quisque Patrum dicta collaudaret*. Aequiuocationem, qua Græcus Concilij scriptor, eum vocat Ioannem, explicat Vvaddingus anno 1437. n. 2. & Iustinianus in notis ad Collat. 2. part. 2. Concilij Florentini, num. 3. de alijs disputationibus à Mariano non integrè descriptis, vide acta Concilij per Iustinianum edita, & Spondanum præcedenti nota citatum.

Cap. 24.

Quod à Capite 13. huius vitæ vsque ad Caput 20. exclusiuè nullas adhibuerim notas, in causa fuit, quoniam totam reliquorum capitum narrationem ex ipsius Alberti epistolis desumpsi, quibus propriæ notæ vel necessariæ, vel magis opportunæ forent. Malui ergo epistolas ipsas illustrare, vt clarificatis fontibus, & firmatis radicibus historiæ, cætera clariora, & magis tuta prodirent. A Capite vero 20. vsque ad 24. exclusiuè nihil animaduerti quod eiusmodi notas postularet.

Cap. XXIV. Nota 17. sub anno 1586.

Mediolanensis. Lector hic, & vbi deinceps inueniet hoc additamentum nominis Alberti, quo Authores indicare vellent, ipsum Mediolani natum fuisse, redeat ad Cap. 2. huius vitæ, ex quo certam, propriamque patriam ipsius, & natiuitatis locum Sarthianum esse constabit.

Cap. XXIV. Nota 18. sub anno 1598. 1639.

Composuit quosdam tractatus de immortalitate animæ, & de Purgatorio. Hunc solum auctorem inueni, qui huius argumenti tractatus attribuat B. Alberto.

Cap. XXIV. Nota 19. sub anno 1627.

Ex Sarthiano vnde Pius III. Pontifex originem duxit. Pius III. in baptismo vocabatur Franciscus, & ex Patris Nanni cognomine Tudeschinus, postea verò per adoptionem à Pio II. Pontifice, cui erat ex sorore nepos, dictus est Picolomineus. Poterat ergo Nannus Tudeschinus, vel eius maiores Sarthiani primùm ciues fuisse, ac postea Senensi ciuitate donatos, quo fit, vt originem à Sarthiano duxissent, quamquam Senis nascerentur, ita vt origine Sarthianenses, natu verò Senenses dici possint; quod si ita esset, non paruum honoris accrementum adferret Sarthiano.

Cap. XXIV. Nota 20. sub anno 1653. 1640.

Vicarius Generalis noui instituti. Non noui instituti, sed vniuersi Ord. Min. vtriusque instituti, Obseruantum scilicet, & Conuentualium simul.

Cap. XXIV. Nota 21. ſub anno 1668.

Videtur is eſſe Albertus quem à Sartbiano. Et bene videtur: nam frequentes, & ſolemnes erant Alberti Sarthianenſis apud Ferrarienſes moræ, & intima familiaritas, cum Principibus, Prælatis, & nobilibus viris eiuſdem vrbis: vbi etiam epiſtolarum ſuarum vltimam ad Nicolaum V. Pontificem dedit 15. Martij 1447. decem annis priuſquam B. Catharina, relicta Ferraria, migraſſet Bononiam, & nouum monaſterium ibi fundaſſet, anno 1457. vt habet Graſſettus lib. 2. vitæ ipſius, Cap. 4. in fine.

Ibidem Nota 22. ſub anno 1668.

Videtur autem hæc res contigiſſe &c. Reliquus huius loci textus, vel corrigendus, vel omninò delendus eſt: nam neque Prouincia S. Antonij, eſt Bononienſis, ſed Veneta, neque Capitulum Romæ, ſed Patauij celebratum fuit: neque Prouincia in quam, vt in propriam rediret Albertus fuit Bononienſis, ſed Etruriæ, in qua natus eſt, & religionis habitum ſuſcepit, & eius vota nuncupauit, vt ex noſtra narratione clarius innoteſcit.

Cap. XXIV. Nota 23.

Academia Senenſis. Ex elegantia huius elogij non exiſtimet lector eruditiſſimos eius auctores magis obſeruaſſe Rhetorica pigmenta quam veritatem hiſtoriæ. Nam trophæa, quæ ad ornandum Alberti in Cœlum aſcendentis triumphum explicant, res ipſæ ſunt, quæ ex hiſtoriæ veritate conueniunt Alberto.

Cap. XXIV. Nota 24.

B. Albertus de Bendinis à Sarthiano. Alij omnes, qui Alberti cognomen exprimunt, ijque natione Etruſci Berdinum eum vocant, vt propterea exiſtimem typographi lapſum hic eſſe, non authorum huius elogij, facile enim eſt, vt pro Berdino Bendinum dicant.

BEATI ALBERTI SARTHIANENSIS ORD. MINOR. OBSERV.

OPVSCVLA.

OMnes, quas reperire potuimus, Beati huius viri lucubrationes, præter tres Orationes, quas pro concione dixit, epistolari charactere ad diuersos conscriptæ sunt: aliæ maiores, & parænecticæ, aliæ familiares, aliæque officiosæ. Visum cuipiam longiores vt illas primo loco daremus, deinde minusculas. Sed magis placuit ordinem temporis obseruare; quem plerisque, etsi non omnibus, adnotatum inuenimus; quique seruatus, rebus ipsis percipiendis non parum luminis allaturus est, & actorum eius historiam amplius elucidabit. Nec desunt exempla doctorum hominum, qui in Sanctorum Patrum, aliorumque edendis epistolis exactam temporis, quo scriptæ fuerunt, rationem secuti sunt: orationes tamen, quamquam diuerso tempore dictas, omnes tres initio proferemus, ne epistolarum seriem interrumpere cogamur.

ORATIO I.

De Sanctissimo Eucharistię Sacramento.

ARGVMENTVM.

Exorsus à pauore de virium suarum diffidentia, reique magnitudine concepto, cum pene coactus dicendi munus obierit, culpam, si minus bene succedat, in eum reijcit, cui postulanti, hortanti, suadenti, instanti, iubenti morem gerere oportuit; si secùs ad votum, id in Deum omnis boni fontem, & obedientiæ vim referendum præfatur; & inuocato prius Dei Matris auxilio, tria sibi ex vastissimo dicendi campo secernit, mysterij magnitudinem Sacramenti vtilitatem, & rectam dispositionem eorum, qui ipsum digne suscipiunt, quæ omnia eruditè, & eloquenter pertractat. Hinc opportuna digressione in eorum hæresim inuehitur, qui olim dicebant, & hodie dicunt, Christum in Eucharistia extra eius vsum non persistere.

Cre-

CRedo vos, Patres clarissimi, quoniam me principio Orationis, non modò magnopere exalbescere cernitis, sed quasi exanimatus sim, ita initio dicendi debilitari, ac prope frangi animaduertitis, sanè non satis admirari, proque ingenita vobis humanitate, cui summum beneficium debeo, angores istos, quibus profectò maximis in præsentia perturbor, haud dubium communes existimare; verum id ego aliter, verè loquor, efficere non queo: vsque adeò enim cum exiguo ingenio meo diffido, quod id scio, quàm nullis eloquentiæ viribus fretum sit, atque id, quod maximè opus est, nulla doctrinarum vbertate valeat. Tum præstante, atque eruditissimo vestro Conuentu ita permoueor, vt quia pertimescam, quiaue tota mente, artubusque destituar, os sanè confusum, absona vox, & tremula lingua, denique vehementissimè hæsitans, ac penè balbutiens, magno vobis argumento esse possunt, haud quaquam mihi ex sententia orationem procedere. Accedit, cum magnitudo, tum summa causæ bonitas, qua maius, meliusue nihil in verissimo Ecclesiæ dogmate inueniri compertum est, vt Sacratissimo de Corpore Domini Nostri Suauissimi Iesu Christi summo mihi cum timore dicendum sit. Arduum enim est opus, & quod viros, cum singulari, & copia, & subtilitate ornatos, tum maximarum virtutum glòria excellentes magis deceret; præsertimque præstantissimi *Patris mei M. Da.* (1) id interesse putaui, qui clarus Theologiæ Professor per se rem tantam, eoque dignam, perfectum iri censere debuerat.

Sed is, quod ego omninò eram nescius fore, infinitum *à me hunc laborem, ne longè quidem res minores adhuc experiri solitum* (2) subire maluit, cui cum comiter, & facetè id ex me postulanti sæpè verecundè negassem, primò quidem iucunditate ea, quæ est in homine mirifica, suasit, atque, quoad potuit, id vt aggrederer, hortatus est. Tum tandem, non quidem laboris mei fugiendi, sed tam multam causam, tam maximis in rebus consumere posse diffidenti mihi summopere institit: morem verò illi gerere, cum pro eius in me authoritate, cui quoad vita suppeditabit, mihi parendum esse intelligo, negare non possem: nescio, an incautus, an verò inuitus assensus sum. Quo in consilio cum *obedientiæ virtus* (3) atque integritas spei plurimum afferat, tum summa Christi nostri humilitas, & clementiæ magnitudo, qua se hominem efficere voluit, bono animo esse iubet.

Si quid igitur bene depromptum erit, Summo Principi Deo gratiæ habendæ, atque dicendæ erunt; si quid minus, cum ignorationi meæ, tum rei amplitudini attribuendum esse censeo, quæ etiam maiorum nostrorum diuina illa ingenia superauit. Aut si quid vestros animos, vel minus accurata oratione, vel parua dicendi grauitate, siue rerum siccitate offendi censueritis, pace eius dixerim, in eum culpam referetis, qui me tanto onere leuandum esse non censuit. Mea enim sententia, & si exercitandi mei causa, quemadmodum in animo fuisse arbitror, ei, cui in præsentia pareo, huiusce orationis genus ex me faciendum fuit; Primum tamen fragili cimbæ creditum,

adri-

adridenti ſtagno dedi oportuit, ac tum doctum nautam magnifica poſt claſſe deuectum per obliquos vndarum, ac pelagi expoſitos late campos traiici me quidem conuenerat. Sed de his ſatis.

Nunc ne nimius ſim, de re dicere incipiemus, ſi prius, *pro honeſtiſſima conſuetudine* (4) Mariam pudiciſſimam Virginem, quæ Sacratiſſimo vtero Rectorem, Dominumque Mundi geſtauit, toto cum ardore orabimus, quo Spiritus Sanctus nobis illius interceſſione adſit. AVE MARIA.

Tres res tota oratione complectemur, quæ non ineptè nobiliſſimo iſto de Sacramento abſoluendæ videntur; magnitudinem, vtilitatem, & eorum, qui ſuſcipiunt, diſpoſitionem. Primam quidem maiores noſtri, qui in eo ſtudij operam omnem, curamque conſumpſerunt, ita tractandam cenſuerunt, vt dicerent Chriſtum noſtrum animo aduertendum; quid toto ſimplicis ſuæ perſonæ contineret; Sacramentum autem, quod in dies ſacro Presbyterorum ore conficitur, quod mirificis, ſtupendiſque miraculorum claritatibus adornetur, conſiderati oportere. Poſtremum verò multis ante temporibus, ac propè ſæculis à vetuſtiſſimis Eccleſiæ Patribus, quos Spiritus Sanctus illuſtrarat, egregiè geſtis rebus eſſe præfiguratum. Magnificæ ſane res, & ſalutares, Patres optimi, & cum ad excogitandum ampliſſimæ, tum memoriæ iucundiſſimæ, tum denique firmiſſima ſtabilitate ad credendum Chriſtiano nomine, ſanèque libero, dignæ ſunt.

Vt enim prima de parte magnitudinis loquar. Nonne perpetua recordatione digniſſimum? nonne amplum? nonne præſtantiſſimum illud fuerit, carnem eam puriſſimam, nulla commaculatam ſorde peccati, nulla labe pollutam, ex Regia Matre, etiam poſtquam is prodijt, Virgine manente, cum eſſet ſtatutum tempus, detraxiſſe. Eam præterea nobis modo ſuo, quem ipſe nouit, profectò impoſſibili dictu, atque ſtupendo, ad quod omnis noſtræ naturæ vis, niſi fide, non poſſit accedere, in cibum, quo nihil conducibilius eſt, nobis dediſſe. Quæ profectò ſanctiſſima caro nullo, vt nos peccatis obnoxij, obſcœnæ perturbationis applauſu allici; nulla, ne leui quidem, virtuti contraria affectione adjri poterat. Quid verò Sanguinem pretioſiſſimum loquar? quem cruentus inimicus, & pernicioſus humanæ naturæ hoſtis, cum is eſſet in pretium Summo Patri reddendus, auidiſſimis faucibus ſitiebat; primo enim prælio, primaque calamitoſiſſima congreſſione, cum omnium primo progenitore, quoniam victoriam Diabolus reportarat, captiuos nos diu vinctos, ſeruoſque eatenùs tenuit, quòad Chriſtus cruce affectus, atque affixus opulentiſſima largitate redemit.

Itaque carnem cibo accepimus, quam niſi qui manducauerit, vita carere, ſententia ſua Chriſtus aſſeruit; ſanguinem verò, niſi qui biberit, eum æſtuantiſſima ſiccitate torreri. Illa ergo cibamur, iſto potamur. Illa alimur, iſto inebriamur. Illa ſuſtentamur, iſto irrigamur. Illa reficimur, iſto redimimur. In illa quod de Virgine nata eſt, colendam pudicitiam edocemur. In iſto ſæuiſſimum hoſtem ſubactum, proſtratum, reiectumque experimur. O clementiæ magnitudinem? non ſatis erat

Ioann. 6. 54.

creaſſe,

creasse, id quod solum etiam in pecoribus maximum est; sed creauit hominem rationis, & cogitationis participem, cuius reliquæ animantes expertes sunt, figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit, claritate mentis ornauit, sensus, æque ac nuntios, adhibuit, rerumque plurimarum obscura enodauit. Sed hæc nobis cum gentibus communia sunt. Verissima nos, ac peculiari religione donauit: neque ea, quæ pecorum oblationibus, vel Deum placaret, vel corpore inquinatos, vt olim in lege, emundaret; sed quæ verissimo Christi immaculati agni sanguine parta perniciosas animarum nostrarum labes ablueret.

At ne id quidem sat esse Diuina Charitas arbitrata est. Cum enim Spiritus Sancti manantes in nos gratiarum fluuios emiserit, veræ sapientiæ, iam vsque à primorum patrum prolapsu obsoletæ, cum illustrarit lumine, tum vberrimis fontibus irrigarit, qui in Christo admodum fertiles conquieuerunt, id quod habes in Euangelica lectione, Christum, cum sacram ad turbas concionem haberet, puto qua anima sibi consultum vellet clamasse, *si quis sitit veniat ad me*, verissimum scilicet vitæ fontem, & bibat, ne verarum doctrinarum siti exæstuet. Sanguinem Christi, quo peccata ablueret, in veram antidotum, carnem pro alimento subministrauit, salutare prorsus conuiuium. Ac ne quis, vel se ignobilem non admitti, vel rebus inopem despici, vel minus ingenij nobilitate præstantem se detrudi queratur; nulla est natio, neque tam fera, neque tam inhumana, neque tam barbara (id, quod ex Beato Petro accepimus, vas quadrupedibus, serpentibusque refertum Cœlo emissum, rursumque receptum prospectante) quos non læto sinu excipiat Christus. O rem dignam, in qua non modo docti, sed etiam agrestes; non modo clari, sed etiam obscuri; non modo diuites, sed egeni; non modo sancti, immaculati, frugi, modesti, sed iniusti, fœdi, incontinentes, furiosi, inglorij suscipiuntur; modo culpâ vacare velint, qui se quondam addixerant vitijs; modo salutari Baptismatis fonte ablui, modo pane, verissimo quidem cibo, qui de Cœlo descendit, idest, Christi sanctissima carne, pretiosoque Sanguine, quo de in præsentia loquimur, refici, potari, atque sanctificari deligant: neque ciues potiores esse, quam peregrinos, quam alienos; exteros, quam nostrates.

Ioan. 7. 47.

De Corporis, & Sanguinis magnitudine, pro angustia temporis, satis multa. Animam illam diuinam deinceps breui considerandam censeo, prorsus verò firmissimè, quamquam hac in re, minime vobis monitore opus esse existimem. Neq; enim quisquam vestrum is est, qui impia credulitate delusus, eum animam habuisse neget, *cuius vanissimæ opinionis* (5) fuere quondam nonnulli, stultissimè quidem ita existimantes. Quorum falsum commentum cum præstantissimorum hominum, & iudicio, & prudentia, & ratione contritum sit, tum summa Christi nostri authoritas, atque sententia reiecit, & sustulit, quem rectè nostræ fidei fundamenta iacientem, quam & ipsam nunc moris vetustate firmatam, amplectimur; cum sæpe de anima audimus verba promentem, quemadmodum illud est: *Tristis anima mea est vsque ad mortem*: Ioan. 15.

& item

Ioan.10.18 & item *Animam meam pono pro ouibus meis*, atque illud *poteſtatem habeo ponendi animam meam*, & *venit* Matth.20 28. *filius hominis ponere animam ſuam in redemptionem pro multis*.

Quam ſanè Patri gratiſſimam, diuinoque verbo deuinctam, vſque adeò virtute præditam, immò fontem virtutum ſublimemque fuiſſe, nobis credendum eſt, vt ea nos velut clariſſimo ſpeculo ad virtutem comparandam vti oporteat, vſque adeò lumine veritatis præclaram, atque ſapientiæ ſplendore præcelſam, nihil vt ignorarit, quod verbum ſciuerit, tantum in ea gratiarum fuiſſe, vt plus quicquam nullus vnquam hominũ, ſed ne Angelorum quidem capeſcere poſſit, hanc pro nobis crucis ignominiæ ſubdidit. Hanc ſupplicijs addixit, hanc morti adiudicauit, per hanc ex priſtinis inimicitijs Angelorum reuocamur in gratiam, & qui ſe quondam, velut ſeruis nobis hoſpitio recipi, ſibi ſeruiri, ſe lauari, adorarique ſiuerant nunc (anima Chriſti pro aberrantibus pridem ouibus morti expoſita) alloquuntur humaniſſimè Sanctos, hortantur in vitiorum prælio dimicantes, iuuant imbecilles, ad virtutem verò torpentes, ac ſegnes experrectos, & expeditos, habiles, & ſtrenuos reddunt adorari ſe prohibent, conſeruos ſe clamant, non Dominos, fratres ſe dicunt, Amicos ſuauiſſime profitentur, per hanc Deo Patri, cui debito pro ſupplicio primorum parentum, magno iam pridem odio fueramus, perfectæ beneuolentiæ iucunditate conciliamur, & qui dudum Regibus igneum ſe, ac terribilem plebi Iſraeliticæ demonſtrarat, per hanc Chriſti diuiniſſimam animam, ſe facilem, ſe benigniſsimum præbet, & præclariſſima humilitatis inſignia, ſummumque, & manſuetudinis, & lenitatis vexillum exhibet. Sed quoniam vos multis, & magnis de rebus breuiſſimè dici poſtulauiſtis, de anima hæc hactenus.

Tunc tribuenda opera, ac potiùs omnis cogitatio, & cura ponenda eſt, nec profectò in nobis quicquam virium relinquendum, quod nòn id, hoc loco maximo cum ſtupore, ingentique admiratione conferatur: diuino enim de verbo, ſanctiſſimo animo coniunctiſſimo, oratio nobis habenda eſt; verùm nequidem forte exiguum in mentem veniat, quid ipſum eſt verbum, quo de loquemur, ſummum bonum cuius inter Philoſophos, ſumma diſſentio, illorum ingenia, quamquam nobilia, atque acèrrima cuncta contriuit. Deus verus, Deus inquam verus. Quid hinc? per quem mundus ipſe perfectus eſt, noſque creati, quid tandem effeciſſe, vti nos libertate donaret, ſe hominem effinxiſſe. O rem mirificam, ò ſingularem dilectionem, ò profundiſſimam Charitatem, Deum inquam, Deum eſſe hominem factum, Deum excelſum, humilem hominem aſſumpſiſſe; ſummum omnium ſpiritum induiſſe carnem peccati ſimilem ſed peccato, culpaque vacantem, veſtiſſe lutum noſtrum, vt nos luto eximeret, è media Paradyſi amœnitate, immò verò è paterni pectoris profunditate (ſemper enim in ſinu Patris eſt) ſumma non reliquiſſe, petiuiſſe ima, obſcura adiuiſſe, vt nos ad ſumma veheret, & ex imis exutos, & ex obſcuris liberatos Cœlo donaret, quos in humeros ſuos errantes extulit.

Hic, hic Patres deuotiſſimi voſmet totos per Deum optimum mihi præbete, erigite animos, ſenſuſque

Q veſtros,

vestros admoueatis, oro; quis quid huic humilitati anteponendum ducas? quid recordatione ista, ac memoria dignius? quid charitate ista profundius? quid amore isto præstantius, ardentiusue? quid hac bonitate sublimius? quid hac iucunditate voluptuosius? cui lachrymas non moueat? imò verò cui ex intimis mentibus, huius amoris magnitudo non eruat? vbi mihi fortis, vbi ad commouendos, concitandosque animos virilis oratio? qua dicendi facultate, complecti? qua conflagrata abundantissima, ardentique dictione, infinita erga nos Dei charitas, enodari posse credenda est? prorsus nulla. Iuuat igitur velut sublimi quadam in specula costitutum, vnde omnes exaudire possint, summa pro rei amplitudine Apostolicum illud proclamare: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*; pro infinita autem clementiæ suauitate, Dauidicum illud sæpe congeminare, *quam magna dulcedinis tuæ multitudo, Domine, quam abscondisti timentibus te, vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine*; hic prorsus, hic prorsus, omnes hic igitur mentes stupere conuenit, hic admiratione deficiendum, hic relaxandus est animus, hic vires effundendæ profecto sunt, nec turpius, nec ingratius, nec insensibilius quidquam, infinita clementia non moueri. Sinite ergo me Patres, sinite affectus profundere, immo verò vos vna mecum effundite; neque id iniuria, sed prorsus rectissimè.

Ad Rom: 11. 33

Tollebant enim exteri ad sydera ciues suos (6) qui inanis gloriæ fama capti, mortem sibi pro Patria consciuissent, illos miris laudibus efferebant. Ad eos ornandos non inuiti torrentes eloquentiæ conspergebant, donabant statui, honoribus illustrabant, quorum prærepta vita, amissisque corporibus, animæ in Baratrum Diaboli trahebantur. Nos verò Christum nostrum, quem pro vita, quam integerrimè dedit, sanctissimèque vixit, atque omnium sapientissimum, quo nemo neque integrior, neque sanctior, aut vnquam extitit, aut post hac existere poterit, omnis innocentiæ exemplum habemus, non laudabimus? non efferemus? non prædicabimus? quem tanta nobis beneficia contulisse experimur, vt nos etiam æterno mortis periculo liberarit, ei non amplissima oratione gratias dicemus? quem verum, ac Summum Deum, rata, atque certissima veritate cognoscimus, eum non adorabimus? de eo non loquemur? ei non animos prosternemus?

Sed tam multam operam, tam maximis in rebus sentio me equidem haud posse consumere, atque etiam rei amplitudine deterreri. Maiorum nostrorum, siquidem illi dumtaxat corpore reuiuiscerent, nam animæ fœlicissimam vitam viuunt, alicuius viri grauissimi hoc sanè magnificum munus esset, qui & ætate prouectus, & sanctitate clarus, ac deniq; sapientia præditus, cum verbis lectis, & grauibus, tum sententiarum lumine faceret id, quod tanta res postulat orationem splendescere. Quorum si alterum absit, aut inanium verborum sonitu, aut subtilitate, sententiarumque inculta oratione, promantur, Auditores ipsos, & propèmodum offendi, & admodum conturbari solere. Quibus me rebus

sanè

ſane nobilibus ; ac præſtantiſſimis priuatum inficiari non vereor. Eniterer tamen etſi ſupra vires quantacumque facultatula poſſem: verum vestra me, Patres, voluntas è curſu reuocat, quæ, quamprimum cenſet orationi modum habendum. At id equidem vos affectos certò ſcio, vt ad cæteros præſtantes viros, qui conciones illuſtres, hac de re, hodierno die, ſunt habituri, maximo cum ardore audiendos ire pergatis. Rectiſſimè id quidem, nam & ingenio, & ſtudio, doctrina præditos, egregiè dicturos arbitror, & hac mea oratiuncula ſane illuſtrius; ſed ſi quid in dicendo poſſem, extorquerem profectò à vobis longiuſculam moram, vt ſapientiſſimo, atque eruditiſsimo veſtro Conuentu, in omni vita mea, vel diem fruerer, verùm hæc aliàs.

Sacramentum deinceps quot miraculorum exornationibus decoretur, id quod reliquum eſt, ſedulò amplectemur. Cum igitur panem ipſum, quem aræ Sacerdotes imponunt, ſimul ac ſacra in eum verba effuſa ſunt, tùm quamprimùm in veram Chriſti carnem conuerti, firmiſsima ſubtilitate credendum ſit, neque verò in nouam aliquam, ſed eam, quæ glorioſiſsima nunc Chriſto conregnat. Tunc ea, vt vocant, aut accidentia, aut ſpecies, per ſeſe non conuerſa, abſque eo, cui inerant, vt dicunt, ſubiecto, potentia diuina perſtare. Magnum autem, vt eſt in Cœlis, Corpus ipſum, & vt Cruci affixum eſt, neque id quantitatis, ſed totius ſubſtantiæ ratione, ipſis ſub ſpeciebus contineri. Idem præterea ipſum vnum, iiſdem horis compluribus eſſe locis, neque id ſitu aliquo, ſed præſentia. In ea poſtremo tota, quam rectiſsimè Hoſtiam nominamus, atque in eius omni quamuis tenuiſſima parte, totum Chriſtum exiſtere: multiplicari verò, aut exaggregari, plura vt corpora ſint, quam ſimplex, aut ſatiari eo, ſi multum, aut inebriari, ſi nimium quiſquam ſorbuerit, ſiue frangi, vel conſumi, aut morderi dentibus, aut ardere ignibus, aut denique rodi poſſe ſoricibus, ſpecierum, quæ non conuerſę perſtant, proprietates iſtæ ſunt, non conuerſi in carnem panis.

Perdifficiles ſanè res, & perobſcuræ, Patres amantiſſimi, neque tamen aliquo exemplorum cum adiumento cognitu penitùs impoſſibiles, vt enim diuinam illam omittam omnipotentiſſimam Dei virtutem, qua eſt nihil eorum, quæ diximus miraculorum, quod id cum omnibus in rebus, tùm in hoc Sacramento effici non queat, ſubiecta certè è multis pauca exempla, ſi ante oculos proponantur, comprehenſa tamen animo, cætera etſi ampliora ſint, poſſe tamen fieri, ad fidem plurimùm adducunt. Quando enim non modo ab ijs, qui mediocres ingenio computati ſunt, Philoſophis, quorum tamen complures id aſſequuti ſunt, ſed ab ſummis illis Philoſophorum Principibus, vnquam hoc negatum, vnquam non comprhehenſum, & cognitum eſt, hominum animas immortales eſſe oportere. Eaſdem verò propter admirationem eius naturæ, in qua egregium quiddam, atque præclarum eſſet, eorum quibus ineſſent, corporum, quæ & ipſa ſemper tota complerent, ſingulis quibuſque minutiſſimis partibus, perfectiſſime totas adeſſe. Angelos autem quorum eſt eximia quædam, præſtanſque natura, cum aliquo in loco ipſa ſua

præsentia semper sint, locum tamen ab ipsis non occupari, & Maiores nostri asserunt, & Philosophi non dissentiunt. Deum præterea omnium Summum, ac præstantissimum, quē omni æternitate præditum, neque principium habuisse, neque finem Philosophi fatentur, eundem totum istum Mundum amplum, & prope infinitum, eiusque omnes partes perfectè complere disputant. Quæ res magnæ, atque amplissimæ, cum ab illis comprehensæ, & eis probatæ sint, quos si Christiano tempori comparare velis, profectò omnes veræ lucis iudicabis expertes. Nos in hoc nostræ redemptionis, nostræque fidei nobilissimo Sacramento ea, quæ, vel similia, vel maiora, tam multa mira, atque stupenda fieri diximus, quamquam ingenij aditu occulta, atque obscura sint, Summi tamen Dei nostri infinita illa potentia fieri posse negabimus? non firmissimè credemus? non summo quodam ardore, pro nobis facta omnia complectemur? non semper magnificentissimis laudum præconijs extollemus? non integerrima vita venerabimur? colemus? adorabimus? imo verò magnopere.

Itaque qui non insania exardescere vellent, eos supra vires perscrutari, & sapere vetat Apostolus, vt præsertim de rebus, quæ nisi fide consequi, quiuis ingenio excellens, minimè possit. Admirabili enim religione freti, & incredibili quadam eloquentiæ magnitudine præditi, atq; florentissimis ingenijs illustrati Ecclesiæ viri, cum rem istam, magna cum gloria accuratissimè persequerentur, nisi fide sua, pro infinita amplitudine nunquam plenè sunt consequuti. Quare non est cur ego, vt me ad me aduocem, paucitatem doctrinæ verear, cum illi vetustissimi Ecclesiæ Patres, quorum & industriam, & diligentiam admiramur, integritatem colimus, ingenia, cum nouimus, prędicamus, id plenè perficere minus quiuerunt. Nos verò omnes non est, cur magno cum discrimine eiusce profundissimæ rei rationem curiosius, quam necesse est scrutari velimus, cum maiores nostri subiectissima quidem, atque ingenti cum reuerentia huius loci obscuritati cesserint. Acceperant enim ex mente sapientissimi Salomonis, cum qui Maiestatem curiosius scrutaretur, gloriæ magnitudine obrui, sed ea habere rata oportere, quæ sua amplitudine capescere nequeamus; quæque ab eo, qui nobis probatur Deus, sapientissimè, potentissimèque iudicata videmus. Prou. 25. 27.

Trahor hoc loco vehementissimè, Patres, *illis vt respondeam* (6) qui iniquissimè à Patrum institutis degenerantes impia fraude, & Diaboli pernicioso commento, imperitorum animos anili superstitione obligauerunt, quos perfecto cum suauissimo isto de Sacramento hæretici pessimè sentiant, illorum similes dixerim, qui febri exæstuantes, si quidem immoderatius cibos sumpserint, cum post periculosius elaborarent, identidem si sæpius egerint, cibis etiam delicatissimis obruuntur. Audere enim dicuntur stultissima temeritate asserere Corpus Christi simul ac confectum est, diuinis illis verbis, atque populo adoratum, tum primum esse desinere. Hoc si cui probatur, is Patrum instituta infirmat, is Apostolorum sententias conterit, is Christum, qui veritas est, mendacij incusat. Quo enim pacto vt cætera prætermittam, id quod ingens Christianorum

sola-

solatium est, Christum quoad mundus perstabit nobiscum futurum existimabimus? Quanam via verissimam, ac purissimam Christi carnem communicabimus, si ea in panem pristinum redit? sed gratia est, inquiunt, in pane, quæ conducat accipientibus, quemadmodum & in Baptismo gratia est in aqua, quæ abluat. O sordidissimi homines, ò sceleratissimi hæretici, ò impiæ, atque crudelissimę belluę, Christus carnem suam sacratissimam asserit, & vos triticeum nescio quem panem simplicium mentibus Christianorum obijcitis, ac ne prorsus hæretici videremini, & funditùs sustulisse religionem, sanctum panem gratia conditum inducitis. Animaduertite miseri, oculos aperite, excitate vos somno, tenebris effundentibus vos eximite, vestrasque aures vociferanti Christo

Ioan: 6 54: accommodate. *Nisi*, inquit, *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, atque illud *Caro mea est verè cibus, & Sanguis meus est verè potus*, & item. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam*, & *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo*. Ac tandem diuina illa verba: Τȣ̃το ἐςὶ τὸ Σῶμά μȣ, sumite. Pane ergo, ac non carne potiùs sub Sacramento verissima illum communicasse discipulos arbitramini, quamquam autem eum sæpe panem sese dicere certò scierimus, ne putaretis tamen, ò hæretici, panem illum vestrum triticeum, atque, vt dicitis, gratia conditum, huic nostro comparandum, quem quotidianum dicimus, Græci verò ἐπιούσιον ἄρτον idest supersubstantialem panem vocant, Panem profectò carnem suam diu asseruit. *Panis*, inquit, *quem ego dabo mea caro est pro vita mundi*. Ioan: 6 52

Nos igitur, qui Sacramentaliter, Carnem verissimam nos manducare arbitramur, vestrum istum panem, non carnem, sed ex carne in panem, nescio quem triticeum, vt dicitis sanctum, velut exitiosum repudiantes, ab his vestris ineptijs magnopere dissentimus, vbi enim in isto hoc vestro pane, non dico caro, quam stultissimè inficiamini, sed Sanguis pretiosissimus, quem Corpori inesse, pura, stabili, ac salutari assertione tenemus? vbi sapientissima anima, quæ ab illo Corpore sane gloriosissimo, nunquam abesse credenda est? vbi potentissimum Dei verbum, id quod animæ æterna societate vinciri, Catholica fide pectoribus Christianorum defixum est? Quid vos tam humili abiectione fœdari; quid tantum vobis detrahere vultis? quid vos diuinæ potentiæ magnitudine, clementia thesaurorum exhaurire nitimini? quid religionem diuina authoritate institutam, & præstantissimorum hominum consensu firmatam, labefactare, funditusque euertere impudentissimè quidem contenditis; & calice Babilonio inebriati, commentum sordidum, & obscurum, temerè ac falsè defenditis, quod luce putatis clarius? sed ad istos, atque cæteros satis, atque aliàs fortasse pluribus. Longa enim, luculenta, graui, & quod opus est, vera oratione ad hosce homines refellendos perorandum, imò potiùs pertonandum esset. Verum enim verò quoniam ad finem expectatione vestra, quæ mihi minime negligenda est, summopere impellor ad reliqua properandum censeo.

Cum

Cum verò ità à principio diuisimus vt inter cæteros locos illum diceremus, Maioribus nostris visum esse considerandum, quibus magnificis rebus, ex sese fœlicissimè gestis, vetustissimi Ecclesiæ Patres, hoc Sacramentum præfigurarint, rem breuissimè absoluemus. Verum quia nec omnia vno, vt aiunt, oris hiatu dici, immò effundi possunt, si quid minus copiose è scripturis dicemus, quam id voletis, cùm tempori, tùm vestræ festinationi assignare debetis, qui multis, & magnis de rebus, quàm breuissimè dici postulauistis. Sed iã ad instituta pergamus: Apostoli sententia est, ea, quæ veteris instrumenti Patres gessissent, propter nos, qui rerum earum veritatem lucidissimè quidem experimur, in figura illis omnia contigisse. Ac ne Sacramentum istud, rem nouam, & commentitiam, neque eam propheticos viros cognosse, neque gestis ex sese rebus præfigurasse, quisquam inficiari possit, nobilissimo Melchisedech munere confirmamur; quem & Regem Salem, & Dei Sacerdotem excelsum, Patriarchæ illi sanctissimo Abrahæ, cum is prælio captum fratrem, Regibus hostibus propulsatis reduceret, redeunti victori occurrisse accepimus, quem cum benedictione donaret (id enim erga alios Sacerdotibus moris erat) panem simul, & vinum, huius scilicet Sacramenti figuram, scripturę illum obtulisse testantur: quid verò duodecim illos candidissimos panes loquar, quos cum Dei iussu è purissima simila Sacerdotes per sese confecissent, aureæ mensæ senos altrinsecus impositos, ac Deo oblatos, soli consumebant, ac tùm item nouos singulis hebdomadibus imponebant, sæculi autem hominibus, neque ex eis sumere, neque quicquam gustare licebat, præter eos, qui ab vxoribus, & omnis coitus genere, nonnullos ante dies abstinuissent. Quid præterea manna illud Cœlicum? nonne in huius signum diuinum penitùs, stupendumque miraculum fuit? quod roris in modum cum noctu plueret album manè compertum, earum rerum, quas quisque cuperet, eum gustum cuique præberet. Quadraginta annos innumerabilem prope, & contra Dominum murmurantem, ingratum populum aluit. Quid tandem agnum illum in lege, qui cum immaculatus, tum masculus, tum anniculus, tum statuta mensis, & quidem primi, præclara die, tum noctu comedi iubebatur, neque is quidem lixus, neque crudus, sed igni torridus, atque assatus, nullo osse confracto, ex agris nactis lactucis. Paruæne res cognitu istæ? ac non potius magnificæ, & ad considerationem erga id Sacramentum excellentissimæ: sed incidit tempus difficillimum, quo tumultuariè potius dicere, quam grauissimè, vt tanta res postulat, maturare oporteat. Est enim cum amplissimus, tùm verò vtilissimus perorandi locus, sed quoniam haud honestandæ rei causa laborandum est, cum sit ipsa & præclara, & honestissima, & vos alio ire constituistis; Ad reliqua pergamus.

Superest enim secundus nobis considerandi locus, quem breui quidem absoluentes, quid emolumenti? quid præsidij? quam maxima vtilitas? ex Sacramenti huius receptione, nobis obueniat considerabimus. Ac primò quidem sic Patres optimi habetote: nullo vnquam in genere commodorum, postquam in lucem humanum genus editum est, quemadmodum

in

in hoc Sacramento, Dei erga nos opulentiſſimas diuitias patuiſſe. In hoc enim Domino noſtro, quod non perparum eſt, primùm quidem omnis innocentia omniſque integritas reſtituta eſt:(*ſub intellige de gratia in præſenti, & de gloria in futuro, vt in Nota* 8.) quas res primi noſtri parentes amiſerant, vt & innocentiæ comparandæ, & ſequendæ exemplum pudicitiæ, omniſque continentiæ viam præbitam eſſe intelligeremus. Hic omnis ſcientiæ amplitudo, immò ipſa eſt nobis ſapientia tota ſubminiſtrata. Hic omnis veræ humilitatis vexillum. Hic mitiſſimi hominis forma, hic complectendæ manſuetudinis diſciplina tributa eſt. Quò fieret, vt & mente hebeſcere, & animo tumere, & ſuperbi etiam, & immites, & improbi eſſe, veriſſimo præceptore edocti, tandem aliquando deſineremus. Parua ne iſta exemplorum emolumenta? Eius præterea mortis, totiuſque Sacratiſſimæ Paſſionis, in dies memoriam renouantes, hic tenemus. Quæ dum erit in noſtris mentibus infixa, firmiſsimo, tutiſsimoque nos muro ſeptos arbitrari conueniet, vt nulla improborum Dæmonum vi, quibuſcum cotinuum eſt nobis ſpiritualeque prælium, ſingulari illa, & ſuæ paſſionis miſericordia muniti, & fortiſſima ſuæ Crucis virtute roborati, atque protecti, neque ſuperari, neque vinci poſſumus, neque vllum de nobis immaniſſimus, & crudeliſſimus hoſtis acerbiſſimum ſuppliciũ ſumat: niſi quantum nos, non quidem ad perdendos, ſed ſiue ad erudiendos, ſiue ad purgandos, ſiue ad coronandos victores, bonitas illa ſumma conceſſerit.

Hoc etiam in Sacramento, & eorum culpa nobis criminum relaxatur, ſine quibus, ne à perfectiſſimis quidem viris, viui ſolet, & illorum mortalium pœna, ſi quidem ſumma cum reuerentia ſumatur, quia etſi illorum culpa ſacra confeſsione abſterſa ſit, maxima tamen poſt hanc lucem nos non plenè purgatos manet. Quid multa? tanta eſt huius vis, tanta ſummæ potentiæ magnitudo, vt ſi quem etiam deteſtandis criminibus obrutum, minùs confeſſum repererit, quod caſu nulla ei confitendorum peccatorum facultas fuerit, (*intellige ſi communicandi neceſſitas vrgeat, vt in Notæ* 9. & 10.) ſi quidem id obtigerit, modò ſumma cum reuerentia, maximo cum ardore, ſumma cum fide accipiat, ei ad purum, etſi ſordida, etſi ſceleſtiſsima donet, (*dummodo propoſitum habeat quam primum confitendi, vt in Not.* 9. & 10.) Remittendis enim peccatis mirabili ſua ſententia ſe hoc Sacramentum conſtituiſſe Chriſtus aſſeruit. Hoc gratis donamur, & quibus donati ſumus ea in nobis ob ſingularem quandam Sacramenti virtutem conſeruantur, quemadmodum & potione, & alimento, & valetudine corpus.

Largitæ denique gratiæ, plus minuſue, vt quiſque deuotior fuerit, ita cumulatius augentur; fortitudinem autem qua & noſtrarum paſsionum perturbationibus obſiſtamus, & virtutes facilè conſequamur, huius ſolùm virtus, & magnitudo tribuit. Accuratam verò quandam diligentiam, atque induſtriam, & vt aptiùs dicam, mentis lumen, quo perſpicaciſsimas, verſutaſque tot perfidorum hoſtium, comprehendamus inſidias, quas nobis infinitis propè modis capiendis, dies, nocteſque dormientibus, ac vigilantibus machinantur, &

occu-

occulunt, huius auxilio Sacramenti donari, quo & eas intelligimus, & à nobis depellimus, & perfringimus, & vincimus, & de hostibus triumphamus. Nihil est etiam à maioribus nostris, aut Sapientissimè dictum, aut præclarissimuè factum, aut aliqua in re egregiè gestum, quod non huiusce suauissimi Sacramenti auxilio, lumine, ac fortitudine sit perfectum. Nam verberibus torti, igne fatigati, ferro trucidati, morte mulctati, fortissimi Christi Martyres, huius sola virtute Sacramenti verbera perfregerunt, ignem extinxerunt, ferrum humiliarunt, morti obstiterunt, subegerunt Tyrannos, domuerunt feras, contriuerunt Idola, superauerunt tortores, omnia denique supplicia deuicerunt.

Huc, huc patres, huc adducere possem, vt ea ante nostros oculos versarentur quot, quantasuè, quam summas voluptates, præclarissimi nostri Maiores acceperint, quot ex huius summi Sacramenti stupore varios mentis excessus incurrerint, quot ex huius suauitate pene defecerint, quot ingenti amore prope modum arserint, quot miro illustrari lumine secreta perspexerint, scripturarum sublimia enodarint, obscura quæque differuerint. Et neque eo torpore, quo nos segnes obruimur ignaui, sed amoris Christi incendio conflagrati, ardentia potius, quam calentia corda gestarint. Sed quod vestra me expectatio properare impellit, vnus tantum nobis exemplo erit strenuus, ac præstantissimus Christi miles, & neque obscurus, sed profectò clarissimus Nostri Ordinis Dux Franciscus. Hunc accipimus, tanta Christi in hoc Sacramento suauitate affectum, & ob profundissimam Domini nostri, quã animo Franciscus versabat cùm humilitatem, tùm, quæ certè non satis cogitari possit, erga humanum genus excellentissimam charitatem, vt cum frequenter suo more communicaret, sæpiùs illum cum ad Altare accederet, vires corporis defecisse.

Quis igitur hunc Deum nostrum Summum, ac verissimum, satis admirari possit? quisnam eùm cultu, ac Religionè collendum, adorandumq; non censeat? quid eius præstantius bonitate, ac beneficentia? qui cum se totum hic nobis largiatur, etiam maiora pollicetur, ac tribuit. Nam cum vita excedimus in suum nos consortium, si quidem bene moratam consuerudinem gessimus, in Cœlos admittit, & si, & corpora ista nostra, in humum versa, vel exusta ignibus, vel vorata feris, vel tortoribus dilaniata, atque consumpta, mirabili suæ potentiæ magnitudine huius virtute Sacramenti, resuscitabit: idq; quod maximè proprium erit, in optimam quandam, & hac nostra sublimiorem, præstantissimamque naturam, imnò verò conditionem. Ità æterna in Cœlis Christo societate deuincti satiabimur, &, vti propheta lætus decantat, illius vbertate domus, & summarum torrentibus voluptatum potabimur, atque illius maxima multitudine dulcedinis perfruentes, semel per Christum morte eruti, nunquam posthac morituri, eâ, quæ finem nescit, vita perpetua donabimur. Hæc, Patres, ipsa per sese veritas, quæ nequè falli vnquã, neque fallere potest, nobis facturam professa est, vt eos qui hoc Sacramento reficiuntur, & suscitaturum se dicat, & nunquam eos morituros, nosque in illo, & se in nobis perpetuò

Psal. 35. 9.

Ioan. 10.

tuò manſuros confirmet, & neque aut famê vnquam, aut ſiti, veritatis ſcilicet, afficiendos: ſed huiuſce iam partis finis eſt.

Extrema nunc noſtræ Orationis parte, id quod reliquum eſt, quodq; noſtrarum eſt partium, ac magnopere nobis conducit, quonam modo eos, qui tam maximum Sacramentum ſuſcipiunt, paratos eſſe oporteat, edicemus. Id etſi breui dicendum eſt, non tamen non accuratè conficiendum, cum & ad nos ipſos omnis oratio dirigenda eſt, & id præclarè intelligendum, quid ſequi, quid fugere, atq; euitare, operæ pretium ſit. Quarum duarum rerum cognitu, cum & illa Philoſophiæ pars, quam ſcilicet tertiam in mores, & vitam diuidunt, hic tota verſetur, & ſcripturarum ſacrarum omnis ad nos docendos vis ad virtutes confugiendum, & à vitijs abeundum præcipiat, quid ſit iucundius non intelligo. Quid eſt enim in omni vita nobis tantopere quærendum, quam vt omnem bene viuendi diſciplinam, rectèque degendæ vitæ rationem, & teneamus, & amplectamur? Quis igitur alienum ducat noſtræ eſſe dignitatis, qui nos Chriſto deuouimus, eique in Baptiſmate conſepulti ſumus? quid vt optimum expetendum? quid fugiendum, vt malorum extremum? quidue in omni munere vitæ ſummum, ac veriſſimum ſit exquirere. Moralis profectò locus, & qui per ſe ſola, & magna oratione indigeat.

Verum vt vos prudentiſſimi eſtis, quibus pauca ſat erunt, & ego vehementiſſimè cohortor ad modum ita habendum, vt ſic pauca dicturus. Sed his ipſis ſi obtemperabimus, Summum Deum confido hodierna die, legem in nobis viuendi, & diſciplinam, ſiquidem ea aut nutat, aut prolapſa eſt, & confirmaturum, & erecturum, vt ad id veriſſimum Sacramentum ſuſcipiendum, quod ad nos attinet, paratiſſimi accedentes, haud quaquam vel indigni, vel abalienati repudiemur. Oportet ergo, Patres, cum ad hunc Summum Cœli, terrarumque Dominum accedimus, quem omnes amare, pro eius eximia ſuauitate debemus, fide nos pura, & ſimplici, & firmiſſima, nihil in fide hæſitantes, ſumma cum reuerentia, mente pronos, animo demiſſos, confeſſione puriſſima lotos, & quod iuſtum, atque honeſtiſſimum, Summoque Chriſto acceptiſſimum eſſet, lacrymarum primum fontibus expiatos, accedere. Ac eam enim in Sanctis Viris, noſtriſque maioribus, conſuetudinem ſanè laudandam accepimus, tùm cum Domini noſtri cruor ardentiùs in cordibus fidelium æſtuabat, qui cum erat proximè communicandum, orationi inſiſtere, cura, & negotijs vacare.

Quem nos morem rectiſſimè quidem imitari oporteret, quod Sacramentum, cui à Patribus, ac primarijs, clariſſimiſq; Principibus, ſumma cum reuerentia honos omnis eſt habitus, apud nos quoque maximo in honore permaneat, vt non minuiſſe maiorum inſtituta, ſed, ſi id fieri poteſt, exaggeraſſe; neque ab eis degeneraſſe, ſed optima velut indole, illorum præſtantibus moribus enituiſſe videamur: quibuſcum & omnis rectè viuendi ratio, & virtutum amplitudo morata eſt. Diuinis præterea legibus obtemperandum, quas qui perruperit, is eſt iniuſtus, Diuina præcepta ediſcenda, illorumque ſeruandorum, & gratiam, & facultatem ex Deo peti oportere,

neque ea, quæ ad beatam vitam pertinent, ventre metiri. Benè morata conscientia, atque optimè instituto animo regi malle, cui qui non parebit, is, cum sit eius ad comparandam virtutem anhelare, Deo, cuius optima quæque fiunt munere, vera ratione iniustè restitisse intelligetur. Vitæ pudicissimæ cum ab electis fœminis, tùm à viris, quorum & sapientia maior, & animus fortior esse debet, longè constantissimè inseruiendum: improbissimas autem malarum cupiditatum, perditarumque voluptatum in nos coercendas, ac perfringendas acies. Alijs verò qui nulla largitate, nulla beneficentia in alios mouentur, sed contra odio in fratres, & tenacitate, cæterisque perniciosis facinoribus se obligatos sentiunt; mortiferum virus scripturarum in eis propulsandum esse testimonijs, ac funditùs è mentibus eruendum. Neque deniq; id remorandum, vti rectæ vitæ, quam Diuinis decretis honestare oportebit singularia in nos studia, minus hebescere patiamur.

Pari nos præterea studio, pro communi defendenda animarum, corporumque salute, vitijs esse aduersos oportere, in er nos vero & ad officia, quæ Deus iubet, firmissimam coniunctionem habendam: quam coniunctionem, & ad virtutes comparandas, & ad vitia profliganda, confirmatam, perpetuamque si tenuerimus, confirmo vobis, Patres, immò Christus confirmat, & magnis nos præmijs esse donandos, & Sacramentum non quidem supplicio, id quod
1. Corint. 11. de indignis verissimus Apostolus asserit, sed & gloriæ, & emolumento nobis tum dignis esse futurum.

Eos tandem, qui ijs, quæ diximus non parebunt, non ex Deo sunt, maxima indignos manent supplicia: quos hortari velim, vt fœda relinquant, & perditam vitam suam reformidantes, pœnas quas luent, ante oculos sibi proponant. De sua enim salute, de suo periculo summa cum sollicitudine cogitantibus, atque ex labe malarum consuetudinum, ac fæce emergere obnitentibus, Saluatorem nostrarum animarum affuturum eis confido, quo & boni, & benè morati, & optimarum artium studijs expoliti, atque virtute clari, & integritate sanctissimi, tandem aliquando euadant. Quo fiet, vti & hac in vita decora quadam omnis officij præstantia honestentur, & apud immortalem Deum primarij, eam perpetuis abundantem bonis, vitam beatissimam æterna siquidem cum gloria viuant.

Hactenus, Patres, si quid præsidij ad rem conficiendam ex Deo accepimus, pro rei summa obscuritate, pro ingenioli mei captu, proque cum angustia temporis, tum ingenti vestra festinatione, omnes partes tota iam oratione arbitror esse complexus. Quarum primam magnitudinem satis inter cæteras existimo absolutam, in qua quidem illud, primo loco considerantes personam Christi, quoniam duabus est confecta naturis, cùm humana, tùm Diuina, carne purissima, sanguine pretiosissimo, sanctissima anima, summaque verbi Diuinitate constare diximus. Miraculorum verò summorum, quæ in Sacramento fiunt, magnitudine id decorari ostendimus, tum similitudine nonnulla firmauimus. Rebus pręterea à Maioribus magnificè gestis præfigurari hoc Sacramentum, & confirmari aperuimus. Tum in hæreticos paulisper inuecti sumus, deinde

de quid emolumenti conſequeremur ita mouimus, vt diceremus modis compluribus, & culpas criminum, & pœnas dimitti, vt quiſque eſſet vel amore ad Chriſtum affectus, vel benè de pœnitudine meritus, augeri gratias, eaſdem conſeruari ad virtutem comparandam, & contra hoſtes lumen ſubminiſtrari, & vires, veram noſtrorum corporum reſurrectionem promitti, ſatietate nos gloriæ reficiendos cum Chriſto, coniunctam perpetuam vitam geſturos, æterna denique, ac beatiſſima vita donandos. Poſtremo dedimus operam vt rectè degendæ vitæ rationem, & quomodo accedentes ad totius vitæ fontem parari conueniret, quam poſſemus breui, & accuratè comprehenderemus, eoſque primùm, ac præcipuum puriſſimam fidem, veram, cum ad proximos omnes, tum ad Deum timore, & ſumma reuerentia conditam dilectionem, corpus caſtiſſimum, mentem liuore, ac mortali quouis crimine ſolutam afferre oportere commonefecimus.

Reliquum eſt, vt à nobis veniam mihi concedi, & obſecrem, & orem. Atque hæc ego primum, ita enim vobis velim perſuadeatis, non vt vobis, qui me longè ſtudio præcurrentes, melius me ea tenetis, præciperem, loquutus ſum; ſed ſi quo, pluſquam eſt opus, vel fortunarum veſtrarum, vel liberorum, vel coniugum, vel Reipublicæ occupationes, moleſtiæque tenerent, ſiue ſummopere afficerent, quibus hæc, aut vos fugiſſent, aut ea minus perſpiceretis, illa tandem aliquando monerem: quę ſi ſequemur, tantum ex ijs præſidij, non ſolum ad ſalutem, ſed etiam ad dignitatem obuenturum confido, vt etiam hic egregij, atque ornati, quoad viuemus, honori nobis, atque emolumento ſint, & apud ſummum poſthac Deum, æterna profectò nos gloria honeſtent. Errata igitur mihi ſi quæ ſunt, Patres amantiſſimi, pro ſingularibus ſtudijs veſtris, atque illuſtriſſimis moribus, munificentiſſimè dimittetis. Nimius autem ſi quid vobis, vel oneri, vel moleſtiæ fui, mihi pro veſtra humanitate quemadmodum id oro, minimè imputabitis. Vos verò interim, & corporis, & quod præſtantius eſt, animæ bonæ valetudini operam dabitis mei profectò ætate memores. Qua quidem re nihil gratius, nihil mihi poteſt iucundius obtingere. τὸ τέλος ἐν. 1422. IESVS.

N O T Æ.

Nota I.

Patris mei M. Da. Per hos apices Albertus ſignificare voluit, Magiſtrum Daliſmanum Patauinum Miniſtrum Prouincialem, Prouinciæ S. Antonij, quem propterea Patrem ſuum appellat, quique ipſum ad hanc orationem habendam hortatus eſt, & coegit.

Nota II.

Me hunc laborem ne longe quidem minores adhuc experiri ſolitum. Dubiam hæc ſententia quæſtionem in hiſtoria habet: videtur enim Albertus innuere hanc primam eſſe concionem, quàm ipſe ſaltem in re ſacra ad populum habuit. Quem ſenſum amplius aperiunt quæ ſequuntur. *Etſi exercitandi*

mei causa, ac illa. *Primum tamen fragili cimbæ*. Hoc autem cum eius vitæ, & studiorum ætate minus conuenire videtur. Nam cum anno Christi 1415. quo à Conuentualibus ad Obseruantes migrauit trigesimum ætatis annum habuisse dixerimus, anno Domini 1422. quo hanc orationem dixit, septimum supra trigesimum habuisse constat. Nec simile vero videtur hominem à pueritia Religioni addictum, si nondum græcè, saltem Latinè disertum, tanto tempore rostris abstinuisse. Ego tamen in priori sententia persisto, nec absurdum censeo Albertum ætatem suam vsque ad trigesimum annum Donato primum, Priscianoque, seu magis Guarino, vel vt alij volunt, Chrysoloræ, aut Cascari, deinde Ciceroni, ac Demostheni, vel Quintiliano, hoc tempore per Poggium è scrutis ad scamna euecto; postea Logicorum argutijs, & naturæ cognitioni, & scholasticis sacræ doctrinæ disputationibus impendisse; & colligendis tunc varijs eloquentiæ flosculis animum à Diuinis distraxisse, potius quàm illis imbuisse. Neque secus ad eum protectum, quem in his rebus adeptus fertur, peruenire potuit sub magistris, et si bonis, sed mundanis inter discipulos eiusdem conditionis, & sodales tunc minus asceticos: præsertim cum historia doceat ipsum sacras literas à S. Bernardino post trigesimum ætatis annum didicisse, sub cuius magisterio, vt seuerioris disciplinæ studio, tùm sanctimoniæ morum, cùm sacræ Philosophiæ se assuesceret, non multum erat si sex, vel septem annos in eis consumpsisset, quibus post Rhetoricum puluerem, plures insumpserunt Cyprianus, & Augustinus, vt & Hieronymus Dei manu liuidus vapulare debuit, vt suauitatem Tullij cum Prophetarum aspera sanctitate commutaret.

Nota III.

Obedientiæ virtus. Hoc auspicandi solatium non Religiosis tantùm frequens est. Ausonius Poeta versus suos petenti Theodosio Augusto rescribens sic se excitat;

Nil dubites, Authore bono mortalia quærunt
Consilium, certus iussa capesce Dei.
Scribere me Augustus iubet, & mea carmina poscit.
Penè rogans blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Cæsar sed iussit, habebo:
Cur me posse negem, posse quod ille putat.
Inualidas vires ipse excitat, & iuuat idem
Qui iubet: obsequium sufficit esse meum

Immo etiam orationis vitia, si quæ committantur, in dicendi, scribendiue authorem vertunt, quod Albertus hìc facit: *pace*, inquiens, *eius dixerim in eum culpam referetis qui me tanto onere leuandum esse non censuit*: & ante ipsum vtrumque Paulus Horosius historicus ad Augustinum scriptionis hortatorem initio libri 1. *Præceptis tuis parui Beatissime Pater Augustine, atque vtinam tam efficaciter, quam libenter, quamquam ego in vtramuis partem parum de explicito mouear, rectenè, an secus egerim: tu enim iam isto iudicio laborasti, vtrumne hoc quod præciperes, possem: ego autem solius obedientiæ, si tamen eam voluntate conatuque decoraui, testimonio contentus sum*.

Nota IV.

Pro honestissima consuetudine. Hanc consuetudinem recitandi in principio sermonis Angelicam Salutationem, ad implorandam Deiparæ Virginis auxilio Spiritus Sancti gratiam concionatores omnes Catholici per totam Occidentis Ecclesiam etiamnum hodie obseruant. Sed citra, vltraque montes diuersimodè: Itali enim cis montes ante exordium sermonis, erecto corpore, & iunctis manibus, oculos, & mentem in Deum sursum paulisper colligunt: dein genuflexi versus altare maius, vel effigiem Crucifixi, quam singuli pulpito affixam ea parte habent, perceptibili voce recitant integram Salutationem Angelicam, ijs verbis latis quibus ab Ecclesia publicè, & priuatim recitanda proponitur. Vltramontani verò exordium ipsum hac prece concludunt, melius existimantes postquam captarunt populi beneuolentiam, eundem ad communem orationem conuocare, per quam & ipsi rectè dicendi & iste cum fru-

fructu audiendi gratiam obtineant. Nec mouet ipſos ratio Ciſmontanorum, quod nimirum ſermo non ſit interrumpendus hac prece, & ſic tam qui dicit, quàm qui audiunt omnes eam ſubmiſſa voce recitant: non enim exiſtimant exordium, ſeu, vt alij vocant, procemium eſſe partem ſed diſpoſitionem præuiam orationis. Ex hoc autem Alberti more, quem in hac, & altera de pœnitentia oratione, quas ad populum dixit, obſeruat, conſtat vltramontanam conſuetudinem non omninò tunc apud Italos inſolitam fuiſſe, nec tamen ab omnibus obſeruatam, vt ex aliquibus coæuorum ipſius iam typo publicatis ſermonibus liquet. De eius origine quidpiam habet Paulus Areſius lib. 2. artis prædicandi cap. 5. & 6. videndus Petrus Caniſius de Maria Deipara lib. 5. cap. 31. vbi hanc Salutationem in Apoſtolicis, alijſque Patrum ac diuerſarum gentium vetuſtiſſimis liturgijs ſolitam oſtendit, ex quibus in Breuiario Romano vſu venit, vt ante ſingulas officij Diuini horas recitetur, & ex his poſtea fortaſſis Concionatores noſtri eundem morem iure-merito ad ſermonum ſuorum exordia tranſtulerunt.

Nota V.

Cuius vaniſſimæ opinionis. Veterem Apolliniſtarum hæreſim hoc loco indigitat B. Albertus. Illi, quod ad præſens pertinet, animam rationalem, ſeu mentem humanam à verbo Dei in diſpenſatione Diuinæ Incarnationis aſſumptam fuiſſe negabant, ſed carnem ſine mente animatam; quaſi dicerent, ſola anima ſenſitiua præditam, & locum animæ rationalis in ea per verbi Diuinitatem, ſeu mentem Diuinam ſuppleri, contra fidem Catholicam, quæ docet verbum carnem, & hominem factum eſſe. Hæc eſt enim fides Catholica, vt credamus, & confiteamur quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius Deus, & homo eſt. Homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens: Deus non per conuerſionem Diuinitatis in carnem, ſed per aſſumptionem humanitatis in Deum; non per commixtionem naturarum in vnam ſubſtantiam, ſed per earum hypoſtaticam vnionem in vna verbi Dei Diuina perſona. Interea qui plura cupit, poterit videre Bernardum à Lutzemburgo in Catalogo Hæreticorum, Gabrielem Patreolum in Elencho omnium hæreſum, Seuerinum Binium in Concil. III. Romano ſub Damaſo Papa, & in ipſius ibidem notis tom. 1. Conciliorum part. 1. pag. 514. Cardinalem Baronium ad annum 373. & Spondan. in Epitome eiuſdem anni, qui Sanctos Patres, & vetuſtos Eccleſiæ hiſtoricos, tùm qui Apoliniſtarum hæreſes retulerunt, tum qui refutarunt, exactè citant.

Nota VI.

Tollebant exteri ad ſydera ciues ſuos. Græcos, & Romanos, Gentiles, Oratores, & Poetas, Populos, & Principes, exteros vocat, quia non domeſticos fidei, vt Paulus loquitur ad Galatas 6. Ad eorum exemplar, quoniam de Patria bene meritos, quos, etſi inanes laruas, Deos, & Heroes vocitabant, ſummis honoribus, & præconijs exornabant, Chriſtianos prouocat, vt Chriſtum verum, ſolumque Deum, de toto hominum genere optimè, maximèque meritum, condigno, quo fieri poſſit, honore, amore, laude, & religione colant.

Nota VII.

Illis vt reſpondeam. Et infra. *Audere enim dicuntur ſtultiſſima temeritate aſſerere, Corpus Chriſti ſimul, ac confectum eſt Diuinis illis verbis, atque à populo adoratum, tum primum eſſe deſinere*. Hæc hæreſis vel eadem eſt vel ei proximè affinis, quam Alphonſus à Caſtro lib. 6. aduerſus hæreſes verb. Euchariſtia hæreſi 12. his verbis memorat. *Corpus Chriſti verum non eſſe in Euchariſtia, niſi tantum in vſu, hoc eſt, quando quis vtitur ea accipiendo, & edendo illam: Alias autem extra communionem Corpus Chriſti in ea non eſſe*. At eandem eſſe ex ipſo Alphonſo habemus cum ſubiungit iſta. *Ex hoc errore alium ſimilem errorem deducunt velut putridam aquam ex fonte corrupto. Dicunt*

enim

enim Eucharistiam nunquam esse seruandam in Altari, aut in quocumque alio loco post Missa celebrationem, propter quamcumque verisimilem futuram necessitatem. Quod enim hic per communionem, & Missam Castro, id ipsum Albertus per populi adorationem intelligit, idest totum, ac solum tempus, & cultum omnem qui medio tempore consecrationem inter, & communionem à consecrante, populoque factum impenditur. O cæca hæreticornm libido contradicendi Catholicæ veritati. Vident hi cæci, & cæcorum duces manere sub speciebus Sacramenti verum Corpus, & Sanguinem intermedio illo tempore, vt adoretur à præsentibus, & Sacerdos populo sumendum distribuat: & non vident, quia nolunt, eadem ratione debere manere, vt à tardiùs, vel alio tempore accedentibus adoretur, vel digne sumatur; præsertim cum ipsi secundam Missam eodem die per alium errorem non admittant. Nec magis hic cæci quam in moribundos Christianos sæui sunt, dum in extrema illa necessitate, cum tota Diaboli potentia pugnaturos, hoc singulari futuræ gloriæ pignore crudelissimè destitutos relinquunt.

Quod autem habet Alphonsus huius pestiferi erroris inuentores fuisse Bucerum, & Lutheranos ex hoc Alberti loco corrigendum est, qui centum circiter annis Buceri, & Lutheri damnata nomina præcessit: neque hæresim, nunquam prius auditam, finxisse vir doctissimus, & sanctissimus dicendus est. Malo proinde dicere Alphonsum vel cursu calami, vel typographorum inscitia vnico verbo lapsum, inuentores pro renouatoribus habere, quam eam B. Alberto impietatem impingere: ante quem annis integris mille hæc hæresis detecta fuit per Sanctum Cyrillum Alexandrinum, qui tom.2. operum edit. anni 1604. pag. 728. col. 2. in epist. ad Calosyrium sic scribit. *Porrò alios esse etiam audio qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicunt, si quid ex ea fiat reliqui, in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt, nec enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis, & facultas, & viuificans gratia, perpetuò in ipso existit.* Quam sententiam cum Castro, etsi ex alio, vt videtur, quàm nos exemplari in refutanda hac hæresi descripsisset, manifestum est ipsum non ignorantia historiæ, sed amanuensis, vel typographi errore inuentorem, non innouatorem habere. His autem verbis designatos per Cyrillum Nestorianos fuisse, author mihi est Iodocus Coccius tom. 2. Thesauri Catholici, lib. 6. art. 1. in initio, sed quisquis fuerit vetus, aut recentior huius erroris inuentor, ipsum egregiè conuellit Castro, & ante ipsum Albertus noster, quod in illo tunc Concilio peropportunum fuit, cum in illa solemnitate peroraret, quæ non consecrandæ tantùm, vel suscipiendæ Eucharistiæ, sed eius diuturniori adorationi, & solemni per vrbes delationi, in sacris processionibus consecrata fuit. De quo videndus Nicolaus Serarius in opusculo de sacris processionibus cap. 9.

Nota VIII.

In hoc enim Domino nostro quod non perparum est, primum quidem omnis innocentia, omnisque integritas restituta est. Loquitur hic B. Albertus cum Apost. ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo,* in quem locum S. Ambrosius, *omne donum gratiæ Dei in Christo est, & si quis spreto Christo benedici se à Deo putet, errare se sciat,* & iterum, *immortalis factus es, factus es liber, factus es filius, iustus es factus, factus es frater, factus es cohæres, simul regnans, simul glorificatus es, omnia tibi gratuitè data sunt.* Vnde alibi Apostolus, *sed non sicut delictum, ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit;* & hinc Isaiæ 40. dicitur *suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis,* in quem sensum D. Athanasius lib. de humanitate verbi ait de Christo, *solus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit,* & Agapitus Papa epist. 1. *validius factum donum libertatis, quam debitum seruitutis,* & D. Bonauentura 4. dist. 4. art. 1. q. 1. dicit, *in Sacramento baptismi omnis culpa deletur, & restituitur* Ad Rom. 5

tur

tur homo in priſtinam innocentiam quantum ad animam. Hæc vero non ita intelligenda ſunt quaſi in ſtatu hoc naturæ lapſæ, omnes gratiæ, & omnia dona ſtatus innocentiæ, ſeù hominis integri reſtituantur, etiam renatis in Chriſto, cum id ſcripturis, & ipſi experientiæ manifeſtè aduerſetur. Neque id voluiſſe B.Albertum eſt veriſimile,licet generali, vt alij, locutione vtatur: ſenſus ergo eſt, omnem gratiam, & integritatem ſupernaturalem quam habemus,per Chriſtum haberi, communi modo loquendi quo aliquis dicit, omnia habeo à tali, quo non intendit dicere omnia quæ ſunt, ſe habere, ſed omnia quæ habet à tali habere. Quo ſenſu S. Io: Chryſoſtomus *hom.*13.*in Ioann.* de Chriſto dicit, *ipſe ſons eſt,& radix omnium bonorum*. Præterea abſolute omnis gratia, & integritas per Chriſtum nobis reſtituta eſt,etiam multo maior, & copioſior quam fuerit in ſtatu innocentiæ in præſenti initiatiuè per gratiam, & in futuro conſummatè per gloriam. Quò ſenſu gloſſa intelligit illud *ad Rom.*8. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit*.

Nota IX.

Etſi ſordida, etſi ſcelcratiſſima donet. Docet hic B.Albertus quod paſſim Theologi cum D.Thoma 3.*parte quæſt.* 79. *art.* 3. *Scotus* 4. *diſt.* 9. *quæſt. vnica, & alij*, Euchariſtiam interdum primam gratiam conferre, & peccatum mortale delere;*poteſt tamen*,inquit S.Th. *hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter: vno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis prius iuſtificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet: fortè enim primo non fuit ſufficienter contritus, ſed deuotè, & reuerenter accedens conſequetur per hoc ſacramentum, gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati*; & 4. *diſt.*9. *quæſt.*1.*art.*3.*quæſtiunc.*2. *Si aliquis facta diligenti diſcuſſione ſuæ conſcientiæ, quamuis fortè non ſufficienti, ad Corpus Chriſti deuotè accedat, aliquo peccato mortali in ipſo manente quod eius cognitionem præterfugiat, non peccat immo magis ex vi Sacramenti peccati remiſſionem conſequetur*: *Vnde Aug. dicit in quodam ſermone, quod quando corpus Chriſti manducatur, viuificat mortuos*. Porrò vt licitè quis communicet ſine præuia confeſſione debet copia confeſſarij deeſſe, & neceſſitas communicandi interuenire: neque enim cum debita reuerentia accedit qui nulla neceſſitate conſtrictus, poſt commiſſum peccatum mortale, ſine præuia confeſſione, quæ præcipua eſt diſpoſitio à Tridentino, Theologis & ipſo Alberto infra requiſita, communicat; vnde dum ſummam reuerentiam, ſummam fidem, ardorem ſummum hic requirit B. Albertus illam neceſſitatem tacitè inſinuat, & alteram de inopia confeſſarij expreſsè ponit. Varij autem aſſignantur caſus huius neceſſitatis. Scotus loco citato n. 3. exprimit caſum ſcandali his verbis, *ſi autem non occurrat opportunitas confitendi, ſi poteſt ſine ſcandalo vitare, ne tunc communicet, tenetur non communicare, ſed expectare confeſſionem propter eandem rationem, quæ dicta eſt nunc. Si verò occurrit ſcandalum niſi ſtatim communicet, vtpote ſi eſt indutus, & poſtquam indutus eſt, occurrit ſibi conſcientia de peccato mortali, de quo non fuit confeſſus, & non habet in promptu idoneum Confeſſorem, tunc cum contritione, & voluntate confitendi tempore opportuno poteſt celebrare, vt ſcandalum euitetur, & ſimiliter de alio communicaturo, qui non celebrat, vtpote conſuetudo eſt in aliqua religione, vel Eccleſia, vt omnes non Sacerdotes communicent in ſimili caſu, ſcilicet ſi tunc cum debet communicare non habet idoneum Confeſſorem poteſt tunc non confeſſus communicare*. Cenſetur etiam ſufficiens neceſſitas ea, quæ oritur ex articulo mortis, quatenus quis ſtante non copia Confeſſarij periclitaretur mori ſine viatico; item neceſſitas dandi alteri viaticum, neceſſitas celebrandi ex officio pro populo quando non poteſt declinari ſine infamia, & aliæ nonnullæ in quorum aliquibus conueniunt, in alijs diſcrepant authores. Cæterum iure Tridentini Sacerdos, qui neceſſitate vrgente ſine confeſſione celebrauit, tenetur quam primum confiteri, quod tamen ad laicos non extendi docent Hiquæus, Herinx, & alij. Quæ

verò

verò disposítio requiratur in se communicante non spectat huc disserere, communiter equidem, & probabilius requiritur contritio, saltem existimata.

Nota X.

Remittendis enim peccatis &c. Per Eucharistiam conferri remissionem peccatorum docetur cap. *species*, & c. *quid sit sanguis*, *de consec. dist.* 2. licet non sit præcipuus, & primarius eius fructus, vt docet Trident. sess. 13. can. 5. in idem conspirant Patres apud Suarem disp. 62. sect. 1. citati, & Theologi passim.

Nota XI.

E'n 1422. Hinc apparet B. Albertum eo anno scripsisse hanc orationem. Dictam autem fuisse ad aliquem consessum Patrum ordinis in proœmio, decursuque orationis facile videtur, & Vvaddingus in Comitijs congregatos affirmat. Sed hæc generalia non fuisse constat, nam inter Foroliuiensia anni 1421. & Ferrariensia 1424. non reperiuntur alia, nec locus Comitiorum exprimitur. Ego verò in Capitulo, seu Congregatione aliqua Prouinciali Prouinciæ S. Antonij habitam hanc orationem inde suspicor, quod Albertus in exordio dicat se hanc dicendi Prouinciam suscepisse, postulante, hortante, suadente, instante præstantissimo Patre suo M. Da. claro Theologiæ Professore, quem non dubito fuisse Magistrum Dalismanum Patauinum, cui postea Ministri Prouincialis officio cum vita defuncto Albertum ipsum per Patrum suffragia suffectum fuisse, iam in vitæ historia docuimus. Immò & diem, & anni tempestatem, cogendis ad Comitia Patribus, opportunam nobis innuere videtur verbis his paulò inferius. *Ad id* (finem orationis) *equidem vos affectos certo scio, vt ad cæteros præstantes viros, qui conciones illustres, hac de re, hodierna die sunt habituri, maxime cum ardore audiendos ire pergatis;* per quæ verba Corporis Christi solemnitatem indicare videtur, in qua multæ de Sanctissimo Sacramento conciones haberi solent. Nec in secreto Comitio, sed in publico templo perorasse, ea docent quæ in Epilogo, de auditorum coniugibus, liberis, & cura Reipublicæ commemorat. Locum etiam eiusdem Prouinciæ S. Antonij designat codex Capistranensis, ad nos post hæc scripta delatus, in quo ad prima orationis verba in margine notatur Zeronæ 1422. immo author ipse in eiusdem codicis epistola, quæ nostrarum 9. est ad Guarinum: *oratiunculam meam*, inquit, *quam de Corpore Christi, vt scis, ad Populum Veronensem, anno superiori habuimus*, idest 1522.

ORATIO II.

In Laudem Pœnitentiæ.

ARGVMENTVM.

Latinè ad Populum dicendi munus, & sibi, & sui similibus ingratum ait, quod cùm aliqui grauiter ferrent, & recusantibus religiosis irascerentur; ille rectè recusatum defendit, & facti rationem alibi promittit, simulque refellere id munus ab ipso instanter poscentes. At quod nunc est, boni successus fiduciam in virtute obedientiæ, auditorumque iudicio, & beneuolentia collocat: atque inprimis, in auxilio Diuinæ gratiæ,

quam

quam Dei Matris interceſſione, per Salutationem Angelicam, ſeù ſolitam, vt vocat, precationem inuocat. Pœnitentiæ laudes ab eius neceſſitate auſpicatur. Reliquam eius laudem ab vtilitate, per plurimorum excellentiſſimorumque effectum coaceruationem, prolixo, & pulchro præconio comprehendit. Hortatur deindè Patres, ad quos maximè dicebat, vt pęnitentiam diligant, & amplectantur, eiuſque vſum per partes breuiter docet, & ęterno pręmio, per Euangelij verba propoſito, ſuadet, & neglectum per æternæ pœnæ interminationem debortatur.

APleriſque, & multis locis, ſuauiſſimi Patres, hoc munus dicendi, quod in præſentiarum non ſatis equidem libenter ſuſcipio, inſtantiùs, frequentiùſque expoſcor, quod ego agere, cùm ſæpè recuſem, illi ipſi qui hoc fieri vehementiùs expetunt, iraſci mihi non deſinunt. Nec mihi modo, verùm etiam reliquis omnibus ſuccenſere videntur, quos, quod illi poſtulant, liberè ſatis, ac fidenter ſibi inficiari grauiter ferunt, quod eorum peccatum, eò eſt tetrius, quò illud non in paucos agunt. Nam ſunt plurimi, aduerſus quorum reſiſtentiam, non modo acriùs, verùm etiam indigniùs efferuntur. *Quicumque enim quod mirum eſt dicere, Serui Dei hoc noſtro tempore appellantur, id negotium publici muneris Grammaticè dicendi ad populum ſuſcipere prorſus borreſcunt.* (1) Neq; id iniuria, habent enim, mea ſententia, vt hoc non deformiter negent, cauſam quandam ſui huiuſmodi inſtituti, cuius rationem alio quodam loco aliquandò forſitan afferemus, ſimul omnibus illis reſpondentes, quos aduerſus eos, qui hoc agere laudabiliter negligunt, vitia potiùs, quam rectè facta duriùs, atque acerbiùs commouerunt, noſtramque tunc cauſam agentes, illorum etiam, ac multò magis iniuriam in aduerſarios refellendo tuebimur.

Nunc, quod eſt inſtituti operis agere, pergamus, de laude pœnitentiæ pauca pro tempore diſſerentes, tantò confidentiùs, quantò & tu Reuerendiſſime Præſul hoc fieri iubes; in quo mihi obedientiæ virtus ſpem affert, & vos integerrimi Religioſi adeſtis, in quo conformitas propoſiti familiaritatem parit, & vos egregij, ac doctiſſimi viri adhibetis iudicium, in quo veſtra diſcretio diſciplinam tribuit, & vos omnis populus ſuſpenſi ora conſiſtitis, in quo mihi attentio ardorem, diligentiamq; exuſcitat, & poſtremo nos cuncti ſimul, quod priùs dicendum fuit, de Deo noſtro confidimus, in cuius manu, vt Sancta Scriptura commemorat, & nos, & ſermones noſtri ſunt conſtituti. Ad illius igitur Chriſti noſtri Dei excellentiſſimam, ſummamque maieſtatem obſeruandam, ne quid in dicendo offendiculi patiamur, interceſſione pudiciſſimæ Matris eius mente ardentiſſima accedamus eidem Virgini Matrique Sanctiſſimæ precationem ſolitam offerentes. AVE MARIA gratia plena Dominus tecum, &c.

Etſi non benè dignæ vitæ (quantum attinet ad impuros homines, ac perditos loquor) *beatè tamen viuendi cupiditatem omnibus, & corruptis, & integris in eſſe hominibus* (2) quoniam compertum eſt, non eſt quiſpiam ſanè, nedùm apud Videepiſt. xxv. ad ſia.

 Chri-

Christianos, sed nec apud Barbaras quidem Nationes, qui hac de re vel ambigat, vel contendat. Veram beatitudinem ipsam non facilè posse quemquam consequi, qui peccatis grauioribus irretitus sit, idest, illis, quæ latiore consuetudine iam mortalia dici solent, Christiani satis exploratum habent. Nihil enim in illam beatitudinem ingreditur coinquinatum, ab qua, vt Beati Ioannis Apocalypsis testatur, canes, venefique pelluntur. Superest igitur ad consequendam beatitudinem, vt media curatione morbo careamus. Omnium autem adiumentorum, vt à peccatorum sordibus eruamur, nec aptiùs est quicquam, quam quod errata nobis displiceant, quæ res pœnitentia dicitur; nec alienius, quam quod nos peccasse delectet, quod obstinatio vsitatiùs nominatur. Quæ cùm ita sint, obstinationem missam facientes, de pœnitentia ipsa quædam dicemus, quæ, & tempori congruant (nam quadragesima hodie cœpta est) & à remedio consequendæ beatitudinis non abhorreant.

Apocalip. 21. 27.

Cap. 22. 15

Nè autem multis immorer, præconium sanctæ pœnitentiæ, primò quidem ex hac vna re latissimè nobis patet, quibus sit in Cœlum laudibus efferendum; quod pœnitentia quidem, ea profectò est, ob quam ad nos miseros afferendam, pijssimus Pater Christum de sublimioribus misit, sicut Isaias ex persona Saluatoris testatus est, dicens, *Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, & prædicare captiuis remissionem, cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Ecce audiuimus pauperes, cæcos, captiuos, confractos atque contritos: Pauperes, inquam, haud dubium quin virtutibus; cœcos veritatis percipiendæ; captiuos Diaboli, contritos, atque confractos ab integritate benè institutæ naturæ. Quibus tamen omnibus largioris gratiæ Spiritu vnctus Saluator, in anno accepto Domini, idest, in tempore nouæ legis, æternæ retributionis diem illam in atrijs Domini super millia potiorem, certissimè pollicitus est. Sed non nisi contritis corde primum, idest, pœnitentibus de peccatis, vt facile intelligeremus, quæ præmia pœnitentiam consequerentur. Ac nè solo blandimento promissæ beatitudinis, Christus ad pœnitentiam Apostolos animaret, eosdem æternam mortem sententia minitante perterruit; cùm alio loco dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis omnes peribitis.*

Isaia 61.1

Luca 4.16

Nè verò amplior formido spem salutis eriperet, eandem pœnitentiam, medentem morbis omnibus medicinam saluberrimam nobis attulit, sicut ex euangelica lectione comperimus, vbi homo ille, qui ab Ierusalem in Hierico descendebat, licet à latronibus spoliatus extiterit, licet plagis confossus, Sacerdote etiam, & Leuita illius minimè miserentibus; pijssimi tamen Samaritani cura sanatus refertur, eo clementiùs, quo vini asperitatem, lenissimo misericordiæ oleo temperauit, alligauit vinculis charitatis, quando nos peccatores sua dilectione deuinxit, at in humeros suos, quasi in iumentum, extulit, quando dolores nostros ipse tulit, stabulario commisit, quia maioribus Ecclesiæ credit: futuræ curæ pretium protulit, duos id quidem denarios, quià iuxtà

Apo-

Apoſtolicam veritatem : *Qui benè* 1. Thimot. 5.17. *præſunt Presbyteri duplici honore dignì ſunt*; vt, & in hoc ſæculo gratia meliores, & in altero gloria habeantur beatiores. In cuiuſlibet autem hominis fine, *extra diem extremam iudicij*, (3) ſe rediturum ſpopondit, atque impenſas omnes inſtauraturum pollicitus eſt, quod fiet quando maiore præmio nos in Cœlis donabit quàm ſimus labore hic Rom 8.18 acriore defatigati : *non enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ſicut Apoſtolus Romanos hortatus eſt.

Qua propter rectè quidem Chriſtus noſter, in quo ſunt *omnes Theſauri* Coloſ. 2.3. *Sapientiæ, & Scientiæ Dei abſconditi* pœnitentiam primò prædicans, eam ante omnia ex vberrimo omnium doctrinarum ſui pectoris Matt. 3.2. fonte produxit, dicens: *pęnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cęlorum* : Sed, quod eſt longè incredibiliter mirabilius, nobis quidem omnibus, quorum quiſq; à puero baptizatus eſt, cum nec iterum liceat baptizari, ſi fortè poſt baptiſmum, vel in maximis peccaremus, pœnitentiam ipſam aduerſum culpas omnes alterum genus, vt ita dixerim, baptiſmi conſtituit, vt facilè conijceremus pœnitentiam in primis homini eſſe perneceſſariam, quam ad terras è Cęlo Chriſtus traduxit, quam Sacramentis annumerauit, quam denique ſibi pro nobis adiudicauit, ſicut ſcriptum eſt: *Vi-* Iſaia 53.3 *dimus eum nouiſſimum virorum, virum dolorum*. Et, *Dominus po-* ibid. 6. *ſuit in eo iniquitates omnium no-* Ibid. 11. *ſtrum*. Et, *iniquitates omnium noſtrum ipſe portabit, & propter ſce-* Ibid. 8. *lus populi mei percuſſi eum*. Et, *ipſe peccatum multorum tulit*. Ac ple- Ibid. 12. raque multa quæ de ſcripturis Sacris in vnum corpus coacta idem efficiunt, quæque breuitatis cauſa omitto.

Nec tamen præteribo *Ioannem Baptiſtam, omnibus mulierum natis maiorem*, (4) quem, *vt pęnitentiam ſemper in primis populis prædicandam afferret, Chriſtus edocuit, Chriſtus miſit, Chriſtus iuſſit*. (5) Ita enim & ipſe ante Chriſtum prædixerat: *pęnitentiam agite, appro-* Matth. 3.2 *pinquauit enim Regnum Cęlorum*. Et ne perlaberetur, præcepta leniter, ſed tenaciùs animis adhæreſceret, clamore, terroribus, & vocis contentione, & in ſenſum audientium, & in mentes introgreſſa perſiſteret, aiebat : *genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira*. Et *iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; *facite ergo dignos fructus pęnitentiæ*. Cumque iſta Ioannes diceret, tanta animi conſtantia loquebatur, vt neque Herodi à vero parceret, neque carcere terreretur, neque morti cederet, pęnitentiamque prædicans, eam camelorum veſte acerrima, cibo locuſtarum, ne dum parco, ſed vili laxantis aquæ potu moderatiſſimo : Deſerti loci habitaculo, verbiſque potentiſſimis, & ardentiſſimis confirmabat : Et, vt vel inuitum omne genus hominum, inquam, tùm Phariſæorum, Saduceorumq; tùm Publicanorum, tùm deinde militum, poſtremò turbarum huiuſmodi, & vitæ exemplis, & doctinæ perſuaſionibus pœnitentiam intra audientium præcordia, velùt telis validiſſimis, ingerebat.

Sed quid loquar de his, qui vi-

 de-

debantur eſſe columnæ: Petrum, dico, & Iacobum, & Ioannem, qui, quo à Chriſto ad ſecretiora omnia familiariùs vocabantur, eo, vt de pęnitentia, & de reliquis omnibus certiorem poſſunt ferre ſententiam? Nonnè Beatus Petrus Eccleſiæ Princeps, cum Apoſtoli die Sancto Pentecoſtes ebrii putarentur, ipſeque eis, qui ita deſipiebant, verbis plurimis de Ieſu teſtificaretur, compunctis corde, & quærentibus quidnam facerent, ad lamenta pęnitentiæ ſe protinùs conuertit dicens: *pœnitentiam agite; & baptizetur vnuſquiſque veſtrum, in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Alio quoq; loco, ſicut eadem Apoſtolorum acta teſtantur, Iudæos, piè quidem de pęnitentia ſubeunda audientes, idem Petrus admonuit, vt ab eis mortis Chriſti facinus perpetratum abolere tür; *Et nunc fratres*, inquiens, *ſcio quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & Princepes veſtri, pęnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*.

Iam verò quid Iacobus Minor, quamuis non ſit iſte Frater Domini, ſed nec Ioannis; qui ipſe Chriſto ſimillimus extitit, quamobrem, & Frater eius eſt appellatus, vultu placidus, moribus admirabilis, caſtitate mundiſſimus, conſtantia ſolidus, aſperitate ſeuerus, religione præcipuus, veritate rectiſſimus, doctrina ſalutaris; dignitate præcelſus, vita clarus, morte clarior, gloria beatitudineque clariſſimus, quid inquam is dé pęnitentia dicat, audiamus. Apud quem pęnitentiam laudantem arbitror dictum: *ſuper exaltat autem miſericordia iudicium*. Miſericordia verò pęnitentibus exibetur, pœnitentia eſt igitur apud illum, quantum exiſtimo, verbum inſitum quod poteſt ſaluare animas noſtras. Ea eſt opus perfectum, ſine quo fides mortua eſt. In hac ſi quis offenderit, factus eſt omnium reus, etiam ſi totam legem ſeruauerit, quia à pęnitentia reſiliens, omnes iuſtitiæ eius, iuxta Prophetam Ezechielem, nequaquam recordabuntur. Hæc eſt ſapientia, quæ deſurſum eſt, pudica; pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione, hoc eſt, Diabolo reſiſtere, vt fugiat à nobis, hoc eſt, *patientem eſſe, vſque ad aduentum Domini*: hoc eſt triſtantem æquo animo pſallere, & orare; *boc eſt vngi à Presbyteris (6) oleo*, hoc eſt alterutrum confiteri; hoc eſt clamor cordis orationis aſſiduæ. Et, vt apertè concludam, audite quid in fine Epiſtolæ idem Iacobus inferat. *Si quis autem ex vobis*, ait, *errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem, ab errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum*. Hoc eſt ergo operire multitudinem peccatorum conuerti facere peccatorem. Tunc verò conuerſus eſt quiſque cùm pęnitentiam, quam peccando expulerat, pęnitendo reuocarit.

Ioannem verò Euangeliſtam, cùm eſſet dilectus Domini, & volucer Trinitatis, ac Matris Virginis curâ & familiaritate ſublimis, quod maxime credendum eſt, remedia illum pęnitentiæ non fugerunt; ſed pietate iam lenis, dulcedine manſuetus, candore virginitatis præfulgens, eam vitæ

Epiſt. Iacobi cap. 2

Ezech. 33 13.

Cap. 5. 20.

vitæ munditiam, quam à puero in senectam ipse possederat, in omnes filios suos spe tutissima pęnitentiæ transfundebat, ostendens primò nulli deesse, de quibus pęnitentiam arripere oporteret, cùm omnes sint
1. Ioann. 18: 10. peccato obnoxij. *Si dixerimus* inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et paulo post, *si dixerimus quoniam non peccauimus mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* Tum deniquc docet neminem desperatione frangendum, quia multis, & quia maximis, quia diuturnis, & quia turpissimis, quia frequentibus denique criminibus obrutum; cùm habeamus Christum, tanto nobis sui sanguinis pretio, & tanta largitate propitiantem, dummodò pœnitentiam prompta confessione suscipiamus. *Si autem*, inquit, *confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*, & post pauca: *Filioli*, ait, *mei hæc scribo vobis vt non peccetis; sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.*

Vers. 9

1. Ioan. 2. 1

Taceo præcipuum Vas illud electionis Apostolum Paulum, qui pęnitentia stimulante peccatorum Principem se se vocat, pro quibus Christus saluandis ad infima nostra descenderit; eadem vrgente pœnitentia, se Apostolorum minimum esse dicit, qui Ecclesiam Dei fuerit persecutus. Se autem ipsum misericordiam asserit consequutum, vt in se primò ostenderet Christus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturі essent illi in vitam æternam. Suam verò præteriti temporis conuersationem accusans, supra modum se dicit, & supra omnes coętaneos suos in genere suo, Dei Ecclesiam persecutum, in expugnandaque illa abundantius profecisse: de quo tamen post conuersionem, vt mirabilia infinita præteream eius Apostoli, fructuosissimè auditum est: *quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem*, quam aliquandò expugnabat, Deusq; ipse conuertens animas, dignè quidem, de tanta atrocissimi hostis reuersione, testificatione, perfectione tunc laudatus est, & hodie quoque dignissimè laudatur; cumquè tandem filijs suis Corinthijs, pro diluendis culpis, pœnitentiæ documenta proposuisset, quantis eam laudibus prosecutus sit, & quanto ordine sapientiæ illam distinxit, attendamus. *Et si contristaui vos*, inquit, *in Epistola, non me pęnitet, & si pęniteret, videns quod Epistola illa (& si ad horam) vos contristauit: nunc gaudeo; non quia contristat, estis, sed quia contristati ad pęnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis: quæ enim secundum Deum tristitia est, pęnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.*

1. Corinth. 15: 9

2. Cor. 7. v. 8. 9.

Ma-

Magis magisque præterea, nobis diuinitùs adiutis, dilectissimi, copiam de Scripturis Sacris, tùm nouis, tùm veteribus pro laudanda pęnitentia, exempla suppeditant, si plusculum temporis haberemus. Sed quoniam quam primùm terminanda oratio est, vno complexu, & vno impetu multa fundemus, vt magnam quidem atque eximiam pœnitentiam ostendamus: cuius magnitudinem prædicantes, quanta sit ipsa potentia pœnitentiæ, qui nesciunt, non aduertunt; eorum verò, qui sciunt, quis vnquam cuncta dixerit? verùm si tantummodo crediderimus, eam esse, ad quam totos nos conuerti oporteat, deuotis nobis, & colentibus eam, se forsitan non parua ex parte longè libentissime demonstrabit, quænam ipsa, quantaue sit, idest, quæ sit eius vis, quæ sit eius vtilitas, quæ sit eius postremò potentia.

Quoniam, quantum mihi quidem videtur, ea profectò est desperatorum omnium tutissimus portus, perditorum refugium, destitutorum omnium patrocinium, quæ fędos purgat, turpes exornat, Deo inimicos conciliat. Hæc perdita instaurat, parta conseruat, acquirenda conquirit. Hæc impios iustificat, iustos lætificat, lætos glorificat. Hæc senectam reuocat, iuuentam corrigit, vtramque conseruat. Hæc morbos diluit, ægrotationes delet, ægritudines curat. Hæc portenta innouat, soli imperat, Cęli ordinem vertit, sed non peruertit. Hæc flagella differt, vindictas transfert; iratique Dei atrocissimas sententias aufert. Quo nos igitur, fratres, oro dicite, quo nos miserrimos verteremus, si pęnitentiæ nobis remedia præriperentur? desperandum profectò esset, & cum vitijs solummodo paciscendum, cum Diabolo insuper sempiterna coniuratio facienda.

At verò nunc contrà, magis nobis lætandum est, quoniam ex hac pęnitentia parata, oblata, præbitaq; liberalissimè in nos miseros Deus suæ misericordiæ pelagus fundit, suæ lenitatis mansuetudinem affert, suæ teneritudinis dulcedinem præbet. Hæc honores restituit, carceres reserat, secretorum abdita pandit; hæc ora leonum obturat; hæc vincula soluit; hæc ignes irrorat; vt amictus humanos ardore refugiant, & carnes Sanctorum mandere recusent, vt dolores non inferant, vt oblectamenta præbeant, vt speciem quarti, quasi filij Dei, inter tormentorum instrumenta exhibeant, &, quod incredibile forsitan pęnitentiam minus experientibus videatur, illi ipsi quos pęnitet non rectè factorum, dum tristiùs mœrent, simul lætitia efferuntur. *Daniel. 3. 91. 92*

O sublimitas pœnitentiæ, quæ neminem abijcis, sed omnes complecteris, neminem dedignaris, sed cunctos suscipis: Tu tartaro animas adimis, tu Diabolo præripis, tu peccatis exuis, tu ignotos celebras, tu viles dignitate sublimas, tu illa ipsa es, quæ filios Dei ex filijs Diaboli facis, quæ putentia redolentes gratos constituis, vt audiant *ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus*: quæ turpes pulchros reddis, quibus dicatur *pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Quæ Angelos lætos facis. *Quoniam gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*: quæ denique Paradiso animas inferis; quemadmodum ait Saluator. *Pęniten-*

niten.iam agite, appropinquat enim regnum Cœlorum.

Tibi extranei fiunt hoſpites, tibi exteri ſunt eoneiues, tibi pauperes ſunt conuiuæ; omnes doces, omnes paſcis, omnes diligis æque atq; tuos. Tu mœrentes, hilares reddis, tu turbulentos, quietos conſtituis, tu infeſtos pacificas, tu debilia fortificas, tu delicata roboras, tu incompta componis. Tibi efferati miteſcunt, tibi indomiti manſueſcunt, tibi crudeles liqueſcunt, tu arida fœcundas, tu ſicca reuireſcere facis, tu exanimata viuificas. Non pompas diuitum aſpernaris, non dignitatem ſublimium deterreris, non fortium vires paues, non potentium arrogantiam aliquando contemnis; ſed omnes ad te trahis, omnes ſuperas, omnes in tuum Dominium vendicas.

Meminimus Dauid fornicaria labe pollutum ante te fleuiſſe: ſcimus Nabuchodonoſor potentiſſimum Regem, quamuis ſuperbia elatum, per te gloria eminenti refloruiſſe: Manaſſen ſanguinaria cæde fœdatum, poſtquam per pœnitentiam coanguſtatus eſt ſpiritus eius, valde pœnituiſſe, Dominum Deum ſuum intentè obſecrauiſſe, cumque ad hæc omnia à Domino iterum regni gubernacula ſuſcepiſſe; ſe ſe verò pleroſq; reliquorum Regum, potentium, atque Pontificum ad te conuertiſſe cognouimus. Nam per te Conſtantinum perſecutorem, fidei defenſorem poſſedimus, vindicantem ab aduerſarijs Chriſtianos, religionem noſtram plurimùm augentem. Theodoſium occiſorem ſub iugum tuum legimus colla miſiſſe, ac plectenti ſe Ambroſio Sanctiſſimo Chriſti Antiſtiti paruiſſe. Marcellinum Pontificem Max. tua onera comperimus tam libenter ſubijſſe, vt Pontificio ſe priuaret, vt ſepultura, ſententia ſua careret, vt ſe ſepelientes ſpiritali animaduerſione feriret. Recordamur denique te fortiſſimis fortiorem Samſonem perdomuiſſe.

Ne verò longior euadat oratio, ſingula quædam breui quidem ſuperioribus referamus. Hæc eſt igitur pœnitentia, quæ Petrum flentem ſuſcepit, hæc Mariam lacrymantem excepit, hæc adulteram mulierem tutata eſt, Publicanum diluit, Zacheo ſalutem præſtitit, filium prodigum in gratiam pij patris, atque in hæreditatem reduxit. Latronem è Cruce in Paradiſi amœniſſima, tutiſſimaq; euexit. Ipſumque Iudam proditorem nefarium Chriſtus, quod dictu mirum eſt, fuiſſet haud dubium iucundè complexus, niſi veram pœnitentiam reieciſſet, immò verò in eo plus Chriſtum, quam proditoria venditione offendit, quod pœnitentiam complecti contempſit, quia in altero ſaluti Corporis Chriſti, in altero vero Diuinitati eius iniuriatus eſt.

Et, vt vno verbo cùncta complectar, hæc eſt profectò pœnitentia, qua nulla res in vniuerſo genere creaturarum potitur, præter hominem ſolum dum hanc vitam etſi miſeram degit; nam neque Angelorum Sanctorum quiſpiam, aut perditorum Dæmonum, aut animarum, quæ iam hoc corpus mortale, & caducum non amplius agunt, pœnitentiam capeſcere queunt, quod alij ſemper culpa vacarunt, alii nunquam culpa carere poſſunt. Animarum autem corpore ſolutarum, quæ iucundum habuere in gratia Chriſti occaſum, pleræque vel tranquillæ adiuiunt in Cœlis, ſolutæ nexibus peccatorum,

vel

vel eis quietem vitæ æternæ exoptantibus firma spes est, qua se cum Christo aliquando victuras certissimè norunt, quamuis interim in locis pęnalibus culparum pœnas luentes, pro mensura peccatorum plus minusue plectantur. Quæ verò animæ molestam in peccatis sui corporis extinctionem perpessæ sunt, quia cum in his artubus viuerent ea egerunt digna plagis, quorum eas quando emigrauerunt minus pœnituit. Hæ profectò in baratrum Diaboli sine mora sempiterno æuo sunt deuolutæ. Soli igitur homini quoad vixerit pœnitentia ipsa singulari quodam Dei beneficio præbita est. Neque enim quisquam tam deformiter desipuerit, vt æstimet aut Mundi machinam, quæ sensu caret, aut animantes, quæ ratione non præditæ sunt, pœnitentiæ aliquando esse capaces. Quamobrem *abeant hæreticorum calumniæ*(7) quoniam non est cur apud nos contraria pœnitentiæ à quoquam dici sinamus tam aperta veritate certissimos; non est cur de pœnitentia nos dubitare oporteat, tanta grauissimorum testium authoritate admonitos, non est cur ab ea arripienda nos torpore retardet, tam ardentibus persuasionibus concitatos, non est postremo cur ab assumpta pœnitentia, inertia, ignauiaque nos reuocent; tanta præcipuorum virorum sanctitate firmatos.

Quæ cum ita se habeant, *Patres Carissimi* (8) reliquum est, vt vos horter, quo pœnitentiam semper in primis diligatis, eamque intimis præcordijs omninò recipiatis; vtque eandem opere ostendatis: quæ omnia fient à vobis sine reprehensione si contritis primùm cordibus ieiunia celebretis, si disciplinarum rigorem, cilicij asperitatem, cineris vilitatem assumatis, si pectora vestra tundatis, si lacrymarum imbribus vos vberiùs perfundatis, per singulas noctes cum Sanctissimo Propheta lectum conscientiæ vestræ lauantes. Neque hęc satis, oportet enim erga fortunas aliorum nos esse homines frugi, vt ne quid vel vi vel fraude rapiamus, & vt rapta restituamus. Erga proximos autem beneficos, vt nostras indigentibus Eleemosynas libenter, atque abundanter impartiamur; misericordes, vt si quid nos lęserint dimittamus; benignos, vt eos semper imprimis ardentissimè diligamus. Erga nos verò continentissimos, vt nulla luxuria fędi; moderatissimos, nulla re superflui, nulla perturbationi animi turbulenti, sed omnibus grati, nullis onerosi, omnibus bene morati reperiamur; prudentissimos, vt mortis meditationem, vt antiquioribus nostris, hisque maximis, longeque clarissimis placuit, prę oculis semper feramus. Erga Deum postremò religione nos pręcipuos esse conuenit, pietate deuotos, fide claros, spe firmos, charitate ardentes; vt sua beneficia recolamus, suos ministros reuereamur, suas Ecclesias frequentemus, ędificemus, tueamur, sua verba attentius audiamus. Quo enim Dei cultus est auctior, eò deuotio maior, qua deuotione freti hoc pręsertim tempore deuotissimo Quadragesimæ, scurrilia, ineptias, iocos, & quęcumque fręnis effusioribus laxata, animos viriles effęminant, sollicitiùs euitabimus.

Hęc est pęnitentia, quam qui ex mente perturbant, vel sua, vel aliorum, hos æternis flammis arsuros, certissimum est. Qui verò illam fuerit alacer, ac libens complexus, eum

Ioan. 4. 25 cum æternis gaudijs fruiturum, Christus confirmat, vbi ait, *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui*
Matth. 25. *verò mala in ignem æternum*, & alio
45. loco, *ibunt hi in supplicium æternum*, sempiterna gloria cariturì. Iusti autem in vitam æternam, æternam beatitudinem semper victuri. His autem ex rebus illud proculdubio perfecerimus, quod hodie ex Sancto
In lect. & Iohele lectum audiuimus: *Conuer-*
Euangel. Missa fer. *timini ad me in toto corde vestro*.
4. cinerum. Euangelium quoque compleuerimus vt omnia, quæ ibi scripta sunt, rectè gerentes, nullo hypocriseos prauitate, nulla auaritiæ tenacitate, nulla gulæ voracitate fœdabimur, sed lætitiæ oleo linitis capitibus, & aqua Christi lotis vultibus nostris, non hominibus, sed retributuro nobis abundantius Deo, Principi nostro, qui cuncta in abscondito intuetur, ieiunasse videbimur.

Hæc de laude, & exhortatione pœnitentiæ pro angustia temporis satis dixerimus: pro dignitate verò illius nihil satis. Neque id iniuria, magna enim, & præclara est pœnitentia, quam tanto nobis consilio Deus præbuit, quam Prophetis præuidentibus nunciauit, quam dênique Apostolica doctrina peruexit. Amen. 1432. (9)

N O T AE.

Nota I.

Quicumque enim, quod mirum est dicere, serui Dei hoc nostro tempore appellantur, id negotium publici muneris grammaticè dicendi ad populum suscipere prorsus horrescunt. Exordium huius orationis adeò ænigmaticum est, vt commentarium potius expositorium, quam breuem notam postulet: Multa enim complectitur, quæ alioquin difficulter capiuntur; seruos Dei Latinè ad populum dicendi genus horrere, id tamen adeò instanter, adeòque frequenter ab ipsis exposci, vt quibus negaretur, ij omnibus sanè indignè, & efferatè irascerentur, vt eorum passionem Albertus tetrum peccatum, & Seruorum Dei iniuriam appellet: quam alibi forsitan tueri, & harum rerum causas explicare promittit.

Mirum sane cogi eos, vt latinè dicerent ad populos, qui Latinam linguam non intelligebant, nisi multò minùs eo tempore, quam hodie. Non adeò mirum tamen cur id facere horrerent, & recusarent serui Dei, cùm ob hanc ipsam inutilitatem proponendi verbum Dei ea lingua, quam auditorum pars longè maxima non caperet, contra ipsum verbum Dei: *vbi non est auditus, noli effundere sermonem*: tùm quod non linguis Rhetorica dictione poliendis, sed conscientijs Euangelica doctrina expurgandis studium suum impendere statuerunt. Habet præterea Rhetorices professio annexum nescio quid fastus, pompæ, & ostentationis, quæ summæ humilitatis amatoribus non congruebat, habet floridus stylus, sine quo Latina dictio non placet, tantum oblectationis aurium incitamentum, vt mentem ipsam ab viliore rerum attentione quandoque suspendat, & non raró prorsus abstrahat. Serui Dei, de quibus Albertus agit, profundos scripturarum sensus, & robustas Prophetarum sagittas, simplicemque Euangelij stylum, non Ciceronis lenocinium, ad inculcandum virtutis amorem, & vitiorum odium eligebant, scientes veritatis pulchritudinem gentilium oratorum pigmentis non indigere; præsertim cùm rudi populo persuadenda res esset. Nec orator noster conquestus est, quod oratorius ornatus eruditis, & doctis auditoribus exhiberetur, sed

Ioanne: & occurrens obiectioni, quæ fieri poſſit ſubiungit: *dicet forte aliquis ſi inter natos mulierum maior eſt Ioannes, numquid etiam maior eſt Saluatore? Abſit, Ioannes enim natus mulieris, Chriſtus autem Virginis natus eſt*: eiſdem per omnia terminis loquitur S. Auguſtinus ſerm. 21. de Sanctis, & in indice apud eumdem S. Ambroſium de Ioanne Baptiſta legitur: *maior omnibus natis mulierum*: conſonat Chriſoſt. hom. 27. in cap. 11. Matthei. *Scriptura quidem non dicit Ioannem maiorem eſſe cæteris Sanctis, ſed cæteros Sanctos non eſſe maiores Ioanne, coæquauit cæteris, non præpoſuit. Sed cum tanta ſit iuſtitiæ altitudo, vt in illa nemo poſſit eſſe perfectus, niſi ſolus Deus, puto quod omnes Sancti quantum ad ſubtilitatem Diuini iudicij inuicem ſibi aut ſuperiores ſunt, aut inferiores. Ex quo intelligimus, quoniam qui maiorem ſe non habet, omnibus maior eſt, hoc denique ſequens ſermo demonſtrat, dicens, qui autem minor eſt in Regno Cælorum maior eſt in eo: quis autem eſt minor, & maior? Chriſtus videlicet, minor in corpore, maior in ſpiritu. Vide ergo quia omnibus Sanctis eſt maior cui ſolus Chriſtus eſt prior*. Cęterum textum illum Matth. 11. *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, alij ſtrictius interpretantur, & forte conformius ad literam, vt ſignificet æqualitatem, non ſuperioritatem, vt Lyranus: alij vt ſignificetur eſſe maiorem Prophetam, quibus fauet S. Lucas c. 7. dicens *maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta non eſt*, vt Menochius, & Tirinus, qui addit; *agit tamen hic Chriſtus de ſolis hominibus veteris teſtamenti, & præcedentium ſæculorum quibus præfertur hic Ioannes, primò munere prophetandi; vt iam dixi: ſecundo donis, ac priuilegijs gratiæ, & ſpiritus Sancti*, vt S. Hilarius, & Ambroſius exponunt, 3. *vitæ ſanctitate, ac meritis*, vt S. Hieronymus, Auctor imperfecti Et Aug. Quidquid verò ſit de hac ſententiarum varietate, ſatis nobis ſit Alberti noſtri ſententiam, & locutionem Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, & alijs probari.

Nota V.

Vt pœnitentiam ſemper in populis prædicandam afferret, Chriſtus edocuit, Chriſtus miſit, Chriſtus iuſſit. His paria dat Aug. tract. 5. in Ioan. *veracem*, inquit, *veritas miſit, & ideo verax erat, quia à veritate miſſus erat, ſi veritas Ioannem miſerat, Chriſtus eum miſerat, ſed quod Chriſtus cum patre facit, pater facit, & quod pater cum Chriſto facit, Chriſtus facit, nec ſeorſim pater aliquid facit ſine filio, nec ſeorſim aliquid filius ſine patre, inſeparabilis charitas, inſeparabilis vnitas, inſeparabilis maieſtas, inſeparabilis poteſtas, ſecundum hæc verba, quæ ipſe poſuit, ego & pater vnum ſumus, quis ergo miſit Ioannem? ſi dicamus pater, verum dicimus, ſi dicamus filius, verum dicimus, manifeſtius autem, vt dicamus pater & filius, quem miſit autem pater & filius, vnus Deus miſit, quia filius dixit, ego & pater vnum ſumus, quomodo ergo neſciebat eum, à quo miſſus eſt? dixit enim ego neſciebam eum*, & poſtea miſſionem Ioannis à filio identidem replicat, & hom. 43. inter 50. probat quæcumq; facit pater, Criſtum facere, & ſerm. 63. de verbis Domini; *teſtimonio ſcripturæ doceamus non ſolum per ipſum facta, & creata omnia, ſicut ex Euangelio commemorauimus omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: ſed per ipſum etiam regi, & diſponi, quæ facta ſunt. Agnoſcitis ergo Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam, agnoſcite dictum & de ſapientia, attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Non ergo dubitemus per ipſum regi omnia, per quem facta ſunt omnia, nihil itaque pater ſine filio, nihil filius ſine patre facit*, & ſerm. 44. inter 50. *ipſum Ioannem creauit Chriſtus, poſtquam creatus eſt Chriſtus, & creator, & creatus, creator ante matrem, creator matris, creatus in matre. Et quid dicam creator ante matrem, ante Abraham ego ſum ipſe dixit*, & infra, *omnia viſibilia, & inuiſibilia, cęlum, & terra, & Virgo Maria, quia & Virgo Maria de terra, & Chriſtus factor terræ*, & paſſim patres opera Diuina ante Incarnationem Chriſto attribuunt, vt li-

berationem ex Aegypto, dationem Legis, & mannę in deserto, aquas de petra &c. Quod si hæc Christo tribuantur, quanto magis opera incarnationem subsecuta, qualis est missio & prædicatio Ioannis Baptistæ, cui & ipsa scriptura, quæ de eodem intelligitur, suffragari videtur Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Verumtamen verba B. Alberti in rigore sermonis intelligenda sunt de Christo vt Deo, non de Christo vt homine, vnde dicitur Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo &c.*

Nota VI.

Hoc est vngi à Presbyteris oleo. Hoc in moralem sensum vsurpat, quæ non derogat literali, per quem hic locus Iacobi Apostoli, extremæ vnctionis Sacramentum significat, oleum enim in sensu morali, Dei gratia est, quæ per peccatum amissa, per pœnitentiam recuperatur. Hæc est, de qua legitur Psalm. 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, quæ sunt partes pœnitentiæ. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, idest gratiæ, quæ per absolutionem confertur, præ consortibus tuis, idest iustis, & innocentibus; qui licet sint consortes gloriæ, maius tamen est gaudium in Cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super 99. iustis, qui pœnitentia non indigent. Iusto enim iustitia remanet, pœnitenti autem, & amissa gratia restituitur, & ipsius pœnitentiæ merito, noua confertur, & sic vngitur oleo lætitiæ præ consortibus suis, à Presbyteris, beneficio scilicet absolutionis. Nec refert quod ille locus psalmi intelligatur de Christo, qui peccatum non fecit, sine quo pœnitentia non est, nam plurima, quæ in Sacra Scriptura dicuntur de Christo, intelliguntur etiam de membris eius, qui sunt non minus pœnitentes, quam innocentes. Albertus ergo morali hac applicatione non derogat communi sensui Ecclesiæ, quæ illum locum Iacobi ad literam accipit de Sacramento extremæ vnctionis.

Nota VII.

Abeant Hæreticorum calumniæ. Antiqua hæresis, ante Alberti nostri tempora, erat Nouatianorum, qui dicebant eos, qui semel lapsi sunt, nunquam postea consequi remissionem, quantumlibet eos pœniteat. Alias multas commentus est Lutherus, qui vt Alphonsus à Castro loquitur, ad hunc scopum suam doctrinam visus est dirigere, vt peccatores à pœnitentia diuerteret, & ad peccandum impelleret. Sed vtrumque hæresiarcham cum suis perniciosissimis erroribus fusè, fortiterque refutat idem Alphonsus lib. 12. aduersus hæreses verb. pœnitentia.

Nota VIII.

Quæ cum ita se habeant, Patres Carissimi. Huc vsque noster Orator totus in pœnitentia laudanda versatus est; hic verò se totum ad Religiosos tunc præsentes conuertit, eosque ad pœnitentiam diligendam, intimis cordibus recipiendam, & opere ostendendam hortatur. Quod vt rectè fiat, omnia verè pœnitentis officia breuiter ante oculos ponit,

Nota IX.

1432. Hæc æra in authographo meo subscripta est huic orationi, & in ipsa oratione mentio est primæ diei Quadragesimæ, tanquam qua dicta fuit, & in fine author vtitur epistola, & Euangelio, tanquam eo die lectis, quo dixit, quæ Feria IV. Cinerum publicè in Ecclesia ex Missali Romano legi solent. At Lucas Vvaddingus ad annum 1433. n. xi. in Comitijs Generalibus eodem anno Bononiæ celebratis, vltimo die Maij dictam narrat, in quem diem non poterat cadere Feria IV. Cinerum, quæ sex circiter septimanis præcedere debet lunam decimam quartam mensis Martij, nec ex ordinis vsu est, vt Comitia Generalia celebrentur in initio Quadragesimæ, sed ex S. Francisci instituto sub festum Pentecostes, de qua re vide notam nostram in epistolam Alberti vigesimam secundam, quam ad Nicolaum Nicolum Vrbino dedit, vbi cætera huic rei declarandæ opportuna reperies.

ORA-

ORATIO III.

Pro Electione Ministri Generalis.

ARGVMENTVM.

Exordium à transitione sumit ab omissa solemni festiuitate Pentecostes, quæ illustrem orationem requirit, ad necessarium argumentum electionis supremi capitis tantæ Religionis. Quam causam, quod moralis potius, & laconico, quam culto & Rhetoricis circuitionibus vago sermone tractari conueniat, propterea huius, non alterius modi dictionem expectandam esse, atque auditores attentionem suam ad verborum sensum percipiendum, magis quam oblectandi studium, aut ornatum conuertant, magisque multò ad ea pro rei magnitudine rectè agenda, quæ perceperint. Totam exhortationem dirigit in eum finem, vt vir integer ad communem vtilitatem fratrum eligatur, cuius partes, & officia prosequitur per media, hoc est, pacem, veritatem, charitatem: quæ clarè explicat, & eleganter, fortiterque inculcat: & modum, ne hæc inuiti, & coacti, vel sinistra quapiam intentione, sed spontanea conscientia, & (quod præfixus finis fuit) ad ordinis decus, necessariam conseruationem, &, vbi opus esset, restaurationem, adque Dei gloriam, integerrimæ Christi Matris, Angelorum, Patris Francisci, aliorumque Sanctorum, quos laudum litania quadam inuocat: ipsiusque Matris Ecclesiæ, & Eugenij Pontificis lætitiam, & certam satisfactionem perficiant, & inuocato demùm ad hæc Spiritu Sancto absoluit.

QVamquam nos omnes, Clarissimi Patres, gestorum maximorum *Sacratissimam diem illam præuenientes* (1) quæ, vt vetusto more, & propter typici numeri Sacramentum, græca appellatione dicitur Pentecostes; orationem illustrem, si modo id efficere possem, in hoc vigiliarum sanctarum præuio tempore, & me quidem, pro officio, cui immeritus præsum, Fratribus exhibere, & vos pro deuotione celebritatis audire oportere non dubitem, quia tamen eligendi nobis Pastoris idonei, qui tantæ Religioni nostræ præsideat, hodierno die præcipua quidem, atque ea cunctis cura habenda est, sed alijs authoritate, alijs charitate, cunctis vtilitate. Ac ne propter angustiam temporis, in exordijs diutiùs morantibus necessaria tempora reliquis præripiantur agendis, atque ei maximo negotio, quod inter maxima nostra præclarum est: oro vos primùm, religiosissimi Patres, ac fratres in Domino amantissimi, vt à me cultum aliquem

sermo-

sermonem non expectetis, qui sine longa dictione, à quoquam etiam eloquentissimo viro exhiberi vix potest, præsertim cum Rhetorici campum eloquij expetens eloquentia, sine multis verbis non exhibeat elegantiam.

Ac tum deinde vos omnes pariter, & instanter per crucifixam mundi salutem, & obsecro, & obtestor, vt tantæ gerendæ causæ, quæ nunc versatur præ manibus, toto, & sano sensu toti, & sani studeatis incumbere; studio quidem imprimis magna cum attentione audiendi, quæ per nos Dominus veraciter persuaserit, ac tùm demùm omni diligentia, ea, quæ sunt recta, gerendi: splendeat enim licet sermo doctrinæ, nisi vitæ sanctimonia componatur, citius sordet, languet, defloresсit, emoritur: nam & dicentis, & longè veriùs audientis conatus omnis inanis est, vbi fructus agendi ab vtroque non carpitur. Opus enim dicentis, & persuasionis est ornamentum, & persuasi exemplum. Actio verò audientis, & lætitiæ persuadentis, & fructus audientis merito æstimanda est. Ego verò, ne longum faciam, implorato Spiritu Sancto, & per illius clementiam exorata gratia ipsius (de quibus duabus partibus, si nobis vacauisset, fuisset à nobis studiosius differendum) me totum ad exhortanda corda, atque animos vestros breuiter quidem, quantum cum Domino potero, sed iuxtra Patrum veteres sanctiones, diligentissimè conferam.

Omnis autem exhortatio, ne vos Patres multis immorer, tribus hac in re destributionibus, vel maximè constat; vt primò vir aliquis probus, vt pace, deinde charitate, veritate media; vt denique non inuito à nobis animo, pro nostræ religionis saluberrimo capite eligatur: quorum primum in eo, quem præficiemus, postremum in nobis ipsis, medium verò in adiumentis medijs reperire fas est. Propitio igitur Spiritu Sancto, qui in agendis omnibus, veluti summus auriga noster nobis præficiendus: ne quid aut temerè, aut insipienter agamus, & comite gratia illius sine qua semper per deuium iter errabundi, ac cæci vagantur: hoc vos Patres imprimis exhortor, & moneo, vt quemadmodum regula illa nostra Euangelica, atque sublimis edocet, & proclamat ad seruitium, & communem vtilitatem fratrum, virum nobis in custodem, ac patrem communem totius nostræ Religionis præficiamus, ea sanctimonia præditum, quæ tantum ministerium deceat: ea sapientia clarum, quæ tantę classis gubernaculis moderetur: ea postremò discretione, modestia, moderatione, iustitiaque pollentem, vt & contumaces per constantiam arceat, & fragiles misericordiæ sinu confouendos excipiat, & probos honorandis ministerijs pro virtute pręficiat, illustret officijs, & illorum in rebus, pręsertim grauibus, sapienter statuendis, fœliciterque gerendis vtatur consilijs salutaribus.

De cuius eligendi nobis integri capitis, ac paulò post de electi viri virtutibus complura non dico: satis enim superque sunt ea, quę diximus si ab his ipsis virtutibus is, qui alios gubernabit nunquam desciuerit, si vt est virtutis fœcunda natura, qua fit, vt virtus altera ex altera pendeat, ita quoque à paucis optima quęque manabunt. Sanctimonia quidem fateor

teor opus eſt in regimine, quę & merita in maioribus, etiam pro communi vtilitate efficiat, & iram zelantis Domini à tranſgrediente fratrum turba cohibeat; ſanctimoniam verò Fides, Spes, Charitas omni tempore pepererunt, vt B. Auguſtinus in libro Enchiridion apertiſſimè profitetur. Quæ omnia, quo pacto illi deerunt, vt reliqua perfectionis inſignia aſſequatur, quem præter vitæ integritatem vſus quoque gerendarum rerum edoceat, ac eruditorum Sanctorum, veterumque, in quibus vera ſapientia vigeat, ſobriæ conſultationes, & ſana nimis conſilia dirigant. Et præter propriæ cuiuſdam regulæ normam, & continentiam, quod ad ſe attinet, cęteris ita præſideat, vt iuxta Beatum Petrum *forma factus gregis ex animo* omnibus conſulat, omnibus pro meritis, quæ ſunt propria cuique, diſpertiat. Non inflettur honore, non inſoleſcat dignitate, non ardeat cupiditate, ne direptor, & prædo, magis quam paſtor, meritò poſſit haberi: ac ne dominatione tyrannica, quod aſſerente Domino, Principum, qui ſunt gentium, proprium eſt; durè in ſubditos dominetur, & imperet.

Nam præclarè nimis à Beato Dominico, quem deuotionis cauſa nomino, frater enim in Chriſto noſtri Patris Beati Franciſci, in Chriſto patruus itidem nobis eſt. Hic, durum, aiebat, imperium contemptum prouocat, & ſciſſionem inducit: cuius rei teſtis eſt ſtultitia Roboam, quem acriter imperantem populis adeò repulit, vt ne nunc quidem cicatrix illa obducta ſit. Tunc enim decem diuiſæ tribus, atque à domo Dauid prorſus reſciſſæ, nuſquam in regiam obedientiam domus Dauid vllo tempore redijſſe leguntur. Igitur, vt de virtutibus ſtatuendi nobis noui Paſtoris, ac patris iam ſileam, quæ prima partitio noſtra erat: nunc de adiumentis medijs, quæ ſecundo loco dicenda poſuimus, & quibus nos ipſi fortiſſimè fulti, virum nobis, ſi detur, probum inuentum iuxta cor Domini rectè præficiamus, aliquid breuiter explicemus.

Et quidem, cum iuxta Apoſtolum Paulum arma militiæ noſtræ, non carnalia, ſed ſpiritualia ſint, ac Deo potentia, adiumenta ſanè omnia ad charitatem, & pacem referenda putamus, quę duo inter fructus Spiritus enumerat idem Apoſtolus. *Fructus autem*, inquiens ad Galatas, *Spiritus ſunt Charitas, gaudium, pax; patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Quæ quidem omnia ex ordine differere, quoniam & longum & difficile eſt, ſola charitas, pace eomite, nobis ſufficient. Nam quid vnquam deerit vbi vel ſola charitas erit? iucunda eſt enim, pacifica, manſueta, ac modeſta charitas, quandoquidem nullo conſcientiæ agone triſtatur, nulloque irritamento fracta malorum, ad intolerabilem nequitiam defluit. Patiens in aduerſis perpetiendis, benigna in bonis, etiam hoſtibus exhibendis: fidelis, cum nulla perfidia violatur, continens ac caſta, cum nulla obſcęnæ fęditatis labe polluitur. Bona, & longanimis cum in his omnibus vſque ad vitæ terminos, & in ſanctis hominibus perſeuerat, & cum electis fœminis ſemper graditur.

Cum itaque charitati bona omnia ſuppetant, præcipua tamen quadam cognatione ſimul affectæ pax, & charitas,

ritas, indiuidua societate pariter comitantur. Charitas quoque, cum & ipsa sit amor, vt & Spiritus Sanctus amor est, sed alter temporalis, alter æternus, amicitiam præcipuam habet comitem. Pax verò concordiæ iuncta est. Verùm & paritèr omnes charitas, pax, amicitia, atque concordia procul dubio pariunt vnitatem. Sed ipsæ illæ virtutes quales erunt: si admissa fraude, dolo, simulatione, ac mendacio falsæ, fallentes, simulatæq; erunt? Certe inanes futuræ sunt. Ergò & veritas eis adijcenda est, ne nos fictio vlla vanæ ostentationis, summa cum iactura decipiat; Ad has igitur sex pro duabus conflatas virtutes, si nos totos, tanquam ad sapientissimas quasdam dominas consulendas sinceriter conferamus, vt quisque in portum tutissimum, ita in illarum nos domicilium sine vlla dubitatione recipiemus. Erunt nobis reuera cuncta felicia, facilia, prospera, vt nè infructuosa quidem sit exhortatio nostra, nullus labor persuasionis inanis.

Nec verendum est quo minus putemus illas nobis omni curà colendas, omnique studio semper adhibendas rebus cunctis gerendis. Comperta est enim illarum omnium, & dignitas, & vtilitas, quibus quidem summis virtutibus fiet, vt abiecto malo tempore, qui frequenter comite negligentia remissiùs quippiam nos agere compellit, maximo quidem, sed sobrio incitamento semper omnia nostra, præsertim hodie opus illud nostrum, quod ingentis est operis. Designandus est enim nobis hoc vtinam faustissimo die pater communis, pastor ouium Euangelicarum. Quærendus Dux exercitus Christi, à Sancto Spiritu exorandus. Hunc quales erimus, talem eligendum à nobis, omnis ratio persuadet.

Ne igitur in malum aliquem hominem incidamus, quod est miseriæ; nec sponte nostra corruptum quemq; malimus, quod est perditæ malitiæ, damnatæ nequitiæ, ac postremæ maleuolentiæ: ac nè quando his vitijs subiectis nobis dicatur: *Dabo eis Regem in furore meo*: Adsit nobis pulcherrima charitas, quam persuadet Religio: Adsit pax, quam & natura ipsa proclamat; Adsit concordia, quam Christianum nomen sublimiter edocet: Adsit veritas, quæ suis viribus nixa, omni tempore superat, vincit, triumphat: Adsit denique vnitas, quam parit Ecclesia, quam præbet gratia, quam tribuit Christi Domini, ac Dei nostri summa beneuolentia: Verùm ex his quæ amicitia Christiana confletur, quis dixerit? ea verò omnia adeò præclara sunt adiumenta, vt audenter dixerim, nihil, quamuis clarissimorum operum spes vlla permagna nos erigit, si hæc ipsa non erigent. Non enim, vt ait quidam è Patribus, quisquam rectè fertur in spem, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Peior autem conscientia nulla profectò est, quam quæ pacem abijcit, charitatem spernit, vnitatem scindit, concordiam persequitur, amicitiam spernit, veritatem fictione corrumpit, & contra Apostolum Paulum *in mendacio detinet*; præsertim cùm ad hæc tam præstanter egregia tantis incitamentis ab omni prorsùs torpore, non dico mortis, sed vel negligentiæ excitentur.

Etenim quid aliud institutio nostra proclamat? quæ charitatis est, non naturæ, nisi, vt ea nos concordia diligamus, quæ matris ad filios amo-

amorem præcellat. *Nam si mater*, inquit B. Franciscus, *diligit*, & *nutrit filium suum carnalem*, *quanto diligentius debet quis diligere*, & *nutrire fratrem suum spiritualem*. Pace ergo vnanimi nos inuicem complectamur. Verum quoque, ac Diuinum, idest, Christianum dogma; nulla sanè re cæteris religiosis ritibus præstat, qui vnquam fuerunt, quiq; futuri sunt, quàm charitate, quàm vnitate, quàm amicitia, pace, concordia, veritate: Eo enim vel maximè est, vt amoris legem, Christi legem vocemus, quod charitatem præcipiat, pacem, & amicitiam colat, concordiam seruet, seruandæ vnitati omni tempore studeat, veritate semper præcellat.

Hæ sunt deliciæ, quibus Mater Ecclesia, &, vt lacte suos paruulos alit, & vt solido cibo fortiores filios nutrit. Hic est panis noster, charitatem dico, dico pacem, dico amicitiam, vnitatem, concordiam, veritatem; quem panem qui fastidit, & super quo quisquis nauseat, eum desperata salute mors vastissimi deserti sequetur, conquisitio terræ promissionis merita consumptione frustrabitur. Quid quod ne barbaros quidem, etsi Christianæ charitatis, ac veritatis ignari erant, vnitatis tamen, pacis, amicitiæ, atque concordiæ, virtus hæc permaxima latuit? Quod ne longum faciam, vnico & præclaro exemplo firmabo.

Scipio ille Africanus (2) vt veteres historiæ ferunt, cum deleta Numantia, cæteras Hispaniæ partes, pace componeret, Thyresium quendam Celticum Principem consuluit, qua ope res Numantina, aut prius inuicta durasset? aut post fuisset euersa? Thyresius autem audacter respondit, concordia inuicta, discordia exitio fuit. Quod Romani tanquam sibi, ac de se dictum, exempli loco acceperunt; quippe quibus iam de seditionibus discordantis totius Vrbis nunciabatur. Græco per ambitionem irato nobilitati, quod inter Authores Numantini fœderis notaretur. Numantia autem citerioris Hispaniæ, haud procul à Vacceis, & Cantabris, in capite Galliciæ sita, vltima Celtiberorum fuit. Quod igitur nostrum institutum nos edocet, quod Christianum dogma proclamat, quod mater Ecclesia proponit, quod Barbari pro gloria coluerunt, nos non colemus? pacem, dico, concordiam, amicitiam, vnitatem, & quæ nostrarum tantùm partium sunt, charitatem, & veritatem, quæ nomina idcirco vestris auribus frequenter inculco, & replico, vt per aurium instrumenta infixa intra nostra præcordia, nulla valeant obliuione deleri.

Diximus satis de adiumentis, quæ nos fauore mirabili, quem debeamus nobis præficere, sine vlla simulatione iuuabunt. Postremò nunc loco exhortandi potius paucis mihi estis, ò probi Patres, ò progenies Franciscanorum, ò proles Minorum, qui de Euangelico fastigio nati fuistis; quos vita Apostolorum illustrat; quos tituli illi præclari, regiæ Christi passionis, in patre tantæ existimationis exornant; quos decorat cœtus Sanctorum; quos illuminat splendor doctorum; quos claros reddit elegantia, atque constantia prædicatorum; quos fortes facit frequentia humilium; quos redimit nobilitas aduentantium: sed de morientium fortitudine, de omnium hunc cœtum intrantium multitudine, quid loquendum est?

nulla enim Religio, nullus ordo nos vincit, non dico eis omnibus, quæ prædiximus, sed ne dignitate quidem honoratorum, vsque ad summos apices Apostolatus, nòn diffusione illa longè omnium saluberrima, qua soli toto etiam barbarico orbe, Christi sonum pertulimus; non deuotione maiorum, qua ad nos etiam peccatores, & honore Religionis, & amore tanti parentis, quem admirantur, Christo præ cunctis simillimum mira dilectione afficiuntur.

Compleo quod iam cœpi, si mirandam illam erga nos Diuinæ prouidentiæ curam vobis ante oculos proposuero. Quibus cum volatilium more nullus de messium fœcunditate prouentus sit, omnia tamen, etsi non ad luxum, quod præcipuè nolle deberemus, Religiosam tamen parcitatem, quotidie suppetunt, ac quod cunctis maius existimo, si qua interdum desint, aut quid defierit iucunda sanctæ paupertatis fragrantia, si simus veri parentum filij, de inedia plurimum gaudeamus. Erigite itaque dilectissimi animos, & pariter imploremus merita vetustissima Patrum, exuscitemus gratiam maiorum nostrorum, asciscamus nobiscum fratres nostros, accersamus Religionis filios, toto orbe dispersos, cuncti in vnum coacti aggerem, vno simul agmine ad deuotionem rei tantæ gerendæ, nobis inuicem nostros animos concitemus: Et quæ Deo, quæque primoribus nostris, nostram necessitatem ante oculos ponant, tametsi qui beati sunt, de visione Sanctæ Trinitatis, nostra omnia nouerint, solita sancti amoris diligentia significemus.

Pio quoque gemitu, sub Patrum præcordia subornantes, eos Christianę compassionis, clementi susurro in has voces lamentabiles erumpentes, ad nostri miserationem, pro communi, proque priuata vtilitate flectamus. Itane, inquientes, ò integri Patres, ò pij parentes, nec minus clementes alumni, ita ne vlla nos ratione, etsi male meritos abhorrebitis? vllo nos pacto aspernabimini? vlla seueritate nos destitutos vestris auxilijs relinquetis; quibus paterna, ac materna viscera Christiana, veracissima clementia, sunt dulcia, pia, suauia. An non aderitis nobis hac hora orbatis? non solum vobis, qui fuistis primarij morum, & vitæ huius authores, obseruatores, exhibitores; verum etiam omni nunc merito successore solis, priuatis, destitutis, & viduis.

Veni, pariter conclamemus, optime Pater Francisce, Euangelici expletor eloquij. Veni ò vestigium sequendæ viæ, ac vitæ, quam perfecti quique amplexi sunt, quam Apostoli incesserunt, quam mater Domini seruauit, & coluit, quam postremò Christus instituit, sacrauit, & fecit. Veni ò imago crucifixæ salutis, ò signaculum victoriæ, pacis, & similitudinis Christi, ò nostra spes veniæ, forma iustitiæ, ac norma perfectionis, virtutis, & charismatum domicilium: sed & tu Pater Antoni, tuis nunc confratribus subueni: Tu Euangelici sator seminis, adsta tu exemplum constantiæ, nobis consule, tu veritatis tuba nos edoce, Tu miraculorum fulgor, declara quem eligas, & maiore miraculo, huic Capitulo nostro præsideas, illud regas, illud efficias, atque compleas, qui nusquam, qui nunquam reliquisse compertus es, quisquis te iustam vllam postulationem efflagitauit. Te Fratres

tres colunt, te Padua ſeruat, te Sancti diligunt, te peccatores implorant, te denique omninò omnis orbis miratur. Ne nos, ò Pater, te oramus, magnopere vlla ex parte hac hora deſeras, tuis ſacris oſſibus aſſiſtentes, ſalutemque gregis, iam non puſilli, ſed maximi, ac hæreditatis Dominicæ poſtulantes, læti abs te abſcedamus, benigniſſime Pater Antoni, qui huc fatigati maximis laboribus venimus.

Erigite inquam, iterum dico, dilectiſſimi, animos veſtros, & cauendum nobis, ſumma cura putate, ne in gloriam noſtram maculam vllam ponentes infamiæ, notam religioni noſtræ, vel exiguam inurere comprobemur, quin potius demus operam, vt ordinem tantæ gloriæ, amplificatione quadam clariſſima, ab excidio luctuoſæ cladis inſtaurantes (quod ab optimis Patribus, veriſque filijs ſine gemitu dici non poteſt) cum inuidia, noſtri laudatiſſimi nominis etiam hoſtibus, gloriam religionis auxiſſe credamur. Quæ omnia deſperata ſalute fieri à nobis nequibunt, niſi diligentiam adhibendi nobis ſani, atque integri capitis, ſano, atque integro ſenſu, miroque ardore reſtaurandæ quidem, atque reædificandæ, ſi opus eſt, euerſæ funditus noſtræ Religionis arripuerimus, non odio immani, non cupiditate regnandi, non amore vllo corrupto, non pertinacia reſiſtendi, non maleuolentia deijciendi, non peruerſitate iudicij, ab hoc ſancto propoſito nos abripiat, aut alterutra, ſed nequiſſima perſuaſio, aut culpanda fraus, aut noſtra vlla carnalitas.

Virum Sanctum, quem orantibus nobis Spiritus Sanctus præbuerit, eligamus; pacificum qui vnanimes nos gubernet; clementem, qui errata fragilitatis remittat, & poſſit compati infirmitatibus noſtris, prudentemque, qui gerenda conſilio dirigat; iuſtum denique, qui obſtinatos zelo tuendæ, ac ſeruandæ Religionis percutiat. Hæc ſi rectè fecerimus, Patres optimi, tanquam refloreſcat noſtra religio, ædificabitur ſæculum, lætabitur Eccleſia, congaudebunt Angeli, congratulabitur Chriſtus, collætabitur Deus, Trinitas. Illa quoque integerrima Mater Domini (vt de B. Franciſco nihil dicam) in cuius pio gremio noſtra religio, & aluit, & creuit, iucundo præſidio nobis aderit, vt Euangelium filij, quod ante profeſſi ſumus, tanta fautrice adiuti, ſine macula grauioris calumniæ, obſeruemus. De Pontifice Maximo, ac Papa omnium Chriſtianorum, Eugenio Beatiſſimo, nihil dico, qui ob id, in fine orationis noſtræ, à me conſulto ſeruatus eſt, vt certo nouerimus, eam nos, vel lætitiam, vel dolorem illaturos ſancto pectori eius qualem, vel bonam, vel ſecus prouiſionem, noſtræ immò ſuæ religioni fecerimus.

Moralem magis, quam aut acutam, aut excultam, aut eruditam orationem, optimi Patres, ad vos habuimus; tum quia ita res poſtulat; indagatio enim rerum ſublimium, etſi excellens eſt, minus tamen habet vtilitatis ad vitam, tùm verò ac maximè quia Chriſtianos loqui ad oſtentationem ſcientiæ, ac ventoſam iactationem, non decet. Adſit nobis omnibus Spiritus Sanctus, quo per imperium potentiæ prohibente, ab agendis perperam reuocemur: quo per clementiam miſericordiæ, adiuuante ad gerenda recta, quæ deceant, conuertantur, & volentes, &, vt ſapienter orat Eccleſia, etiam rebellantes noſtræ voluntates. Amen 1443.

N O T AE.

Nota I.

Sacratissimam diem illam praeuenientes. Ex his, & quae sequuntur, manifestum est, hanc orationem habitam fuisse, in Vigilia Pentecostes, quo autem anno, quoque die, mense, & loco, seqnens nota, ex margine nostri codicis descripta, & ordinis historia docent. *Sermo habitus Paduae in Capitulo generali* 1443. 8. vel vt codex Capistranus 9. Maij, quibus addenda est, Sancti Antonij tanquam praesentis inuocatio: conuenerant autem tum illuc, vt scribit Vvaddingus, ex vtraq; ordinis, hoc est, vltra citraque montes, familia, & vtroque sodalitio, Conuentualium scilicet, & Obseruantum, ad ea comitia fratres bis mille. Quibus, quod saepe diximus, praefuit Albertus noster, totius Ordinis Franciscani Vicarius Generalis, & Comitiorum Prouisor, & Praeses ab Eugenio Pontifice constitutus, qui propterea hanc orationem instituit, *pro officio*, inquit, *cui immeritus praesum*.

Nota II.

Scipio ille Africanus. Hanc historiam clarius refert Beyerlinck. tom. 2. theat. vitae hum. verbo concordia, fol. 351. col. 1. & 2. litt. D. E. cuius verba ad lectoris commoditatem hic describenda censui: sunt ergo haec. *Scipio Africanus quum Numantinos saepe victores iam fregisset, obsessosque tandem expugnasset Tyresium Principem celticum rogauit: qua de causa Numantia aut prius inuicta, aut post euersa fuisset. Respondit Tyresius concordia victoriam, discordia exitium praebuit. Brus. lib. 2. cap. 4.*

BEA-

BEATI ALBERTI SARTHIANENSIS ORD. MINOR. OBSERV. EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

FRATRI BONAVENTVRA VENETO (1)

ARGVMENTVM.

Iulianum adolescentem sibi carum, cui pro lubrica ætate prestanti preceptore opus erat, Venetijs Paduam ad Bonauenturę contuberniun transijsse gratulatur, mutuamque suam, & huius beneuolentiam, suamque de eo æstimationem explicat, & Iulianum eius humanitati, & ad virtutem auxilio, & consilio obnixe commendat, se pro illo vadem obstringens.

NVper ex Iuliano nostro literas accepi, *Idibus Octobris Paduæ datas*, (3) quibus se constituisse dicebat, consilio tuo, & quidem optimo, ac suasione, rogatuq; alterius, carissimi fratris Andreæ Florentini, Venetijs prorsus decedere, idque tandem effecisse, atque in præsentia, & tecum, & cum cæteris confratribus, qui mihi semper maximæ æstimationi fuerunt Patauij commorari. Quæ res ita mihi iucundissima fuit, ita sanè lætitia quadam incredibili me affecit, vt quantum ex ea voluptatis acceperim profectò nec oratione complecti, nec verbis consequi, nec quauis dicendi copia apud te possim disserere. Tanti equidem te facio, mi suauissime Bonauentura, tamque vehemens in te est amor meus, ac tanta tui existimatio, vt ad amorem meum nihil possit accedere. Quamobrem nihil mihi iucundius, nihil gratius contingere potest, quàm si inseparabili quadam coniunctione ij, quos ego amo, & tibi deuinciantur, & hęreant, & cohabitent, præsertim verò nunc cum Iulianum meum apud te esse certò scio: cui quid commodiùs, quam amicitia tua? mihi verò quid, quod maiore me lætitia, ac gaudio efferat, vnquam fore possit, procul dubio non inuenio, maximè hac iniqua ætate nostra, cum bonorum mira paucitas est, adeò vt rarum experi-

periri existimem, cui cum altero honestis in rebus sit vera cum beneuolentia, & charitate consensio. Itaq; si quid pro mutuo nostro amore, vel gratia, vel authoritate, apud te possum, Iulianum meum, imo nostrum, nunc summo tibi conatu, cunctisque viribus commendasse velim. Cui, quia per ætatem prona via est, vel præceptore præstanti, quo in præsentia caret, vel optimo quodam socio, quem te vnum esse non dubito, opus esse cognosco. Quare dabis operam quod de te spero, si me amas, nè in aliquo illi desis, diligentissimè conficias, si quid adiumenti ad vtilia studia, si quid humanitatis ad iucundam conuersationem, si quid consilij ad honestam societatem ei contuleris, id totum in me factum existimabo. Tibi verò gratias, & si vires meas perexiguas esse nosti, vtcumque tamen, vel habebo, vel dicam. Amplè siquidem, quamquam non rebus ipsis, quibus me beneficijs tuis imparem sentio, voluntate tamen præcipua tibi pro illo satisfacturum me vadem spondeo, etiamsi amplissima quædam in eum feceris. Vale *Ex Verona* (3) 1422.

N O T AE.

Nota I.

Bonauenturæ Veneto. Hunc Ordinis Religiosum fuisse, tùm ex adiuncto vocabulo fratris, tùm illis Epistolæ verbis: *Et tecum, & cum cæteris confratribus*, tum ex altera ad cum Epistola, hoc anno data, satis constat. Sed qualis fuerit non reperio, præter ea quæ Albertus de ipso in vtraque Epistola scribit. Nam, quem huius nominis fuisse regularis obseruantiæ sodalem, & Catharinæ Cornariæ Cypri Reginæ, dum viueret, confessarium apud Vvaddingum reperio, & anno 1538. cum incolis eiusdem instituti, & Cœnobio Castri Franchi, ad Capucinos transijsse, Alberti Synichronus esse non poterat. sed alius ætate posterior, nisi centum, & quinquaginta amplius vitæ annos illi concedamus: sed de Iuliano nihil, nisi ille sit, quem in alijs literis inferius, inter nobiles Venetos Guarini discipulos Andream Iulianum commemorat.

Nota II.

Idibus Octobris Paduæ datas. Præsentem banc Epistolam anno 1422. ab authore scriptam ex eius fine constat, idque Veronæ, quo anno, vt postea videbimus, Mense Septembri, prius Veronam ad Guarinum se contulit Albertus, cum Græcas literas docentem auditurus: Vnde fit, vt has quibus ad alias Paduæ Idibus Octobris datas respondet, vel versus finem Octobris, vel initio Nouembris exarasset. Immò & reliquas omnes, quas hoc anno Veronæ scripsit, non ante Septembrem dedisset.

Nota III.

Ex Verona. Si phrasis ista ab Alberto vbique seruata, vitium latinitatis habere videatur, at non solius Alberti, sed seculi illius phrasis fuit, qua etiam vtuntur, qui eo æuo eruditione conspicui habiti sunt, Aeneas Syluius, Antonius Campanus, Poggius Florentinus, Antonius Panormitanus, Ambrosius Camaldulensis, Io: Franciscus Mirandulanus, &, qui ad eum scribebant, Antonius Fauentinus, Philippus Beroaldus, alijque passim. Et fortassis non tam vehemente erisi digni sunt, dum præpositionem, quam nos hodie subintelligimus, illi in Ablatiuis exprimerent, quod autem Ablatiuis efferrent, etiam propria locorum nomina, vbi nos Genitiuis vtimur, non latinitatis vitium,

sed

ſed ſenſus diuerſitas eſt, Genitiuus enim quietem, Ablatiuus motum à loco ſignificat, vnde non video cur nobis etiam hodie, non liceat ſubſcribere Romæ vel Româ, per primum ſignificantibus,quod noſtræ in Vrbe ſcriptæ fuerint, per ſecundum, quod eas Româ emiſerimus: nulla etiam eſt, vel vnquam fuit lingua, cuius & phraſes, & ipſæ dictiones plurimæ non mutentur cum tempore. Quamquam igitur aliquæ poſteris antiquatæ ſint, non proinde priſcis illegitimæ cenſendæ ſunt.

Laudamus veteres ſed noſtris vtimur annis *Ouid. in Faſtis lib. 1.*
Mos tamen eſt æquè dignus vterque coli.

EPISTOLA II.

FRANCISCO BARBARO. (1)

ARGVMENTVM.

Albertus Franciſcum laudat, & replicatis argumentis, ad literarum commercium ſecum ſeruandum hortatur, & quodam vtriuſque voluptatis commodo, & honeſtatis iure expoſtulat, non exiguo Lectoris in hoc genere documento.

NOn ſatis apud te, *Barbare humaniſſime* (2) *indignitatem,qua magna perturbor*(3) explicare valeo. Inſperanti enim & quod eſt longè importabilius, atq; inuito mihi ſubrepit, id genus mœſtitiæ, qua me in ipſam perturbationem exiſtimationis abs te in me, quod cum venia dixerim, non rectè factorum incidiſſe, grauiter fero.

Ego enim cum ab ineunte amicitiæ cognitione, quæ inter te, ac *doctiſſimum Guarinum Veronenſem* (4)ſumma perdiu contracta eſt, magnificum illud, & ampliſſimum munus nactus eſſem, vt medius, quem pro veſtra humanitate benemeritum, de alterutro iudicaſſetis, recipi poſſem, ita vtriuſque veſtrum ſtudio exarſi, tui verò, quo cum frequentiùs eſſem conuerſatus, adeò ampliore dilectione incenſus ſum, vt mihi certiſſima quadam veritate perſuaderem, ſpeque adducerer, neutrum veſtrum, eas ad res, quæ ad beneuolentiam comparandam pertinerent, & in me conſolando, & ad amicitiam augendam fouendo, atq; alendo, vllo vnquam tempore, quouis in negotio defuturum.

Quam ſpem exiſtimationum mearum, verè loquor, cum eloquentiſſimus Guarinus noſter, mira erga me diligentia, ac ſtudioſiſſima opera ſanè indies augeat, atque confirmet, tu, pace tua dixerim, adhuc ore reprimens, ac prope conuellens, fefelliſti: Nam, & cum per me coram egiſſem, vt oratione tua graui, & te viro eloquentiſſimo digna, me græculum futurum cohortareris, atque loquacem, ſi ita iudicares, reprimeres, & quæ ſoleres in dicendo obſeruare, tua pro humanitate doceres, nunquam penitùs impetrari potuit. Id ego aliquot poſt menſibus,

sibus, *cum imperitissima Epistola mea*, (4) tum tumultuariè ac maxima festinatione, quæ natura improuida semper, & cæca est, ad te talem virum data postulauissem, tu, & magnopere obsecranti, & plurimum oranti, ne verbo quidem obsequi voluisti. Cumque idem, *per fratrem mei Ordinis*, (6) virum sanè frugi, ac modestissimum, mihique iustis de causis amicissimum idem tentauerim, num si ex te impetrari posset, vt per exiguas literas tuas, vel tribus versiculis exaratas, & quas sæpè longas pollicitus fueras, ad me datas esse, & si non redditas, lætari, gloriariq; mihi liceret, nunquam aliquid præter solitas pollicitationes illum elicere potuisse, mihi ex eo renunciatum est. Hoc ego, mi Barbare suauissime, quamquam ægrè tuli, nisi occupationibus tuis tribuerem, quibus maximis te nuper designatum Prætorem, & teneri, & summè occupari aiunt, superbia elatum inhumanè quidem te effecisse causarer, atque existimarem, siue vt mitius, commodius, & æquius dicam, ruditate literarum mearum, quas ad te ineptas, atque incomptas dedi, perturbatum esse, quod exangues, exiles, & tenues, ieiune & insuauiter fluerent, tandemque stomachatum, grato illo in me animo tuo, & solita beneuolentia, refugisse. Quod si id causæ fuisse fatebere, tùm maximè te scribere debuisse, nullus qui rectè sapiat, dubitabit. Tuarum enim partium erat, opem orationis tuæ flagitanti afferre, mihi præsertim, qui ita debere fieri orauissem, & quem cum pro amicitia, qua tibi coniunctissimum esse me arbitrabar, tum etiam pro religione, loquor equidem purè, & Christiane, quæ sentio, qui nedum amicè monentibus, verùm & ijs, qui inimicissimè me lacesserent, gratias habiturum professus sum; non modo æquissimè laturum, verùm etiam gratissimè suauissimas reprehensiones tuas me optimam in partem accepturum fuisse, ambigere haud quaquam debueras. Ac ne multa consecter, vel sola vtilitate mea, hoc abs te faciendum fuit. Nihil enim mihi cum iucundius, tùm maiore emolumento fructuosius vnquam fore credidi, quam si suauissimas literas tuas, vel pro humanitate tua mihi blandientes, vel pro erratis meis me mordentes, accipio. Pari equidem lætitia efferor, cum, aut me reprehendis, aut doctrinarum salubria mihi præcipis, nisi quod ignorationi meæ, etiam inter præcepta eruditionis, paulisper indoleo; quibus quam flagranti opera vacare exoptem, & quam diligentissimo studio inseruire, ac ingenti quadam solertia incumbere velim, profectò nosti. Sed agresti ingenio, & tardiore memoria fretus es, forte inquies: Hoc cum verissimè de me sentires, quamquam non vereor, ne id sentias. Verum esto ita putes. Ego verò plus inferam, mihi os confusum, hæsitantem linguam, memoriam perexiguam, neque tenacem, ne dicam nullam, esse. Nihil denique præter voluntatem, quam æstuantem fateor, atque ingeniolum, & illud quisquam forsitan putabit insanum. Quæ res, etsi veræ sunt, tu qui pro animi tui bonitate, haud tam humilia de me sentire soles, nisi quid aliud causæ afferas, nunqnam ab scribendo iustè cessasse sane mihi videberis. Quamquam etiam animi, atque ingenij acutos quosdam motus, & celeres, diuturnamque memoriam

moriam, ac præstantissimis rebus maturam, summè habilem, me non habere mihi facile persuaserim; tu tamen quosdam non admodum nobilissimis ingenijs præditos ita limari posse, vt diligenti quadam eruditorum opera, atque summò discentium studio, & politiores eorum res in dicendo se habeant; & eorum ingenia auctiora, atque accuratiora reddantur, fieri posse non dubitas.

Quamobrem, si post hac, quas periucundas mihi futuras haud equidem sum nescius, vel inter ista, quibus in præsentia flores, honorum tuorum onera, molestissimosque labores, vel inter turbulentas ambitionum occupationes, ad me literas tuas dederis, magnum mihi atque amplissimum tuæ humanitatis officium te præstitisse & lætabor, & magnopere gaudebo. Hoc quam primum facias obsecro, atque oro. Quæ quidem res cum fuerit impetrata, maximæ mihi voluptati erit. Tibi verò, & si non dignas gratias dicere potero, saltem habebo, si modo abs te quicquam literarum, ad me gratuler esse perlatum: sin verò minus, huic meo studio rectissimo quidem, vt iudico, atque optimo obsequi, ac satisfacere volueris, præsertim cum nullo in genere officij, atque humanitatis, neque mihi percontato, aut aliquid quærenti vnquam defueris; agam tecum, lege Euangelicę mulierculę, ἡ χήρας inhumanum iudicem instantissima atque importuna expostulatione flectentis: scilicet de reliquo mea culpa sit, si te quamquam prætorem in cæteros, tamen in me reum, nisi mihi omnibus in rebus, quæ postulauero morem gesseris, quo ad mihi longissimas reddas, conquiescere non sinam: Quo autem animo, ea res à me gerenda sit, potiundæ videlicet amicitiæ tuæ causa, ac tui mihi magnopere amantissimi, vel irascentis, literarumque tuarum accipiendarum cupiditate, non ignoras.

Idest Viduæ. Lucæ 18. v. 3.

Non enim te fugit, virum, qui pro eruditionis præstantia, & graue, & verum hisce de rebus iudicium habere potes, nihil tam liberale, tam magnificum, egregium, tamq; munificum esse, & homine sapientissimo dignum, quam beneuolentiæ summmo quodam studio, ac sincerissimo amicitiæ cultu contineri, coniungi, fortissimeque vinciri, atque eam omnibus in rebus humanis Lelij sententiæ præstare debere, quod ea nihil melius, nihil naturæ aptius, nihil conuenientius, & quod ad secundas atque aduersas omnes res magis conducat ab illo summo Principe Deo (ne Deos nefariè dicam) datum profectò sit; & res tibi vt in mentem veniant, cures diligentissime velim, quas maximis, & Reipublicæ, & domesticis negotijs occupatus, minùs fortè perspicere potes; quamquam vires tuas, præstantioribus rebus, ac longe amplissimis dignas putem: Quod vnum si cogitabis ad me, qui valdè te diligo, & valdè amo, vicissitudinem literarum tuarum, quæ amicis maximo beneuolentiæ indicio sunt, reddere, vel in summis occupationibus non grauaberis. Sola enim res est, quæ vt Turpilius Comicus inquit, absentes, præsentes facit. Quare mihi quam primum satisfacere, honesta quidem petenti obsecro, non retardes. Vale ex Verona 1422.

NOTAE.

Nota I.

Francisco Barbaro. Quatuor nobis B.Alberti Epistolæ ad clarissimum hunc virum suppetunt, ex quibus non pauca virtutum, ac dignitatum eius argumenta sumuntur. Prima est, quam nunc tractamus, in qua, vt vides, Barbari humanitatem, eruditionem, eloquentiam, grauitatem, suauitatemque, & cum eruditissimo Guarino, ac cum ipso Alberto, contractam amicitiam commemorat. Et licèt cum eo neglectum, & olim promissum, literarum commercium acriter expostulet, cedit tamen comiter causæ taciturnitatis: erat quippe tunc Barbarus Taruisij Prætor, cuius muneris molestissimis laboribus, vt Albertus ipse loquitur, quibus maximis eum teneri, summeque occupari dicebatur, silentium attribuit: Quis verò quantusque fuerit vir Barbarus iste, tam carus amicus Alberti, quæque strenuitate sua, consilio, & prudentia in alijs deinde munijs Reipublicæ præstiterit, cumulatè sparsim in sua historia Veneta narrat Petrus Iustinianus, alijque rerum Venetarum Scriptores, & hæc inter alia Petrus, Lib.9. pag. 329. & 330. *Quam vrbem (Brixiam) paulo ante Zacharias Barbaro Proprætor ingressus, ab omni hostium incursu tutam reddidit. Fuit autem hic Francisci illius filius, qui Bello Philippico, eandem Vrbem Brixiam, à grauissima obsidione, sua eximia virtute liberauit, dignus certè tanto parente filius, à quo Hermolaus ille, græca, latinaque eloquentia vir insignis, procreatus est*. Hermolaum autem etiam ab eximia pietate, & pastorali zelo, vigilantia, & factis, inter Taruisinos primùm, ac deindè Veronenses Episcopos laudat Vghellus. Itaque Franciscus Zachariæ pater, Hermolai verò auus fuit. Ipsum Gesnerus Chrysoloræ in Græcis discipulum, clarum Philosophum, & summum in vtraque lingua oratorem appellat, & quæ scripsit ipse, vel è Græco in Latinum vertit, recenset.

Nota II.

Barbare humanissime. Appropiatissima Antithesis, qua nomen communi sensu amarum, eleganter dulcorauit Albertus. Alij enim Barbarum vocant, si quis contra Grammaticæ leges vocem proferat aut peregrinam, crassam, rudem, asperam dictionem Græco, Latinouè sermoni misceat, vel sermonis puritatem non seruet, si quis moribus peregrinis inurbanus, sæuus, crudelis incultus fuerit: qui nimirum non iudicio, & ratione, quod humanum est, sed phantasmate, primis apprehensionibus, & vehementi appetituum impetu, & corrupta consuetudine dueuntur, & plus de genere, quam de specie habere videantur, hoc est, plus de animali, quam de homine, quod inhumanum est. Qua propter Albertus noster, vt vniuersum huiusmodi vitiorum genus, rem acutangens, solo humanitatis vocabulo tollat, à quibus omnibus cum Franciscum alienissimum iudicaret, eum reipsa humanissimum pronunciauit, vt vacuo vocabulo Barbarum ostenderet; Quo igitur quisque magis, minusuè à ductu rationis, & moderamine sensitiui appetitus recedit, in eo magis minusuè inhumanus, adeoq; barbarus censendus est. Vocem à *Bar*, quod apud Chaldeos peregrinum significat, ad Græcos transijsse ferunt, qui cum cæteris nationibus, morum & sermonis cultu, iudicio, & ratione præcellere censerentur, quoscumquè alios à moribus suis, & discipulis alienos duplicata syllaba, Barbaros vocabant. Qua ratione Romani postmodum eodem cultu politi, Græcosque secuti, gentes omnes Barbaros appellabant.

Nota III.

Indignitatem qua magna perturbor. Indignitatem, vel indignationem suam qua magna turbatur, intelligit, vel quod sequenti sententiæ magis congruit, indignitatis suæ opinionem, quam apud Franciscum fortasse conceptam verebatur,

tur, *inuito mihi ſubrepit, id genus mæſtitiæ, qua me in ipſam perturbationem exiſtimationis, ab te in me, quod cum venia dixerim, non rectè factorum incidiſſe, grauiter fero*; Indignatio enim ipſa, perturbatio eſt; cauſa autem indignationis, ſuſpicio, ſeu timor exiſtimationis, non recte factorum, ſeù indignitatis ſuæ apud Franciſcum, qui illum prius plurimi feciſſe videbatur, vt in reliqua Epiſtola fuſius explicat: ergo Albertus indignatione ſua formaliter turbatur, indignitate autem non recte factorum, quam timebat, obiectiuè, vt ſcholæ loquuntur.

Nota VI.

Doctiſſimum Guarinum Veronenſem Huius meminit Conradus Geſner, in Bibliotehca vniuerſali, vbi eum Chryſoloræ Biſantini quondam auditorem, Græci & Latini ſermonis peritiſſimum vocat, de vtroque, Chryſolora ſcilicet & Guarino, Spondanus in proſecutione Baronij ad annum 1397. num. 6. *cæterum vna cum iſta legatione putamus veniſſe in Italiam ibique reſediſſe ingenti rei literariæ bono, Emmanuelem Chryſoloram ex illuſtri familia Conſtantinopoli oriundum, potius quam poſtea cum Emmanuele ipſo Imperatore, cum plerique omnes eius aduentum hoc vel ſequenti anno conſtituant, non autem niſi poſt triennium Imperator venerit. Is vero mox incipiens docere literas Græcas, quæ per annos penè ſeptingentos, temporum iniquitate in Italia conticuerant, Venetijs primum, & mox Florentiæ, Romæque, ac demum Ticin Italorum ingenia adeò excitauit, vt non ſolum eam linguam feliciter ſuſceperint, verum etiam latinam, quæ multam barbariem à longo tempore contraxerat, in antiquum nitorem reſtituerint. In quorum primis recenſendus Guarinus Veronenſis, qui author fuit vnius ex ſcholis, quæ ad vtramque linguam addiſcendam inſtitutæ fuere*. Sed de Guarino fuſius eius conciuis Onuphrius Panuinius antiquitatum Veronen. lib. 6. p. 64. vbi de illo ait: *Hic eſt, qui eloquentiam, in auorum memoriam deperditam, longo poſtliminio primus reduxit, cuius ætate cum bonæ literæ, ob triuialium Grammatiſtarum inexplicabiles ambages, in tenebroſis angulis deliteſcerent, primus ipſe more Platonico, multos annos peragrata Grecia, exhauſtiſque ad ſatietatem verę doctrinæ, à præſtantiſſimis Philoſophis atq; Doctoribus, erudimentis, demumque in Patriam reſtitutus, eas in apertam lucem, tùm ſcribendo, tùm docendo laborioſiſſimè reuocare cœpit. Cuius dubium eſt, an boni mores, vitaque ſanctitas, an optimarum artium cognitio, plus nobis præſtiterit. Ipſe etiam adoleſcens quum Chryſoloræ Bizantini auditor fuiſſet, Græcas literas primus Italicorum, poſt Imperij Romani caſum, in Italia ſuſcepit: ſcripſit verò &c.* ſed nec pauca acceſſio Guarini laudibus, ab his Alberti, quæ damus, monumentis facta eſt: decuit enim Alberti bonitatem, & gratum animum cum laude profiteri, per quem ipſe tantoperè profecit.

Nota V.

Imperitiſſima Epiſtola mea, & infra, *ruditate literarum mearum, quas ad te ineptas, & incomptas dedi*; Hac modeſtia & religioſa humilitate plena ſunt hæc Beati viri opuſcula, per quam, cum alios, etiam aduerſus quos ſcribit, extollere, ita ſe, ſuaque ſemper extenuare ſolet. Vnde aliud etiam documentum Albertum ſcilicet multo plures Epiſtolas dediſſe quam nos conſequi potuimus.

Nota VI.

Per Fratrem Ordinis mei. Hunc Becinum fuiſſe, ad quem Albertus ſequentem dedit Epiſtolam, ex ipſa ſatis conſtat, quæ etſi hic in codice poſterior ſit, ratio tamen ſuadet, eam ante præſentem ſcriptam fuiſſe.

EPISTOLA III.

IOANNI BECINO VENETO.

ARGVMENTVM.

Hominem prius dissolutæ vitæ, à graui corporis morbo, ipsius Alberti studio releuatum, sed ab animi inueterata ægritudine nondum plane liberatum, eruit tandem, & Becino ad rem maximè idoneo commendat, vt eum ex nostris, inquit, quodam in loco collocet, & vt græcè loquitur, ex puteo malarum consuetudinum liberet, atque extrahat, id est, vt interpretor, Religiosum Minoritam Regularis Obseruantiæ faciat, quod hominem ipsum iam cupere, & vt Becinum proposito potiundi authorem haberet, desiderare Albertus in Epistola docet. Rogat præterea, vt Taruisium cum Bernardino Senensi, nunc Sancto, iturus Franciscum Barbarum inibi Prætorem oret, vt ipsum Albertum literarum suarum communione ditiorem faciat.

NIhil ego, suauissime Pater, seu dictu, seu cogitatione ipsa æquè mihi iucundius, aut satius arbitror, quam si eum mearum primas ad te dare constituo, ea mihi occasio præbeatur; vt & eorum saluti tecum vnà congratuler, & charitatis compendia audentiùs præ cæteris abs te postulem. Quid enim vtrique nostrum, vel magnificentius, vel præclarius, quam aliorum vtilitati consulere? quanam ex re maiorem, aut apud nos voluptatem aut apud homines laudem, aut apud Summum postremò Deum gloriam cumulare, nobis commodius, æquius, honestius; quam si egregijs in proximos gestis rebus, non modo eis, non inuidere videamur verum etiam *Maiorum nostrorum socios*, (1) nos omnium opinione ascriptos, & fauere & opitulari rectè quisquis existimet. Quamobrem non vereor, ne tibi videar, aut inuerecundius, quam æque, vel ætas, vel nulla mea dignitas patiatur, aut ineptius quicquam abs te petere, & obsecrare, si te vt in *Petrum bonum*, (2) nostri si quidem amantissimum omne studium tuum, curam, & diligentiam conferas; omnemque operam conuertas, orem. Est enim id tùm charitati erga alios accommodatum, tùm verò Christi Domini nostri legibus, & voluntati, mirum in modum consentaneum.

Hic igitur iam vsque à Kal. Iunij molestijs atque angoribus contrariæ valetudinis affectus, præsertimque totius capitis doloribus ita laborauit, ita opressus est, vt penè in insaniam prolapsurus, non tam κεφαλῆς, quam ἐγκεφάλου carere hominem putauisses. Cui eum ad recuperandam valetudinem diligentissimè adfuissem, tùm verò postquam ad se se redijt in consilijs capien-

Idest capite quam cerebro.

piendis, quibus ſaluti ſuæ conſuleret, non inſtantiſſimè modo, ſed ferè importunè, atque etiam acerrimè illi inſtiti. Nihil equidem ſibi blanditus ſum, nihil penitùs aſſentatus; eo vel maximè, quia à doctiſſimis medicis, adeò dubia res afferebatur, vt facillimè eum quamprimum vita excedere vererentur. Itaque cum ego illum exhortarer, vt leuare ſe animi ægritudine, quam ægrotatione corporis mallet; & ſuaderem vt vaniſſimæ, ac perditæ vitæ ſuæ, & re, & animo, prorsùs renuntiaret: aſſentiri equidem ſe ea mente reſpondit, quæ alacri ab animo eſſet profecta; ſuaſionem autem meam, vel ex eo optimam ſibi videri, quod & virtute prædita eſſet, & animo ſuo ſummè accommodata. Quem quidem ea quæ dicerem, agere ſæpè conantem, ignauia quædam, neſcio quæ, perterruit, qua ſe ad virtutem comparandam, animi firmitudinem habere diffideret, ac malarum cupiditatum iam pridem pernicioſa eum oblectatio adduxiſſet; verum ſe eſſe neſcium, quo authore id gereret. Putare ſeſe etiam in re tanta cuiuſcumque non egere conſilio, impudentiſſimum quidem arbitrabatur. Cumque ego animo ſæpe reuoluerem, quem mihi iſtam ad rem pro illo iuuando aptiorem deligerem, omnium pace dixerim, nullus mihi idoneus, ac tu in mentem venire potuit, qui erga illum ſumma cum beneuolentia, pari coniuncta prudentia, inuigilabis, cuiuſue tibi ſalus admodum cara futura eſt, ac pietas, quam in eum referes, & æque ampliſſima. Quocirca, quam tua ſemper in me maxima, atque clariſſima beneficia extiterunt, non dubito in huiuſce generis honeſtiſſimis rebus hoc à te petere, vt in Petro noſtro ſtatuas, non ſolum in officij tui fructum, verum & pietatis merita debere te quærere. Ille enim in te vno, vſque adeò ſpem ſuam omnem locauit & fixit, vt præter te quemquam, qui tanto ſibi adiumento futurus ſit, cuiue tantæ curæ ſalutem ſuam fore confidat, habiturum eſſe neminem ſperet. Tu igitur ſi me amas, ſi dignum me, vt ſemper facere conſueuiſti, tuis beneficijs iudicas, te illi ducem, ac moderatorem quemdam, & quaſi gubernatorem præbeas, proculdubio velim. Qui probitate, ac mira prudentia, vel, vt verius dicam, ingenita, ſingulariq; charitate, vnus ad rem iſtam prope conficiendam, optandus es. Dabis itaque operam, vt & qui tibi omnem cauſam ſuam, ſeque ipſum commendat, & tradit, te opitulari, atque obſequi certò ſciam. Quo fiet, vti cum illum ex noſtris quodam in loco, te ipſo authore locaueris, & penè quondam mortuum ἐκ τοῦ φρέατος συνηθιῶν τῶν κακῶν liberaueris, atque extraxeris, & mihi, vltra quam dici poteſt, rem gratiſſimam feceris. Vetor hac de re pluta ad te loqui, cum ſumma tabellariorum feſtinatione, tùm verò nè tibi penitùs diffidere videar. Si hoc abs te impetrauero, tibi profectò, ac ſi res mea acta fuiſſet, habebo gratiam.

Ideſt ex puteo malarum cõſuetudinũ.

Sed de his ſatis. *Cum Taruiſium vt ſcribis*, (3) cum clariſſimo Chriſti oratore Bernardino noſtro concedes, quam humaniſſimum illum Barbarum, digniſſimumque Prætorem conuenturum te arbitrabor: hoc meo nomine eum orabis, tu qui apud illum, quantum vis, po-

potes, vt me; quamquam minimè dignum, aliqua tamen ex parte, cum reliquis amicis, ac neceſſarijs eius, in ſocietatem ſuauiſſimarum literarum ſuarum venire patiatur; quarum mihi communicatio, & ſi tardiſſima videatur, diutiſſimè enim non modo eas concupiui magnoperè, verùm etiam inſtantiſſimè exoptaui, tamen gratiſſima ſemper futura eſt. Sum equidem auidior, pluſquam σφόδρα aliquarum è ſuis. Ad hunc ego, quamquam mihi prope perſuaſerim ne verbum quidem facere, niſi longiſſimas ſuas ad me dederit: ſi non tabellarij ad modum feſtinantes impellerent, aliquid nugarum noſtrarum in præſentia ſcriberem. Tù me apud illum excuſatum diligentiſſimè reddes, ſuiſque me literis ſanè eruditiſſimis, tua interceſſione facies ditiorem. Vale ex Verona 1422.

Idest vehementer,

N O T Æ.

Nota I.

Maiorum noſtrorum Socios, ſui, & Becini Ordinis Maiores intelligit, quibus id ſemper maximè ſtudio fuit, poſt animarum ſuarum ſalutem, egregijs in proximos rebus geſtis fauere illis, & opitulari; nempè ſequaces Seraphici Patris, de quo in ſolemni eius officio canitur. *Non ſibi ſoli viuere, ſed & alijs proficere vult, Dei zelo ductus*. In quo genere plura præſtitit ipſe B. Albertus. Quæ vero huiuſmodi beneficia Eccleſiæ, & ſeculi Principibus, & populis contulerit ordo Minorum, & indies conferat, nos per anacephalæoſim indicauimus, in Epiſtola ad Lectorem noſtræ Epitomes annalium eiuſdem Ordinis.

Nota II.

Petrum Bonum. Mirum cur proprio nomine, & cognomine detegat perſonam, quam in eadem epiſtola vaniſſimæ, & perditæ vitæ iam actæ vocat. Sed minimè mirum eſt, quod Albertus Euangelicæ vitæ Profeſſor, & Euangelij præco, Euangeliſtas, & Paulum, immò Chriſtum imitetur. Matthæus ſe ipſum è telonio vocatum dicere non veretur. Paulus ſe perſecutorem Eccleſiæ, Chriſti voce conuerſum, prædicare non erubeſcit. Alij Euangeliſtæ Mariam Magdalenam, mulierem in ciuitate peccatricem, ſed à ſeptem dæmonijs Chriſti gratia liberatam narrant. Petrum negaſſe Chriſtum, ſed pœnituiſſe, & ſexcenta eiuſmodi tum illi, tum Chriſtus ipſe, tum Chriſtiani hiſtorici ſine admiratione, ſine culpa faciunt; Faciunt autem ad gloriam Dei, vt ipſius gratiæ fortiſſima virtus magis, magiſque eluceſcat, qua peccatores quotidie ex puteis malarum conſuetudinum mirabiliter, & ſupra ſpem hominum extrahuntur. Faciunt ad vtilitatem noſtram, ne in profundo peccatorum immerſi, de Diuina miſericordia deſperemus. Faciunt ad conuerſorum cautelam, vt recogitantes, quid fuerint de peccato propitiato non ſint ſine pauore, vt eo feruentius gratias agant liberatori ſuo. Sic Albertus Petrum Bonum, non ad vituperium nominat, ſolummodo peccatorem, ſed ad ampliorem honorem, iam pœnitentem, ſed ſuis viribus humiliter diffidentem, & pœnitendi ſtatus, loci, ac directoris idonei auidum. Quid hic mali eſt? Immò ex vno malo peccatoris plurima bona, & eiuſdem, & narrantium, & lectorum commoda.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

No-

Nota III.

Cum Taruiſium, vt ſcribis &c. Vide notam penultimam in Epiſtolam ad Franciſcum Barbarum ſupra, & confer cum ijs, quæ hic ſcribit Albertus.

EPISTOLA IV.

ANTONIO FLORENTINO.

ARGVMENTVM.

De neglectu veteris amicitiæ, & literario ſilentio Antonium redarguit, cum ipſe plures literas, non accepto reſponſo, ad eum dediſſet. Inde ſilentij cauſas diſquirens, eam præcipuè ſuſpicatur, quod ipſe verbis oratorijs, & ab Antonij conſuetudine penitùs alienis vſus fuerit, quem proinde vſum, ſi Antonius monuerit, ſe mutaturum offert.

PVtaui ad hanc vſque ætatem nunquam ſanè ex te mihi accidere poſſe, Antoni mi ſuauiſſime, vt etſi perditis meis de facinoribus, peſſimè meritus tibi videar, tam me vel indignatus, tua ab amicitia longè repelleres, vel publicanum hominem, quem forte me putas, contemptui iure optimo habendum exiſtimares, tu præſertim quo cum tanta mihi vis amicitiæ ſumma perdiu contracta eſt, vt profectò in te vno quidquid beneuolentiæ, quidquid humanitatis, & ſolatij, & iucunditatis, & commodi, & gratiæ, ac denique auctoritatis, ſummam ad amicitiam conficiendam ſperari ſolet, nactum eſſe me quidem non dubitarem. Sed quemadmodum iudicabam, ita id eſſe confiderem, & vt lætati, & magnopere iucunditate gaudere, conſtanterque apud omnes gloriari, mediusfidius haud vnquam meritus ſum.

Verum enim verò opinionem hanc ad te meam, quod equidem incredibiliter, ægrè, ac moleſtiſſimè fero, vehementiſſimè falli, in præſentia certò ſcio, cum animus tuus, vt mihi perſuaſum procul dubio eſt, ſit à me alienior. Eiuſce verò negotij, quod, vt cenſeo res ità ſe habeant, quid magis indicio eſſe poteſt, quam diuturnum erga me ſilentium tuum. Quo profectò etiam ſi literarum mearum nunquam ad te quicquam dediſſem, niſi plus iuſto vſus fuiſſe, haud quaquam videberis; cum verò plures ad te mearum, longas quidem, & modo, & ſæpe datas, aliàs non dubitem, quas & redditas arbitror, quam excuſationem afferre poſſis, non venit in mentem, niſi tu contra, vel ad te perlatas negaueris, vel de me queri malueris, qui *Guarino Veronenſe, præceptore eloquentiſſimo fretus* (1) illius omnes ad res gerendas, mira diligentia, ac maxima gratia donari meritus ſim, vt fortaſſe oratorijs verbis, & tua ab conſuetudine penitus alienis, ità vſus fuerim, quod & te mouerit, & capiendæ rei facultatem omnem ademerit. Egregiè id quidem ſentis, ne dicam ineptè,

maximè

maximè vero cum reliqua omni ætate mea, eis nostratibus, ac sanè vilibus, me vti solitum tu optimè quidem noris. Quod tamen si ita censes, vt me siue is, doctissimus sanè vir, erudierit, siue ego flumen ex eo eloquentiæ vsque adeo mea studiosissima diligentia hauserim, vt tanta mea industria dicendi copiam, atque elegantes grauium verborum sententias, me comparare potuisse, tibi persuadeas. Ego Summo illi Principi gratias agam, à quo tam egregio ingenio præditus sim, vt tanti existimari tuo iudicio possim, ac tandem ad patruum dicendi morem me conferam, ni tu moderatius, quid tuis literis fieri iusseris, aut mihi communibus, & vsitatioribus posthac vtendum esse me admonueris. Vale ex Verona 1422.

N O T A.

Guarino Veronense præceptore eloquentissimo fretus. Per hæc, & quæ sequuntur manifestè profitetur Albertus, se ornatum latini sermonis, ex Guarini præceptionibus, mira diligentia, & maxima gratia didicisse. Quem etiam in Græcis literis addiscendis audiuisse se alibi fatetur, nulla vel Emmanuelis Chrysoloræ, vel Ioannis Lascaris facta mentione, sub quibus alij dicunt Albertum Græcis literis incubuisse, contra similem professionem ipsius Alberti, quam suo loco notabimus, & fortè conciliando diuersitatem harum opinionum.

EPISTOLA V.

BONAVENTVRA VENETO.

ARGVMENTVM.

Grata scribenti gratias agit, Angelum Tuscum, sui Ordinis fratrem, quem charissimum sibi parentem vocat, eximiè laudat, ipsiusque in se olim officia, & beneficia, grato animo profitetur.

IVcundissimæ tuæ fraternitatis literæ, quas ad me pridie Idus Iunias dederas, decimo sexto Kal. sextiles mihi redditæ sunt, quibus, & pro singulari in me solita beneuolentia tua, qua haud dubium refertissimè mirificum quendam amorem tui animi redolent, & pro summa hilaritate rerum, quas mihi gratissias fidelissimè quidem, vt certo scio, per illas renuntiasti: si qua tamen accessio amicitiæ nostræ sperari posit, quantum alacrior ad perpetuò eam colendam redditus sim, hoc sanè grauissimo tuo iudicio relinquo. Cumque his tuis in literis complura ad me pergrata attuleris, tùm vero illud longè iucundius, longèque

gęque gratius, abs te diligentissime præscriptum est, de quo me id penitus nescientem certiorem fecisti, carissimum scilicet mihi parentem, ac virum profectò *integerrimum mei ordinis fratrem Angelum Tuscum*, (1) qui suo merito & nunc Prouinciæ præsit, cui illum nostri ordinis maiores præfecerunt, summum illum Christi oratorem, virumque Sanctissimum, Fr. Bernardinum Senensem visendi causa, istas nuper partes petiuisse. Est enim Angelus iste vir talis, qui de me, pro summis beneficijs eius ità sit meritus (taceo enim reliquos, qui virtuti illius plurimum debent) vt si maxima sua in me officia, & quo me semper amore complexus sit, quantumque illi debeam, dicere vellem, quamquam vacuo animo essem, & magna dicendi copia præditus, equidem id me consequi posse diffiderem. Quis enim quauis oratione complecteretur, *cum ego in Etruria illius curæ commendatus existerem*, (2) sua omnia erga me studia: omnem operam? curam, industriam, mentem denique omnem? Quibus sanè me rebus dies, noctesque, meæ salutis incredibili quodam, sanctissimoque metu solicitus, ita deuinxit, ita obligauit, vt veritus, ne sustinere sua in me innumerabilia officia non possim, vel non capere animus meus, aut in accipiendo siue in remunerando, cumulandoque verbis, illius acta illustrare non valeam, habere, quam dicere gratias malle delegi. Quod verò abs te, illi de me persuasum dicis, *Vt cui non antea probaretur, meum consilium*, (3) quo ego optimum factu censui, vt ad præstantissimum Guarinum audiendum me contulerim, nunc magnoperè lætus probet, atque laudum magnitudine efferat, hoc mirum in modum mihi scias esse gratissimum, tùm quia tanti viri authoritate afflammor, & solidor, vt quibus artibus virtutes facilè comparantur, quarumve tandem parta emolumenta, & mihi, & cæteris vtilitati, vsui, iucunditati, veræ, solidæque gloriæ esse possunt, in his esse elaborandum mihi statuerim: tum etiam, quia vt sum, tuque id nosti, non tam ægrotatione, quam ægritudine affectus, hominum de me iudicia, maximèque grauium summopere pertimesco; Quæ cum sedata ac repressa intelligo, & tibi gratior, & mihi posthac certior victitabo.

De vitæ vero meæ, vt dicis, integritate, qua me apud illum mirificè laudasti, quod secus esse is verebatur, quanquam amore fallaris, sed tamen ita prorsus existimas, fecisti quidem pro suauissima consuetudine tua, qui & de te cæteros metiri soles, & me, quem ità diligis, optimè de te meritum arbitraris; atque in dies prædicas. Ego enim cognoui te quidem gratissimum omnium, idque nunquam destiti prædicare, neque verò tu mihi habuisti modo gratias, si quid ego de sola beneuolentia erga te mea meritus sum, verum & cumulatissimè reddidisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me in te studio, & amore, eademque voluntate, atq; ardore, quo erga te esse soleo, recognosces. Plura in hanc rem scriberem, nisi perspectum apud me, & exploratum diligentissimè esset, haberi inter nos, quam dici gratias oportere.

Oratiunculam meam de Corpore Christi,

Christi, quam & elegantem, vt dicis, & eruditam, & grauem, summis quoque precibus obsecras, vt verò ipse sentio, impolitam, & tenuem ac subrusticam, cum primum librarius, qui mihi se illam scripturum pollicitus est, eam absoluerit, & si stylo ineptam, saltem diligentissimè emendatam, ad te perferri faciam. Si quid eruditionem tuam in ea offendet, & ignorationi meæ, & pudori attribues, quo mihi iubentibus, vel ineruditè nolui non parere; sin verò aliqua ex parte oblectabere, in primis Deo, deinde *Eloquentissimo Guarino Veronensi gratias habendas*, (4) existimabis. Nam ipsius præceptoris mei nobilissimi, & opera & industria factum est, vt si quæ ea digna res est, ego illam conficere, & scierim, & potuerim, & hortatu, ac voluntate, & iussu id venit, vt vel inuitus voluerim. Vale ex Verona 1422.

N O T Æ.

Nota I.

Integerrimum Ordinis mei fratrem Angelum Thuscum, nihil in hoc viro laudando mentitum, nihil illi adulatum Albertum fuisse testantur, quæ de eo scripsit Vvaddingus tom. *6.* anno 1405. n.21. & ad ann.1455.n.93. quibus locis eum Angelum à Ciuitella agri Aretini vocat, & fratrem laicum fuisse docet, sed tantæ prudentiæ, & sanctimoniæ vitæ, vt Prouinciæ Thusciæ obseruantum Vicarius bis, terque præfectus fuerit, quam summa integritate gubernauit. Et post relatas alias eius virtutes, corpus ipsius quadragesimo secundo post mortem anno, integrum, hærentesque capillos conspectos fuisse narrat.

Nota I I.

Cum ego in Etruria, illius curæ commendatus existerem. Oportet Angelum Alberti olim seuerioris disciplinę Magistrum, & Spiritus directorem extitisse, cumque illi à S.Bernardino commendatum fuisse, vt amplius explicant, quæ ibi, & quæ sequenti nota exprimuntur. Nec mirari quisquam debet, laicos fratres asceticis doctorum alias ordinis tyronum exercitationibus aliquando præfici, qui in schola orationis per vnum diem plus discunt rerum cęlestium, quam alij per multos annos in publicis Academijs. Talis Magister Ioannis Capistrani tyrocinio præfectus est, post quam celebris ipse I.V. doctor, multa eius professionis opera edidit & in Vicaria Neapolitana multo tempore ius, ex officio iudiciario dixit: talem sibi ex nostris spiritualis vitæ rectorem S. Franciscus Borgias, adhuc sæcularis, & vitæ sanctimonia insignis, assumpsit, quo ipsum plurimum profecisse, nos alibi fusius docemus. Tales multi in Ordine Franciscano nunquam defuerunt, & etiamnum hodieque sunt. Quid acciderit Sancto Augustino simplicis Antonij vitam audiendo ipse doctor enarrat lib. 8. confess. cap. 8.

Nota III.

Vt cui non ante probaretur meum consilium. Id est latinæ, græcæque eloquentiæ operam dandi. Sic superiori Epistola suspicatus est oratoria sua verba Antonio Florentino displicuisse: Metuebant quippe illi Serui Dei, asceticæ vitæ & moralis, mysticæque doctrinæ, magis quam prophanæ eruditionis & eloquentiæ Zelantissimi sectatores, ne iuuenis Albertus amœnitate ingenij sui, & sæculi eruditorum, Ethnicorumque authorum consuetudine, pingnedinem Spiritus, quo illum imbuerunt, in prophanæ eruditionis, & elo-

eloquentiæ ſtudium conuerteret; at eum intellexiſſent, cum ita eloquentiæ ſtudere, vt multum fructum in eo faciens, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, exempla ſectando eloquentiam ſuam in ſacris rebus exerceret, tunc magnopere læti, vt ipſe loquitur, eius conſilium probarunt. Et certe vtilitatem inde ſenſerunt, cum ille eius dicacitatem eleganter, & neruoſe retunderet, qui ordinem penè vniuerſum vituperare conatus eſt, aliaque eodem ſtylo conſcriberet, quæ ordini ipſi & chriſtianæ populorum diſciplinæ, & Eccleſiæ totius bono multum conferre potuerunt, ſemper interim regularis, quam profitebatur, obſeruantiæ tenaciſſimus. Immo magis in eos palam inueheretur, qui per gentilium blaſphemas phraſes, & deteſtandum aliquando ſcriptionis argumentum, eruditione, & eloquentia, quibus alioquin prædití erant, abuſi ſunt.

Nota IV.

Guarino Veronenſi gratias habendas exiſtimabis. Hic iterum ſuum latinitatis profectum à Guarino acceptum conſtanter refert: Quamquam ego ipſum, priuſquam ad Guarinum ſecundò acceſſiſſet, non parum in latinis literis profeciſſe vel indè colligere mihi videar, quòd harum Epiſtolarum aliquę, eodem ipſo tempore, ſcriptæ ab eo fuerint.

EPISTOLA VI.

FRANCISCO BARBARO.

ARGVMENTVM.

Literas Franciſco ad Nicolaum Nicolum tutò mittendas commendauit, quas iſte à ſe receptas negat, & apud Franciſcum quæri rogat, quapropter Albertus nunc ſecundo Franciſcum, & ſilentij erga ſe, & erga Nicolaum negligentiæ arguit, rogatque, vt quæſitas literas apud eos quibus Franciſcus eas fortè commiſiſſet, vel ad Nicolaum, vel ad ſe, remittere velit. Guarinum laudat.

POſteaquam mearum primas ad te ſcribere cœpiſſem, ſuauiſſimi atque præſtantiſſimi antiquitatis authoris, *Nicolai Nicoli noſtri*, (1) ex Florentia literas accepi: in his cùm multis de rebus me amici more admoneat, tùm de vna maximè, quam ad te vult ſignificem, magnopere queri mihi videtur. Nam cum ego ad Guarinum noſtrum Græcæ & Latinæ eruditionis fontem, pro illius mira doctrinarum copia ebibenda, *Idibus Septemb.* (2) Veronam proficiſci conſtituiſſem, & ad te per eum noſtri Ordinis chariſſimum fratrem, cuius alijs in literis mentionem feci, & ad Nicolaum per te illi mittendas, longas ineptiarum mearum, vt pro illarum merito loquar, literas dedi, hoc cur facere auſus ſim, vt te tanto viro tunc mihi tabellario vterer, quem plurimi facio, breuibus accipe.

Cum enim ſuperiore anno, vel negligentia tabellarij, vel eius culpa, cui mittendas commendaueram, nunquam eas, quas ad ſe dederam,

Nicolaus redditas accepisset humanitati tuæ summoperè confisus, apud quem mihi plurimum licentiæ vendicare non veritus sum, alias non minus longas, quæ tua diligentia tutò illi redderentur, ad te etiam minimè obsignatas mittere, quod & feci, confidentissimè statui. Verùm & eas ipsas sibi non redditas, velut ægrè ferens, satis apud me queritur. Hæc res quid intercesserit, vt ita accideret, vehementer admiror, cum is frater, per quem ad te perlatas esse eius literas certior factus sum, te illas misisse, velut ex te acceperat, & testimonio sit, & certissimè profiteatur. Itaque cum à me longè absit, vt hoc te industria fecisse existimem, solum te precor per Dominum, vt an obliuione aliqua id à te prætermissum sit aduertere cures, ac cum illas inueneris, si fortè apud eos recuperare possis, quibus illas commiseras, vel Nicolao, cui deferri debent, vel mihi, cum ad Guarinum scribis, mittere non graueris: vale mea suauitas, & me ama, qui admiratione quadam virtutis sic te diligo, sic te veneror, sic colo, vt nec amori meo in te, nec existimationi, nec cultui, aut honori, & reuerentiæ quicquam possit accedere. Cogita, cogita, te mihi sæpe dixisse, quod tenacissima memoria fixum teneo, conseruo, nunquam te in amore superari, nunquam vinci solere, quin potiùs nonnunquam in amicitia torpentes complures ad beneuolentiam prouocasse. Illud præterea Ciceronis, finem iam faciens, reminisci te velim, nihil minus esse hominis, quam non respondere in amore, his à quibus prouoceris. Esset siquidem tunc Barbari potiùs, quàm hominis; vide ergo ne Barbarus fias, cum tamen alium, quam Barbarum, sed humanissimum, vt soles esse, te nolim. Iterum vale ex Verona 1422.

NOTAE.

Nota I.

Nicolai Nicoli nostri. Insignem clarissimi huius viri morum & eruditionis memoriam celebrauit Michael Pocciantius in Scriptoribus Florentinis. Et laudationem funebrem illi dixit Poggius, qui eius opibus & consilio in literis profecerat. In qua laudatione hæc inter alia protulit: *Operam dedit* (Nicolaus) *vt Emanuel Chrysoloras Constantinopolitanus Græcorum omnium facile Princeps in hanc Vrbem* (Florentiam) *legendi gratia accerseretur, verissime mihi videor posse dicere etiam his, qui illorum temporum memoriam tenent, approbantibus Nicolai maximè vnius verbis ac solicitudine Græcas literas longè post in Italiam reductas. Quæ quantum vtilitatis nostris hominibus attulerint, tum ad eloquentiam, tum ad plurimarum rerum scientiam quis ignorat? videntur prisca illa tempora quibus eloquentia cum sapientia coniuncta vigebat esse hoc sæculo renouata. Ita quidquid vtilitatis Græcarum literarum beneficio accepimus, vni Nicolao possumus acceptum referre, Nam à Manuele, tanquam doctrinæ quodam seminario, multi viri doctissimi prodiere. Venit deinde Florentiam, & Nicolao authore vir peritissimus Guarinus qui & ipse plurimum profuit ad Græcarum literarum cognitionem. Accessit deinde vir præstans ingenio & doctrina Ioannes Aurispa, Nico-*

colai procuratione. Tum vltimus omnium Nicolai quoque opera ad nos adijt Franciſcus Philelphus. Nicolaus, vt Pocciantius ait, etſi nihil vnquam ſcripſerit, nullum opus docti viri ediderit, tamen vt erat incomparabili ingenij felicitate prǽditus, Coſmographus, Hiſtoricus, & Philoſophus inſignis ipſa natura ad inueſtiganda grauiſſimorum authorum monumenta quaſi deperdita & ad reuocandas in Italiam longo poſtliminio Grǽcas literas quaſi emortuas eſt progenitus. Quod quomodo prǽſtiterit Pocciantius ipſe fuſius proſequitur. Non defuit attamen pro corrupta quorundam illius ǽui conſuetudine, qui turpem profectò inuectiuam (quam nauſeabundus ad bonum finem perlegi) flammis quam luce digniorem impotentis animi partum in eum euomuit rectius, quam edidit. Erat Nicolaus & bonis, & eruditis viris, ſic Alberto noſtro amicus, ac propterea Poggij in Religionem opprobria, ad ſe miſſa confeſtim ad Albertum tranſmiſit, quamuis vel ab ipſo Poggio vel aliundè priùs allata, quǽ cauſa fuit, vt Albertus viciſſim ſua ad Poggium reſponſa Nicolao cum alijs ſuis remiſiſſet.

Nota II.

Idibus Septembris. Hinc habemus hoc anno 1422. Menſe Septembri Albertum Veronam auditum Guarinum, idque non Grǽcas tantum ſed latinas etiam literas profitentem acceſſiſſe qui annus ǽtatis Alberti fuit 37. illum Grǽcas literas à Ioanne Laſcaro didiciſſe refert Marcus Vliſſiponenſis: ſed Lucas Vvaddingus ab Emmanuele Chryſolora. At ipſe Albertus tacitis horum nominibus ſolum Guarinum Veronenſem, ſuum in vtraque lingua Latina, & Grǽca prǽceptorem profitetur. Ego verò quidquid de Laſcaro dicatur, cum Vvaddingo cenſeo, Albertum Grǽcǽ linguǽ rudimenta ſaltem à Chryſolora didiciſſe, in eaque proprio ſtudio, & capaciſſimo ingenio cum Nicolai Nicoli, aliorumque doctorum hominum conſuetudine in ea profeciſſe vt de latina prius notaui, idque penè à puero vt ipſe affirmat Epiſt. 20. Ad Guarinum autem ſe contuliſſe, vt vtriuſque linguǽ nitorem & copiam adipiſceretur; quod & ipſe ſignificaſſe mihi videtur, tum Epiſt. 3. vbi ſe eloquentiſſimo Guarino prǽceptore fretum, vt loquitur, Oratorijs verbis vſum fuiſſe fatetur, cum reliqua omni ǽtate mea, inquit, eis noſtratibus, & ſane vilibus me vti ſolitum tu optimè quidem noris. Quod tamen ſi ita cenſes, vt me ſiue is doctiſſimus ſanè vir erudierit, ſiue ego flumen ex eo eloquentiǽ vſque adeò mea ſtudioſiſſima diligentia hauſerim, vt tanta mea induſtria dicendi copiam atque elegantes grauium verborum ſententias me comparare potuiſſe tibi perſuadeas; ego ſummo illi Principi gratias agam à quo tam egregio ingenio prǽditus ſim, vt tanti ǽſtimari tuo iudicio poſſim. Et hac ipſa Epiſtola 6. nam cum ego ad Guarinum noſtrum Grǽcǽ & latinǽ eruditionis fontem pro illius mira doctrinarum copia ebibenda Idibus Septembribus Veronam proficiſci conſtituiſſem, & Epiſt. 8. vt illius viri clariſſimi doctrinarum, maximeque Grǽcarum vbertate ditaret. Aliud enim eſt libare doctrinam, quod prius fecit, aliud doctrinarum copiam ebibere, & vbertate ditari, quo apud Guarinum conſummatus euaſit. Quod Grǽcas literas attinet id mihi nimium difficile videtur, vt niſi eas prius didiciſſet, potuiſſe eum per non integros decem menſes, hoc eſt ad Kal. Sextiles anni ſequentis per quos non ampliùs Veronǽ Guarinum audiuit, illam eius peregrinǽ linguǽ perfectionem conſequi, vt Grǽci illum in Concilio Florentino dicentem in Grǽcia natum crederent: cum ergo per ǽtatem & loci commodum potuerit Chryſoloram Florentiǽ docentem audire, dicendum cenſeo id factum, ac poſtea vtriuſque linguǽ eloquentiam à Guarino hauſiſſe: nec me moratur de cǽteris Alberti ſilentium, qui ſub Guarini ferula hǽc ipſa ſcribebat, & aliorum ſtudia cum Guarini coronide comparata non ǽſtimabat. An propterea dicendum exiſtimabimus Religioſum Clericum ab adoleſcientia profeſſum, & ſacerdotem ǽtatis annorum triginta ſeptem acri ingenio, doctrinǽque auidum, nullum vnquam ſeu La-

Latinæ, seu Græcæ linguæ præceptorem audiuisse? Maneat ergo Chrysoloram Græcè & alios Latinè docentes audiuisse: sed vtriusque linguæ verba Rhetorica, & copiam atque elegantes grauium verborum sententias, vt loquitur, à Guarino sibi comparasse.

EPISTOLA VII.

ANTONIO FLORENTINO.

ARGVMENTVM.

Iulianum adolescentem, de quo primam Epistolam scripsit, cuiusque maximam curam gessisse videtur, in Antonij contubernio esse gaudet, eiusque salutis curam & adolescientiæ custodiam illi obnixe commendat.

NVper mihi renunciatum est, Iulianum nostrum apud te esse, qui sit cæteris cum fratribus Patauij pro studio augendo moram facturus. Quæ res quam gratissima mihi fuerit, sane dicere non possum. Hoc tamen te scire volo, longè abundantissimè, plus me de illius istic tecum mora gaudij accepisse, quam tristitiæ ac doloris, qui profectò maximus fuit, de illius mora Venetijs acceperam. Quare si quid ego vel gratia vel authoritate apud te possum, illum omnibus in rebus, quæ saluti suæ conducunt velut me ipsum commissum habeas velim: scis enim in ea pubescentis adolescientiæ ætate, campus vitiorum quàm latè pateat, quamuè illius conditio magnis exposita periculis nutet. Quæ quidem omnia sollicitudine, consilio, opera, ac studio tuo, qui, vt spero, diligentissimè erga eum inuigilabis, adolescentem nostrum, cui bona quæq; exopto, Christi comitante gratia, euasurum esse confido. Maximum beneficium mihi præstiteris, Antoni mi iucundissime, si huic in illum honesto meo desiderio non defueris. Vale ex Verona 1422.

EPISTOLA VIII.

NICOLAO NICOLI.

ARGVMENTVM.

Albertus mentem ac desiderium suum adeundi Guarinum, ad Græcarum præsertim literarum vbertatem ex illo comparandam aperit Nicolao, ipsius sententiam amicè petit. Guarinum deinde eiusque docendi studium, suauitatem, artificium, patientiam & laboris fructum discipulorum copiam & eruditionem laudat: vtilitates denique Græcæ linguę addiscendæ exponit.

Idi-

IDibus Septemb. cum *poſt reuerſionem è Florentia, ac reliqua Etruria*, (1) Patauium (diebus aliquot primùm in itinere prorogatis) me contuliſſem, de ſolicitudine mea, quod ab imperitiſſimis, neſcio quibus, commoda præſtantium ſtudiorum mihi prærriperentur; quodque ſumma auiditate eruditiſſimum Guarinum viſendi, velut immenſis tùm ardoribus tùm verò angoribus cruciarer, longiſſimas literas ad te dedi. Statueram equidem, vt ad te ſcripſi, ſententia quidem tua, quæ mihi ſemper exiſtimationi maximè ſane fuit, Veronam quamprimum poſſem, omnibus poſthabitis proficiſci; vt illius viri clariſſimi, & amicitia fruerer, quam in ſummam beneuolentiam prouenturam non dubitabam, & doctrinarum, maximeque Græcarum, vbertate ditarer, quæ poſt omnes ſtudiorum labores, quos in eis conſequendis perpeti oportere non eram neſcius; cùm magnæ voluptati tùm incredibili fructui eſſe poſſent. Quæ profectò cogitatio, atque ſpes, & beneuolentiæ ad amicitiam, & ſolertiæ in me illius ad eruditionem comparandam, poſteaquam virum illum conueni, haud quaquam feſellit opinionem meam. Talem profectò, mi ſuauiſſime Nicolaë, illum erga me indies experior, cui neque in docendo benignitas, neque in me perferendo vllum patientiæ genus deſit. Ita enim rei nouitas, ac difficultas peregrinæ linguæ ediſcendæ me mouerat, & quod eius amaritudo, quæ felle aſpergebat omnes græcas ſuauitates, ita deſperatio me fortiſſimè perterruerat, vt mihi de futuro penè prorsùs diffiderem; cum primùm ita vehementiſſimo labore me grauari cernebam. At verò contrà, humaniſſimus Guarinus, & in me releuando, & concitando, quam ingentibus calcaribus vteretur quis dixerit? Artificium enim ingens illius, quo illas, de quibus loquimur, græcas literas facilius omnes diſcipuli ſui imbiberemus, mira cum arte adhibuit. Tolerantiam deinde ad nos rudes futuros græculos ferendos, apud illum cum fortiſſi ma patientia vidimus, facilitatem poſtremò eius viri: cum quemquam è diſcipulis aduerſus græcum ſtridorem ſtomachari conſpiceret, tam ſingularem ego ipſe expertus ſum, vt ob hæc omnia nemo dumtaxat ex ſæculi hominibus, neque illo maior, quantum attinet ad rem iſtam, neque par, ſi quod valde pro illorum virtute animi opinor huius temporis eruditi ferant. Hac enim noſtra ætate inter latinos, ne dicam inter gręcos, hoc in genere eruditionis, mea quidem ſententia, nemo aptior, nemo liberior, nemo ſolutior, liberalior, doctior eſt. Mentior ſi non re ipſa vera, quod dico in dies cumulatiſſime comprobatur. Quis enim ęque, vt Guarinus noſter, Nicolaë chariſſime, vt tu optimus teſtis es, gregem quidem ob copiam, ſed tamen egregiorum diſcipulorum, nobis ex omnibus doctis, labore literario, in Italia pepererunt? Taceo complures, cum de viuentibus, tùm verò multò magis de his, qui mortem, vt ſpero bonam, iam diutius obierunt. Franciſcum tantummodò Barbarum, Leonardum, Iuſtinianum, Andream Iulianum, doctos viros, & nobiles Ciues Venetos, prolem Guarini ad eruditionis præſtantiam capeſcendam, ne diutius immorer, commemoraſſe ſufficiat. Multa pręterea

terea

terea dici possent de hac vna re, cum sit locus amplissimus: sed ego interim omisis Guarini laudibus, quas verbis consequi non possem, ad me redeo. Bono animo sum mi Nicole ad has literas Græcas comparandas, cum ardore animi, ac semper imprimis propitio Christo, tùm verò ipsius Guarini continua instantia, atque fortissima validissimarum illius rationum, extorquente persuasione, nedùm à nobis impetrante quod cupit, vide quomodo mihi surrepit, vt quem obmiseram rursum loquenti se offerat, & de quo loqui cessaueram is ab integro diligenti occurrat; sed hoc habet amor, vt quem dilectum silentio præterire constituit; de eo non possit, vel interrupto ordine sermonis, non loqui, præsertim cum castissimis integrorum hominum officijs superatur. Is enim in dies ante oculos omnibus ponit, quàm sit honestum hoc genus occupationis, quo auocamur à vitijs; quam periucundum, cum ipsa veritas eruditionis, digna libero homine oblectet mirum in modum animos, at contra ignoratio semper excruciet, quam denique sit vtile futurum, non nobis solis, tum ad maiorum scripta aptius capescenda, tum ad sacrarum literarum, quas quisquis est Christianus, toto animo amplecti, meditari, diligere, venerari, colere, ac tueri debet, & eruditionem facilius comparandam, verum etiam Christianis omnibus, tam mediocribus, quam præstantibus. Quibus nos ipsi, & viuentes verbis consulere, & morientes scriptis nostris relictis in quibus viuimus, semper adesse, ac postremum iam mortui, atque excellentissimis præmijs, apud summum, piumque donati bene, beateque semper, non solum viuere beatissimam quidem vitam, sed etiam suauissima, atque æterna deuincti in Cœlis societate casti, frugi, pudici, sobrij, iusti, fortes, prudentes, sani, pulchri, læti, pacati, & alacres, & quod est longe præstantissimum; summa fęlicitate, beati tandem aliquando conuiuere mereamur. Cum iuxta propheticam sententiam, *ij qui ad iustitiam erudiunt multos, sint quasi stellæ, in perpetuas æternitates futuri*. Tu ergo mi Nicolae, cum idem sentias, si me sponte currentem, tuis literis ad hæc adiumenta sapientiæ, Græcas dico literas conquirendas, concitatiorem fore, tuo grauissimo iudicio censes, id quam primum conficias, oro. Impertiet enim hæc tua dilgentia mihi vel hoc vnum, vt si quidem ad id Negotij non fiam auidior, cum profectò incredibiliter ardeam, nequaquam tamen ad præclara studia fiam remissior. Quod certe non firmis animis solere accidere non semel sed sæpe numero vidimus. Vale ex Verona 1422.

N O T A.

Post reuersionem è Florentia, & reliqua Etruria. Reuersio hæc indicat, Authorem prius Paduæ vixisse, fortassis in studijs Theologiæ, Collegij Sancti Antonij, quæ etiam imperitissimos quosdam sibi præcepturos metuebat, vt proinde immensis ardoribus, angoribusque se cruciatum quereretur.

Res

Res eſſe potuit, vt Albertus in illo inſigni collegio Patauino Sancti Antonij ſcholaſticæ Thelogiæ auditor eſſet, & per æſtiuum tempus intermiſſis ſcholis, parentes, & amicos, Florentiæ & per reliquam Etruriam inuiſiſſet, reuerſus autem Paduam, detexiſſet aliquos minus idoneos, qui alijs medijs, præter merita commoda præſtantium, vt ipſe loquitur, ſtudiorum ipſi præriperent. Vnde ipſius ſollicitudo, & angores; vel certe intelligit ſtudia, quæ apud Guarinum ardenter cupiebat, à quibus aliqui ſimplices, & imperiti, ipſius regularis obſeruantiæ, alias boni, & deuoti zelo, vt credebant, bono (quod ante tetigimus) ipſum impedire cupiebant, vnde hinc inter ardorem deſiderij, & angores impedimenti cruciabatur, ac proindè à Nicolao viro erudito, prudenti, & amico conſilium, & ſolatium optabat.

EPISTOLA IX.

GVARINO VERONENSI.

ARGVMENTVM.

Albertus, vt Franciſcum Barbarum, & Bernardinum Senenſem conueniret, Veronâ Taruiſium digreſſus eſt, ibique benè habitus vtriuſque amicorum ſuaſu ſtatuit Bernardinum prædicantem ſequi, quem hic fusè laudat: Huius conſililij ſui rationem Guarino præceptori reddit, & ipſi & Græculis, vt vocat, condiſcipulis ſuis humaniter valedicit.

CVm *Septimo Kalendas Sextiles iſtinc abijſſem,* (1) humaniſſimum Barbarum noſtrũ, digniſſimumque Prætorem, atque ætatis noſtræ apoſtolicum virum, clariſſimumque Chriſti oratorem Sanctum mei ordinis Fratrem Bernardinum viſendi, & vtrorumque dulciſſima conſuetudine fruendi gratia, Taruiſium me me contuli. *Quorum eruditorum, ac præſtantiſſimorum hominum,* (2) & familiaritate, & conſortio, ita abundè, ità cumulatiſſime vſus ſum, vt voluptatem, quam ex te mi Guarine egregiam, atque honeſtiſſimam capere ſolebam, ſalubrium ſcilicet doctrinarum, & iucundiſſimæ amicitiæ tuæ, cum me tibi amicum, quam diſcipulum dici malebas, per illos mihi in animo conſeruari, redintegrari, & augeri ſententiam. Quo circa Bernardini conſilio confirmatus, ad quem pro vitæ integritate, ſumma fide afficior, optimum factu cenſui, ſi eum virum imitatus, quo pergeret, quouè illum dux eius Chriſtus deduceret, vna ego ab illo erudiendus, vel menſes aliquot proficiſcerer. Quam ſanè rem eo liberiùs, atque iucundius, perficiendam aggredior, quæ & honeſtiſſima eſt, ac magnopere conducibilis, & eam ſuauiſſimo Barbaro noſtro plurimum probari intelligo; tu ſi idem ſentis, idque mihi ſignifices, nouum calcar grauiſſimo iudicio tuo, mihi adhibiturus es, quamquam ſatis exploratum habeam, hac de re, cum tibi ſcribendum eſſet, tua ſententia quid decerneres, maximè verò, cum illius item ſententia, res ea mihi, de qua loquor, admodum per-

persuasa sit, à quo ne in maximis quidem rebus, te facile dissentire solere, certò equidem scis: Vellem mi Guarine otium mihi concedi, & eloquentiæ non minimam partem, vt scribendo, vel mediocriter consequi possem, quam disciplinam honestandæ vitæ, quam morum probitatem, quod magisterium virtutis, quo se ipsos homines conseruare, ac tueri possint, in dies homo integerrimus & meæ religionis, vir sane egregius, Fr. Bernardinus noster, & sapienter, & discretè præcipiat. Quis ardor, Iesu bone, quibus viribus, quę iucunditas, quam splendidissimè, quanta luculentia, viuax illud ingenium, prorsus diuino munere donatum, audientes, & viuacissimè construxit, & ornatissimè oblectauit, & vehementissimè sæpè perterruit, vt etiam doctissimis viris, cum de pudicitia, ac iustitia, de pudore, de religione, de pietate, de continentia, omnique genere virtutum, eum flagrantissimè, ac mira τῶν παιδῶν doctrinarum veritate orantem audiuerint, tantæ admirationi sit, vt nullis propè magis existiment opus esse magistris viuendi, quam sibi, qui in earum rerum disputatione versentur. Tanta præterea vi, in iracundos, cupidos, libidinosos, proteruos, ac reliqua vitiorum genera pertonat, atque inuehitur, & cum res ipsa postulat, tanta facilitate blanditur, vt nullos penè, neque pecuniæ cupidos, neque inani gloriæ deditos, neque libidini adiudicatos, ad virtutem comparandam, non summa auiditate, summo ardore impellat; ab illo siquidem vno, qui sit ita moratus, ita animo, ac vita institutus, vt ratio postulat, quique disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ existimet, qua aliorum saluti rectissimè consulatur, qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis, ac verbis cum vita congruentibus, ab illo tanquam præstantissimam, verissimamque doctrinam, omnes sibi velut ex Summi Principis nostri de latissimo fonte manantem dari non dubitant; quam sanè magistram vitæ, beatæque vitæ profectricem, haud dubium arbitrantur. Sed in præsentia de his satis. Non vereor Guar. carissime illa tua fretus humanitate me tibi oneri fore si abs te postulem, vt condiscipulis meis, & te scilicet præceptore nobis clarissimo, & Christi charitate germanissimis græculis meo nomine salutem plurimam dicas, ad quos nunc mearum aliquas procul dubio dare non possum. Iacobum meum veritatis fratrem mihi dulcissimum oratiunculam meam quam de Corpore Christi, vt scis *ad populum Veronensem, anno superiori habuimus* (3) obsecro petere non graueris: quam mihi purissimis digitis suis, se scripturum sponte sua pollicitus est. Quod si eam absoluerit, solita spe te oro, vt Patauium illam ad Gasparem nostrum Cornelium mitti facias, à quo facile eam mihi reddi posse confido. Postquam Bernardinus Feltrensibus, ac Bellunensibus prædicarit, ad quos postridie proficiscemur, tum quam primum *Florentiam versus ire pergemus* (4) Tu igitur si quid me authoritate illic apud quempiam tibi amicorum, ac familiarium, pro te fieri voles, tuis literis, quas Gaspari ad me perferendas dabis, quasque summa auiditate expecto, me facies certiorem. Quantas tibi & quales Bernardinus salutes, per has meas dici velit, quamue te plurimum

rimum

rimum valere optet, atque exoptet, vt suo sensu cupit, ita meis verbis dicere non possum. Vale colende mi Praeceptor. Taruisij 4. Nonas Septembris 1423.

N O T AE.

Nota I.

Cum 7. Kal. Sextiles istinc abiissem. Ex Epistola 6. & 8. nobis constat Albertum Idibus Septembris anni 1422. Veronam ad Guarinum audiendum accessisse, ex praesenti autem Epist. 9. habemus eum 7. Kal. Sextiles anni 1423. ab eo recessisse, ita vt totum tempus Veronensis discipulatus ipsius sub Guarino fuerit à die 13. Septembris superioris anni, vsque ad vigesimum sextum diem Iulij anni subsequentis, quae conficiunt decem menses, ac dies circiter tredecem. Quo tempore an tam consummatam Graecę eruditionis copiam ebibere, & vbertate ditescere potuerit, nisi aliquid prius didicisset, iudicent qui illius linguae discipuli, magistrique fuerunt.

Nota II.

Quorum eruditorum, & praestantissimorum hominum. Francisci Barbari, & Bernardini Senensis. Albertus à Guarini schola recessurus, & sequuturus praedicantem populis Bernardinum, hic incipit consilij sui causas aperire, ac primum quod honestissimam voluptatem eruditionis, & amicitiae, quam ex Guarino percipiebat, per Barbarum, & Bernardinum sibi in animo conseruatam, redintegratam, & auctam senserit. Quod vtriusque consilio transmigraret. Quod Bernardini sequela, & in populis erudiendis imitatio, res honestissima, & maximè conducibilis esset, quam rem Bernardini exemplo, & vberrimo sermonum eius fructu, demonstrat, de quibus copiosius Lucas Vvaddingus tom. 5. ad annum 1405. n. 3. & seqq.

Sed à Bernardino ad Franciscum transeo, neque nota indignum existimo, ipsius exemplo, veram amicitiam non esse, vel perpetuam esse debere, nec increpationibus facile violari, vt longo Francisci silentio in Alberto violata non fuit, quin eo magis exarsit, vt eultum eius exigendo per binas literas, quas dedimus, Franciscum increparet, argueret, reprehenderet, & vix non re ipsa Barbarum vituperaret. At Franciscus his minimè offensus, non modò non deseruit Albertum, quin potius hoc ipso teste, amicitiam pristinam animo conseruauit, & vbi amico vtile redintegrauit, & auxit, sciebat eruditissimus Barbarus, amicas increpationes, amicitiae partes esse. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere*: Eccl. 19. nec Albertus neglexit praeceptum Domini, sciebat vterque *melius esse, à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi*. Ecclef. 7. & id sapienter tolerauit Franciscus: verùm quia sciebat etiam docente Plutarcho tria ad amicitiam requiri, virtutem vt pulchrum, consuetudinem vt iucundum, vsum, vt necessarium, in lib. de amicorum multitudine, ideò quod minus est, occupationibus impeditus, distulit iucundum, & quae maiora, amorem erga Alberti virtutem, & vsum occasione exigente, promptum animo conseruauit, redintegrauit, & auxit: quod & Hieronymus ad Paulinum posse, imò ac subinde debere docet: *Vera illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non praesentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio: sed Dei timor, & Diuinarum scripturarum studia conciliant*; distulit ergo praesentiam corporum, literarum commercium, quo absentes praesentes fiunt, caetera conseruauit, redintegrauit, & auxit.

Guarinum verò in Francisci Bernardi-

dini, & Alberti sententiam concurrisse, postea monstrauit, cum, vt in vita diximus, Ferrariæ senex vt Albertum dicentem audiret, & discipulos suos ad id ipsum concieret, dicere soleret, audistis theoriam, eamus nunc auditum praxim, quasi dicere vellet eloquentiam, quam theoriam vocabat, vt medium tantum praxi, seu sacro sermoni vt fini subseruire, ac proinde illa eos vti, hoc frui debere quod Albertus Bernardinum sequendo facere constituit.

Nota III.

Quam ad populum Veronensem anno superiore habuimus. De tempore, & loco quo illam orationem, de Corpore Christi habuit, vide vltimam notam nostrâ ad ipsam orationemsupra.

Nota IV.

Florentiam versus ire pergemus. Hoc est postquam Bernardinus Feltrensibus, & Bellunensibus prædicaret: sed ex sequenti epistola clarum est, ipsum Mutinensibus interim prædicasse eo fructu, qui in ipsa epistola narratur.

EPISTOLA X.

MARCHIONI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Albertus impositum sibi populis tam Christianis, quàm barbaris prædicandi munus: idque post Idus Nouembris apud Mutinenses Marchionis subditos auspicatum se fuisse narrat, deleuisseque in ea vrbe perniciosas Guelforum, & Gibellinorum factiones, & pacem ciuibus persuasisse. Quæ vt perennis esset, Principem ex ipsorum ciuium desiderio hortatur, vt sua ipsis authoritate adesse vellet, & fomentum factionum è medio tollat, eosque, etiam inuitos, in pacis studia cogat. Deinde in ludorum pestem, & longam vitiorum cateruam, quam in Reipublicæ perniciem post se trahunt, grauiter, & ardenter inuehitur, obtestaturque, vt illam, tum ex hac ipsius ciuitate, tum alijs ditionis suæ locis propulset, eradicet, & funditùs euertat. Hinc Brandelisium Mutinæ Prætorem Equestris ordinis clarissimum virum, tum ob ipsius propria merita, tum ob eius in ipsum humanitatem, dum Mutinæ concionaretur, Principis fauoribus enixè commendat.

NIhil mihi vnquam, clarissime Princeps, in omni genere literarum iucundius obtingere solet, quam cum eam, quæ modo tribuitur, etiam apud Barbaros, nedum apud Christianos nobilissimam occasionem sæpè mihi præberi conspicio; quæque & Summo Deo gratissima est, & aliorum saluti admodum conducibilis. Accedit ad gratiam, quod ego nunc ad te scribo, quem pro religione nulla sane pars honestatis magis decet, quam omnium vtilitati consulere, & ad te talem virum, mihi profectò carissimum, & amicissimum, hisce de rebus

bus

bus literas meas do : cuius quod ad Principum clementiam attinet, nihil neque humanius, neque aptius intereſſe exiſtimo. Hæc idcirco dixerim, vt intelligas primùm quantum te amem, qui cum primas mearum ad te dare conſtituo, eas ita rerum naturâ tibi gratas futuras cenſeo, ſcio enim quantum rebus magnificè geſtis gaudeas, vt nihil à me ſatius dici poſſe exiſtimem : deinde quantum tuos Mutinenſes diligam, quibus eum tui, & eorum, tùm Chriſti noſtri amore, quantum ad mores inſtituendos adiutus ſum, in nullo defui. Nam cum Pridie Idus Nouembris eò me contuliſſem, quod tibi gratum, eis vero mirum in modum vtile, & quod his maius eſt, diuinis præceptis admodum conſentaneum, rectiſſimè credidi, ad eas factiones, quas ſuo more *Guelfos*, *Gebellinoſque* (1) nominant delendas, ac funditus ex animis euertendas, eis quas Chriſtus tribuit in dicendo viribus, flagrantiſſimum animum intendi. Cumque omnes, quanta ſit ea peſtis animorum, poſt aliquot dies aperta luce intellexiſſent, me ſuadente, ſed Dei maxima gratia factum eſt, vt à cunctis miro animi feruore, eis Diaboli diſſentionibus renunciaretur. Habita deinde ad eos de pace ſeruanda oratione, tanta animorum concordia deuincti ſunt, vt & nomen ipſum omnium diſſentionum ſublatum ſit. Verum quo plenius eҫpta animo concordia potiantur, eo animo ſunt omnes, vt ſi tu eis tua authoritate adiumento eſſe voles, fomentum ipſum omnium factionum è medio prorſus auferant. Quanta ſit iſta vis charitatis inter Chriſtianos, quæ ſeruata te plurimum regendis longè ſecurius populis adiuuet; non dubito quin intelligas, quam ſi exemeris ex natura rerum, nec vlla domus, vt ait quidam, nec vrbs ſtare poterit, nec agri quidem cultus permanebit. Quæ cum ita ſint, non modo te hortari, verùm etiam magnopere obteſtari velim, vt hanc amicitiæ coniunctionem inter populos, omnibus rebus humanis anteponere velis. Nihil eſt enim tam naturæ aptum, tam conueniens ad res ſecundas vel aduerſas. Ego ſi quid iudicij habeo, ita nos eſſe natos perſpicere mihi videor; vt inter nos ſocietas quædam ad virtutes comparandas, & perpetua beneuolentia conſeruetur. Quamobrem per Domini noſtri charitatem te vehementer obteſtor, vt quod te ſumma cum ſpe poſcere minimè vereor, ne illorum optimis ſtudijs deſis, mihi concedere non graueris, quin potius ſolita beneuolentia tua in me, illud tua authoritate Mutinenſibus tribuas, vt in ea re honeſtiſſima, tuo illos fauore, tuis adiumentis ſponte currentes adiuues, quo ſi etiam inuitos in hæc ſtudia cogeres, maiore apud Deum præmio donareris. Deſino plura de hoc loqui, ne & tibi diffidere videar, & compluribus negocijs occupato oneri ſim. Illud ſolum adijcio, me etiam de rebus maximis, & te Principe dignis, vt ſpe adducor, apud te poſse vſque adeò audere, vt non minus tibi perſuadeam, atque te orem, quo peſtem illam ludorum, virtutum omnium voraciſſimam, tum ex hac tua, de qua loquor, ciuitate, tum ex omnibus omninò propulſes. Cuius ſummam inſaniam, & ſerpens latè virus, cuiuis tenuiter docto hinc facilè animaduerti poſse exiſtimo, quod hiſce deteſtabilibus, ac

Diaboli

Diaboli turpissimis ludis eos, qui illorum frequentia coalescunt, & educantur, omnis iniquitatis procul dubio effici filios lucidissimo perspectu in promptu est, quod quotidie peierantes Deum ab se depellunt, & immani quaestu, si quando prosperantur, gulae, luxuriaeque deseruiunt, facinorosisque rebus facillimè assentiuntur, atque eo cęcitatis, eo hebetudinis demerguntur, vt cum omni malorum generi dediti sint, vel sibi de tantis malis blandiri alios, vel ipsi alijs adulari non erubescant. Itaque illustrissime, & amicissime Nicolae, ex his populis in quos tibi à Deo & potestas praebita, & cura commissa est; hoc genus mali sanè immane, & turbulentissimum eradicare, funditusque euertere non retardes. Quod quidem ita Maiorum nostrorum iudicio, sententia, & ratione perniciosum est, vt inde homines, rapiendi cupiditate exaestuantes, vi ac fraude, dum vter vtri applaudit, proditoria collusione se nudent, & charitate in Deum, proximosque rescissa, insania & belluarum immanitate furentes, ferro saepè se trucident, & ò rem crudelissimam, blasphemias in optimum Deum, in Christum ac pudicissimam Matrem eius, in Angelos, Sanctosque omnes, ore illo vipereo ingerentes, non absint ab haeresi, qui Deum, Rectoremque Mundi, & omne Coelum perditissimis, quod ipsos attinet, contumelijs replent. Hinc boni dolore afficiuntur, hinc iuuentus omnis nefaria colluuione violatur, & frangitur, dum & animam eo veneno inficiunt, vt corpus, omnemque pudicitiae castitatem, honestatem, pessimo perditorum hominum contubernio, cunctis malis addicunt. A quibus profectò nefarijs hominibus, ipsi addiscentes, vel cum non habent, quas cupiunt, pecunias, ludorum gratia, aetate teneri in vitia praecipites ruunt, vel latronum, furumque more, furtorum & rapinarum crudelitatibus se ipsos adiudicant: seque omni funditus euersa virtute scelestissimorum hominum, pellicum, sicariorumque obscenis admodum moribus penitus dedunt. Quo fit, vt eo vsu, ab eis vitium omne virtutis loco habeatur, diligatur, colatur, & ea cęcitate capti, coeterorum deindè corruptores, solo sint apti suspendio. Tu ergo cum non ignores, nihil esse praeclarius, nihil magnificentius, optimo & clementissimo Principi; quam si pro virtute, & sibi & caeteris diligentissimè colenda, cum est opus, in eos qui refugiunt Catoniana censura, imò Christiana seueritate vtatur, magno animo aggredere, & hoc ingens malum, hanc pessimam labem ex finibus perturba, vnde & qui non resistunt, cum possint, & qui adminicula praebent, & qui inde gaudent, vel ditantur, vel suo malo inopes fiunt, omnes aeterno interitu, nisi inde se abstinuerint, & satis omnibus fecerint, ingentibus poenis, dignisque cruciatibus, à Deo plectentur. Vellem latiùs tanti mali indignitatem, & sceleris magnitudinem prosequi: sed cum mihi in praesentia minimè vacet, & apud te nimius esse nolim, de his me iam multum dixisse, volo mihi videri, cum tamen pro rei indignitate, ne satis quidem disseruisse me arbitrer.

Verum, siquidem vita suppetet, me coram de his rebus tecum alias loquuturum confido. Optimum, &

cla-

clariſſimum Brandeliſium, Prætorem Mutinenſem nobiliſsimum, Equeſtris ordinis virum, pro virtutibus, quas in eo deprehendi, non habeo quibus dignis præconijs illum apud te efferam; hic profectò, meo iudicio, prudens, & magni animi, & quod his omnibus maius eſt, virtutum integritate maxima præditus, cum Mutinæ prædicarem, tanta me humanitate refouit, tanto in Dei verbo fauore, & adiumento me proſequutus eſt, immò Chriſtum Dominum honorauit, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit*; vt & illum Dei timore fretum eſſe claruerit, & te rectiſsimè in Chriſto gloriari conueniat, qui tanto orneris homine, cui & conſtanti, & iuſto, & graui, & fideliſsimo, tua omnia, teque ipſum liberè poſsis eredere, quaqua verſum omni ſuſpicione abiecta. Hunc ego, ni fallor, talem, vt dixi, virum, ea fiducia, quam mihi tua humanitas præſtat, etſi ſuo merito charum, chariorem hac mea commendatione eum fore confidam, & optem, & ſummopere abs te poſtulo. Vale *ex Bononia* (2) *Idibus Ianuarijs* (3) 1423.

N O T AE.

Nota I.

Guelfos, Gibellinoſque. Quam perniciosæ fuerint iſtæ factiones, tam famigeratæ ſunt in illorum temporum hiſtorijs: ſed, quam multi deſiderant, illarum originem prodit Paulus Aemilius de geſtis Francorum lib. 7. in Ludouico IX. quem Eccleſia Romana ſanctum colit: pag. nobis 212. in fine, *vbi auorum*, inquit, *memoria, Siculus Rex Rogerius veritus, ne ſi Conradus Tertius Auguſtus in Italiam veniret, Regno ab eo pelleretur Cæſarum armis Siculorum dominatui ſemper infeſtis, miſſis in Germaniam Oratoribus, hoſtem Guelfonem, Bauariæ Ducem, in Cæſarem concitauit, belloque ibi conflato, ex Italia Duci, & ſuo, & vt viribus ſanctitatis ſpeciem adderet, Pontificis Maximi, cuius ſe beneficiarium profitebatur, nomine, ingentia miſit auxilia: cum his ſigna contulit Henricus Cæſaris filius in oppido Gibellino natus: quo etiam memoria natalium, velut gentilitio cognomine gaudebat. In hac igitur acie, Io Gibellino, in altera, Io Guelfo, clamabatur: eo bello exemplum memorabile coniugalis fidei mulieres ediderunt. Victor Cæſar, cum oppido capto in viros ſtatuiſſet durius conſulere, emigrare iuſſit mulieres, rerum ſuarum iure conceſſo, quantum quæque humeris poſſet, efferendarum. Flagrantiſſimus amor, & menti conſilium, & infirmitati robur dedit; viros exportarunt: hoc egregio dolo ſe captum, deluſumque Cæſare non indignante, victor etiam victum ducem in gratiam poſitis armis recepit, nomina tamen manſere, ac ex ea die ſeruatum, vt Guelfi Pontificum, Gibellini Cæſarum partes dicantur: ſed iam memoria prope exoleuerat: Federicus Siculus reſtituit, ac immortales peſtes eas effecit, quibus Italia, & vniuerſa, & ſingula propè ciuitates laborarent.* Ac deinde ſic inter alias Mutina, donec Alberti noſtri auſpicatiſſimæ prædicationis initio liberata fuit.

Dimidium facti qui bene cœpit habet.

Nota II.

Ex Bononia. Hinc colligo Albertum, vt ſuperiore Epiſtola Guarino promiſerat, cum Bernardino Florentiam iuiſſe, nam Bononia illuc via fuit.

NO-

Nota III.

Idibus Ianuarijs 1423. Hic fortè Albertus veteri ſtylo vſus eſt, quo prioris anni æra vſque ad diem 25. Martij non mutabatur, alioquin 1424. ſcribendum erat, ex huius enim, & præcedentis Epiſtolæ 4. Nonas Septembris datæ anno 1423. narrationibus manifeſtum eſt hanc illa poſteriorem eſſe.

EPISTOLA XI.

BARTHOLOMEO ALDOBRANDINO.

SCHOLION.

Hanc non ex Capiſtranenſi, vel noſtra Alberti Epiſtolarum codicibus excripſimus: ſed in alio noſtri ſcrinij variorum codice ſeparatim inuenimus: eſt autem familiaris, & amicum ad ſcribendum prouocat, non propterea inutilis, vt Notæ noſtræ comprobant.

ETſi mihi pro ingentibus occupationum moleſtijs nulla, ſuauiſſime Bartholomæe, neque te inuiſendi frequentius, neq; dulciſſima conſuetudine fruendi facultas conceſſa eſt; Tu tamen qui liberiore ſæcularium negotiorum aura, ne dicam procellis, iactaris, profectò abſolutum te putes nolim, quo minus literarum tuarum aliquid ad me des. Tametſi enim nobis ad dulcia, & conſueta colloquia tempus abſit, aderit certè mihi, vel inter ſomnos meos, literas tuas lectitandi per exiguum temporis ſpatium, cum ſuper ſoporati pectus dulcis tua paginula conquieſcet; dicas fortaſſe quales eas ſperem futuras: ego quidem quod ad credulitatem meam attinet, plenas ſuauitatis, plenas amicitiæ, beneuoliſſima charitate, quæ me non parum tanto onere leuabunt, illas fore optimo iure cenſuerim. Maximè verò ſi mihi verum officium præſtabunt. Præſtabunt autem, & cumulatiſſimè largientur ſi vera illa ſolidæ amicitiæ, libertate errata mea, de quibus inter nos alias, & ſæpe conuenimus, corrigas, emendes, ſeces, polias, tergas, exornes. Deficit. Vale *ex Sena* 1424.

NOTAE.

Nota I.

Nullius negotij Epiſtolam oppreſſum penè laboribus Albertum gratis ſcripſiſſe ne putes. Hic enim, nec paruus amicitiæ fructus eſt, & officium, vt qui verè amici ſunt, ij profectò per literas mutua recordatione, & bonorum pariter, malorumque ſuorum communicatione, ſe à moleſtijs, & mœroribus abſentes, tanquam præſentes, viciſſim eximiè recreentr, & conſolentur: nec fruſtra nos hanc Epiſtolam legimus, cuius exemplo, eiuſdem officij, fru-

ctuſque

ĉusque monemur, & pariter erudimur, insigni humilitate Alberti, qui scripta sua, non hac sola amicorum charitati tanquam amplioris eruditionis, & solidioris iudicij censoribus, corrigenda, emendanda, secanda, polienda, tergenda, exornanda offert, & vt id faciant, veri amici officium censet, & æstimat: similia scripsit Nicolao Nicolo cum suam ad Poggium religionis laudationem illi misit.

Nota II.

Ex Sena 1424. Hinc etiam in opinione confirmor, Albertum scilicet hoc tempore in Ethruria, non solum Florentiæ, sed & Senis, & fortassis etiam Sarthiani sui Bernardinum comitatum, & vt ipse ait, ingentibus occupationum molestijs, vt opinor in quotidiana, vel frequenti sanè prædicatione, detentum fuisse.

S C H O L I O N.

Hic hæreo ambiguus, an dicere debeam intercidisse nobis tot Epistolas Beati Alberti, vt anni 1423. non nisi duæ nobis supersint, & sequentis vna solummodo, ab anno verò 1424. ad trigesimum, per quinque continuos annos nulla: an itinere, & perpetuis dicendi laboribus præpeditum, nullas interea scripsisse. Certè ex ijs quas habemus, discimus claris verbis ipsum plures dedisse, quas non habemus. Discimus etiam aliquando scribere non vacasse. An idem nunc, vel quando alias acciderit, non scimus. Hoc sanè dolemus, plures ipsius ad alios, & omnes aliorum, ad ipsum nobis non suppetere, ex quibus heroicas ipsius virtutes, & acta præclara amplius ediscere possemus.

E P I S T O L A XII.

G V I L I E L M O C A S A L E N S I.

A R G V M E N T V M.

Posteaquam Albertus Magistrum suum, & prædicandi normam Sanctum Bernardinum ex Lombardia, Bononia, Florentiam, vt priùs notauimus, sub anni 1423. *initium comitatus est, hucusq; semper eum in Etruria hæsisse existimo. Nec enim eius vestigia interim alibi reperio, & se per præcedentes annos Tuscis prædicasse indicat Epist.* 20. *ad Nicolaum Nicolum, & quæ sequuntur huius anni literæ ferè omnes in Etruria scriptæ sunt, atque Bernardinum ipsum, sub ea tempora in Tuscia pacem Senensibus inter se, & cum Finitimis colendam prædicando persuasisse scribit* Orlandus Malauoltus initio lib. 2. partis 3. Hist. Senen. *Interea Ciues Viterbienses peste peioribus factionibus agitati, intestinis odijs, ac sæuis cędibus, se mutuo miserum in modum trucidabant. Igitur Guilielmus Casalensis, Ordinis Minorum Primicerius, illi Ciuitati compassus, Albertum ad eos ire iussit, vt*

quod alibi fortiter faciebat, eos efficacissima sua prædicatione ad pacem, & charitatem concieret. Albertus autem, ad omnem sui superioris nutum cæteroqui promptissimus, non imprudenter sanè, rem tunc importunam sibi; religioni, ac ciuibus discriminosam, optimis rationibus per hanc Epistolam dissuadet, & Casalensis, ijs ponderatis, iudicium, & voluntatem rogat, vt quid sibi denique faciendum foret clarius edisceret, vel ad Martyrium pro obedientia promptum se offerens.

ACcepi hesterno die literas tuas, in quibus, mea quidem sententia, rectissimè arbitraris, non modo tuarum partium esse, si laboranti, vt ais, Viterbiensi Ciuitati occurras, verum etiam operæ pretium fore, si mea opera ea Ciuitas ad concordiam reuocetur. Honestissima profectò hæc animi tui cura mihi videtur, suauissime Pater, & nihil ista tua diligentia salutarius, sed quantum ego sentio, mihi eo difficilius, quæ sit, *& dictu incredibilis, & factu impossibilis, quæque nec tentari sine metu, nec impetrari sine periculo, nec extorqueri sine temeritate possit* (1) ex quo fit, vt ego ipse, qui tibi, quo ad vita suppeditabit, parendum à me esse intelligo, non paruo angore, maiore dolore excrucier, dum, si non pareo, timeo tuæ suauitatis offensionem, si satis vero tibi fecero, vereor tui, mei, atque in primis Christi, & amicorum, ac totius nostræ religionis confusionem, ne dicam subuersionem. Quis enim, *vt breui cuncta complectar* (2) inter eiusmodi homines, nisi penitus amens, tutò se proficisci posse existimet: Homines inquam, non armatos, non togatos, non cordatos modo, sed furentes, dissentientes, proteruientes, atque intestina rabie insanientes, qui incitati furore, partium mortem vltro desperatiùs appetunt. Quis cum eis confligere audeat, qui non vnica cæde, sed frequenti se sauciant, qui non alienis, sed mutuis vulneribus concidunt? qui non antiquo, sed recenti sanguine madent, qui non extero, sed intestino, & vt ita dicam suopte bello pertinacius dissident? qui denique non modesto, neque digno libera ciuitate, aut forti homine, sed acri, atque agresti prælio, in morem ferarum in dies Vrbem cruentant. Tu ergo, qui me, ac si filium, pro tua in me humanitate iam diutius diligis, & ad me afficeris, ac valde, ego vero te colo, ac veneror.

Tu tu inquam Pater, tu me miserum, atque inermem, ad hosce homines animosos, qui odiorum facibus ardent iubes accedere: Qui forte me persuadente de pace, alioquin in ipso frequentissimo hominum conuentu se se ad discordiam potius concitabunt, nacta occasione tanto peiore, quanto pacatiore. Quid ni, dum enim alter alterum censebit vacuo animo, atque tranquillo esse, maiores vires accipiet audacia, ac *facile ero secundus ab eo, qui pro eadem causa fouet in præsentia carceres* (3) Quamobrem, vt cum venia tua loquar, & si plusculum quam deceat, non aliter tamen quam veritas habeat. Vide quid inferam, si tu me tutum futurum, ne dum illis pro-

profuturum, inter tot aduersa existimas, procul dubio multum me diligis; quia multum de me præsumis: sin verò minùs, certè nihil me amas, quia sine fructu ad apertam periculorum impudentiam, immò verò ad insaniam profundissimam, ac naufragia me impellis. Obsecro itaque præstantiam tuam per crucifixam mundi salutem, vt vel me tanto onere leues, vel si magis placet, *Pontificis hoc mihi iussione agi mandetur*(4). Tunc accedam lætus, hilaris, alacer, ac libens; neque verò est penes Pontificem Maximum res ipsa difficilis: maiora enim quotidie impetrantur. Tibi autem cum pro tua industria, ac prudentia, tùm præsertim pro tua dignitate, vel vt humilius loquar, pro tuo officio in nos, adhibitis etiam magnis ad hoc negotium adiutoribus perleue erit, perque facillimum. Habes ibi egregium Dominum *Cardinalem Bononiensem*, (5) quo cum alias de hac re ardua verba feci. *Amicissimus etiam mihi Poggius* (6) pro me ageret longè maiora, vt fide adducor, quia longe honestiora. Nunc quia me simul scribentem, ac dictantem harum tabellarij vehementius vrgent, & impugnant, festinantiamque mihi faciunt ingentissimam, his paucis finem facio, oro te ad considerandà diligenter, quæ dixi, animum adhibeas, atque haud insalubre remedium apponas: si verò solum tibi placeat vt vadam, idque tu mihi rescribére non grauaris: *ecce modo me ad Martyrium quasi proficisci existimans, ire iam pergam*, (7) si mihi pauperi vires suppeditarent opum, & non inopiæ, nunc ad te cursorem quendam dirigerem, vt essem de tuo animo certior. Nunc autem vt potero, non vt volam, efficiam, ac tuą rescripta in his regionibus præstolans ad quæcunque tua volet Paternitas, me accingam. Vale ex Aretio 1430.

N O T AE.

Nota I.

Dictu incredibilis, & factu impossibilis, quæque nec tentari sine metu nec impetrari sine periculo nec extorqueri sine temeritate possit. Hæc & quæ sequuntur ita fuisse credere nos cogit veritatis amor, & sanctimonia vitæ scribentis, vt recte intulerit: Vereor tui, mei, atque imprimis Christi, & amicorum, ac torius nostræ religionis confusionem, ne dicam subuersionem. Vnde elucet ipsius prudentia, qui & ipsum superiorem, & seipsum, & Christi causam, & Rempublicam, & Religionem leuirèr, vel temere, ex sola suasione superioris, absque præcepto obedienriæ, absque spe fructus, rauris malis exponere noluir ab Ecclesiastico doctus: *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam: Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam, & in fine narrationis dicit: Quis est hic?* Eccl.22.7.

Nota II.

Vt breui cuncta complectar, Coaceruat hic argumenta, ad ea quæ proposuit comprobanda, quæ & iustum metum, & pericula, & audentis temeritatem demostrant, vsque adeo, vt superior præcipere Alberto amplius noluerit, imò & suadere destitit, & sane euitare non poterat, quod sequitur.

Nota III.

Atque facile ero secundus, ab eo qui pro eadem causa fouet in præsentia carceres. Causam ergo huius incarcerationis habemus, quia nimirum ille suadebat Viterbiensibus concordiam, charitatem, & pacem, quam causam Albertus post eum agere iubebatur. Quis porro ille fuerit, vel per quos carceribus mancipatus, quamquam adhibita diligentia, discere non potui, suppono tamen factum ab ijs qui pacem oderant hominibus, videlicet factioso tunc animo perturbatis, quales dum affectibus furunt, efferantur, nec orationem admittunt, nec Deum, vel Dei Seruos, & Nuncios verenrur, aut audiunt, & quamquam in ciuili dissentione, communem Reipublicæ vtilitatem falso vtrimque prætexere soleant, nihil tamen non patrant eorum, quæ publicam piuatamque ruinam adferre consueuerunt, quo auaritiam suam, ambitionem, inuidentiam, odium, vindictam, aliaque vitia, publici boni cæco intuitu, vel ficto obtentu, potenter, impotenter exerceant. Quæ modo huius generis de Viterbiensium tunc temporis calamitate profert Beatus Albertus, publico ipsius ciuitatis suffragio comprobantur, in supplici libello quem in vita Sanctæ Rosæ nostræ Viterbiensis descripsit Petrus Coretinus, & Calixto III. Pontifici nomine Archipresbyteri, Canonicorum, & Capituli maioris Ecclesiæ, atque Priorum populi, & communitatis ciuitatis Viterbiensis, Abbatissæque, & sanctimonialium conuentus, & Monasterij ordinis S. Claræ, vulgo dicti S. Rosæ, obtulerunt oratores duo, ipsius ciuitatis, aliorumque superius nominatorum ad id specialiter legati, vt eiusdem S. Rosæ Canonizationis causam promouerent. In eo enim libello narrant, illam causam S. Rosę, per multos annos à morte Alexandri IV. Pontificis impediram fuisse, infelicitate temporum, & calamitate ciuitatis Viterbij, iterumq; sub Eugenio IV. ob negligentiam eorum, quibus res incumbebat, & ob malam qualitatem accidentium, quæ superuenerant (atque hæc sunt ea, quæ clarius exprimit Albertus) ac iterum sub ipso Calixto propter noua infortunia, & miserias afflictæ ciuitatis, & grauissimas seditiones eiusdem, vt iam appareat non modo quam sæua, & grauis, sed etiam quam diuturna, indurata, & inueterata fuerit illa seditio Viterbiensium, nimirum à morte Alexandri IV. (aut forte prius) qui obijt anno 1261. mense Maij vsque ad Pontificatum Calixti III. cui ille supplex libellus oblatus est 1456. vt vndequaque clarum sit, B. Albertum non sine graui causa, & prudenti consideratione, censuisse pacis prædicationem, præsertim sub Eugenio Pontifice, non modo inutilem, sed etiam periculosam fore, dum ciues inueterato odio, & præsenti cæde, in se mutuò sæuirent.

Nota IV.

Pontificis hoc mihi iussione agi mandetur. Tunç inquit, accedam lætus, hilaris, alacer & libens, sed cur etiam non iussione ipsius Ministri Generalis ordinis? Quia Generalis nondum præcepit, & si præcepisset, non tanti à furibundis ciuibus æstimaretur. Nec Albertum ab eo missum magis venerarentur, quam venerati sunt alterum, qui eodem tempore ob eandem causam carceres fouebat. Quia Pontificis erat Ecclesiastici status paci prouidere. Voluit ergo Pontificis authoritate fulciri qua ab ipso offendendo deterrerentur, & si quid auderent, compescerentur; vt etiam in Apostolico Pontificis Breui monerentur, Albertum pro ipsorum communi bono accedentem charitatiuè suscipere, & libenter audire. Non refugiebat laborem, sed grauiter, & prudenter cauit, & sua, & aliorum damna supra relata.

Nota V.

Cardinalem Bononiensem. Hic titulus absque alia personæ notitia prolatus aliquos in errorem historiæ huius temporis induxit, scientes quidem eodem tempore, ciuem & Episcopum Bonouiensem fuisse B. Nicolaum Albergatum Cardinalem S. Crucis, atque adcò

adeò exiſtimantes, ea verba ſic abſolutè prolata, de ipſo intelligi debere; Albergatus autem, nec ipſe ſe, nec alij vnquam vocarunt Cardinalem Bononienſem, ſed S. Crucis. Qui verò hoc tempore Cardinalis Bononienſis dicebatur, erat Antonius Corarius Venetus, qui prius Epiſcopus Bononienſis, inde poſtea Cardinalis Bononienſis dici voluit, eandemque appellationem, factus etiam deinde Epiſcopus Portuenſis, ac demum Oſtienſis, vſque ad mortem retinuit, vt liquidò monſtrat inſcriptio ipſius ſepulchri apud Ciaconum, in additione Victorelli: Et euidentius ab Albergato diſtinguitur in vtriuſque ſimultanea ſubſcriptione decretorum Eugenij IV. Pontificis, & Concilij Florentini de vnione Græcorum & Armenorum cum Eccleſia Romana, quibus Corarius ſubſcripſit ſic: *Ego Antonius Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Bononienſis*. Albergatus autem poſt illum ſic; *Ego Nicolaus Cardinalis S.Crucis ſubſcripſi*: ex editione Iuſtiniani pag. 318. & 374.

Nota VI.

Amiciſſimus etiam mihi Poggius. Quæ Poggium inter & Albertum hoc ipſo anno interceſſerint, aliæ literæ huius anni inferiùs proferendæ monſtrabunt.

Nota VII.

Ecce modo me ad Martyrium quaſi proficiſci exiſtimans ire iam pergam. Egregia religioſiſſimi Alberti reſignatio ad mortis periculum, ſi non ipſam ſubire ſuadetur, ad eam tamen quaſi ad Martyrium pergere promptum ſe offert, dummodo ſuperior ordinis abſolutam ſuam voluntatem aperiat, & obedientiæ vim profectioni adiungat.

EPISTOLA XIII.

EIDEM CASALENSI.

ARGVMENTVM.

Ad ſuperiorem Epiſtolam, nullum reſponſum accepit Albertus: Quapropter inter obediendi affectum, & malorum ante expoſitorum pericula anxius iterum in idipſum ſcribit, eoſdemque ſenſus aperit, & periculorum, & promptitudinis obtemperandi. Inſtat ſibi reſcribi, quid in re ſtatuat ſuperior.

OMnibus poſt habitis, per quæ debere me tibi plurimum attribuere non ſum neſcius, quam breuiſſimè ad rem venio, ſcripſi nuper ad te literas meas, per quoſdam noſtri Ordinis fratres, qui tuas ad me attulerant, egique tecum compluribus rationibus, quantum potui; ne tibi tua ſententia, de meo acceſſu Viterbium, ob ingentia pericula probaretur, niſi priùs compertum haberes, eam itidem apud Summum Pontificem vehementiſſimè, exploratiſſimeque probari. Dixi præterea in illis literis voti mihi eſſe, tibi quam inſtantiſſimè morem gerere, modo ita cenſeres, ac me de tuo animo faceres certiorem. Quod vt fiat, mitto in præſentiarum ad egregiam beneuolentiam tuam duos è noſtris fratribus, vt literis tuis me admoneas, quid de negotio ſentias,

quid

quid iubeas, quid item ex me fieri decernas, simulque perspicias, oro, rerum pondus, grauiter id quidem & sapienter, nec minus quam cautissimè animaduertas pericula, quæ impendent? Quid fortè mali? & quantum dispendij sint illa ciuitati importatura? A nobis enim, si id vsu veniat, quo existimationem non inanem, sed solidam atque constantem, illa ipsa pericula nobis minuant, quæ quidem existimatio, secundum Deum sit quæque salubris, & à nostris maioribus non abhorreat, etiam sine nostra culpa, mihi crede, vehementer, turpiter acta omnia videbuntur. Ipse tùm præsertim stultissime paruisse existimabor. Taceo tutè, quam insulse quam procacitèr, quam imprudentissimè, hoc maluisse fieri iudicabere. Inde in nos audebunt sæculi homines, etiam petulantes, in me verò tota simul malorum vicinia conclamabit. Ego nihilominus niti me polliceor, Christo propitio, ea gerere, ac rogare, quæ sint ad pacem. Vtrum autem aliena in me malitia conuertenda sit, me vadem futurum non spondeo. Quamobrem etsi non mihi præciperetur, vellem quidem, vt vel tibi ex Pontifice hoc graue negotium, suo nomine conficiendum, committeretur: Quo saltem assecuto, quamquam non quantum vellet, quantum tamen aptius fieri posset, meus inter hæc animus conquiesceret. Tu modo pro tua prudentia, vide quid statuas, ac mihi quia humanissimus es, id quam primum rescribes: Ego vero is ero, qu semper obtemperem. Vale ex Cortona 1430.

EPISTOLA XIV.

DOMINICO PISTORIENSI.

ARGVMENTVM.

Non solus Casalensis, Ordinis Præfectus, Alberto significauit, sibi videri, vt Viterbiensibus pacem prædicaret; sed & Dominicus hic Pistoriensis, cui Albertus per hanc Epistolam respondit, causam suam etiam cum isto agens, & vt videtur, eas ipsas rationes quas ad Casalensem prius dederat, his literis adiunctas, vt satisfaciat, illi transmisit.

Mirari te dicis, Dominice suauissime, propter ea, quod accessum meum Viterbium differre maluerim, tibique magis videri, vt eo pergam, cum primùm facultas præbebitur; tametsi apud me, vt ais, fortè legitima causa induciarum non desit. Tu fortè inquis mi Dominice, verùm, ne fortè falsò existimes causam legitimam mihi deesse, quin potiùs fortiter, & non forte censeas mihi non modo vnam, verum etiam complures exploratissimas causas suffragari, ne pergam; nihil aliud in præsentia velim compertum habeas, nisi eas

ra-

rationes quàm multas, vt mihi videtur, & quàm efficacissimas, quibus maximè commotus, supersedi negotio, atque illis ipsis rationibus, nostris Maioribus sum conatus persuadere, ne pergerem. Quas nè iterum dictare cogar, tibique vt satisfaciam, quem credere malo, non fortè, sed fortiter, scienter, ac prudenter, me fecisse, si non accesserim; quemadmodum à me scriptæ sunt, eas subijciam, & tu illas, adhibito iudicio, ac bono ingenio tuo, quo à Christo donatus es, diligentissime perspicies. Videbis, nisi fallor, non forte, quippe qui neque fortuna, neque casu, quicquam constitui, egisse me quæ egi. Sed ne in forte, ac fortuna, idest, ne in casum ac tristem euentum inciderem, per quàm vigilantissime Christi causam maluisse tueri, quo & tibi, ac reliquis amicis rubor minime ora suffunderet, & me me præterea omni ratione, quæ pro me à quoquam potuisset conflari, pudor, non decor, haud quaquam confunderet. Luserim ego tecum his paucis. Vtinam cum istis iocari sempiternis exultationibus, & tibi, & mihi, tandem aliquando contingat, vbi si iocus, sale; si ludus, maturitate; si omnis exultatio, summa grauitate condiuntur, nemo est certe Christianorum, qui dubitet. Habes defensionem meam longiusculam, quam putabam, sed pace tua dixerim, contra te ambigentem, quam tibi tamen gratissimam certò scio, qui vel paruam occasionem desideras, vt aliquid ad te scribam. Vale & me ama, vt soles. Ex Monte Sancto Alucrnæ 1430.

EPISTOLA XV.

IACOBO PERVSINO.

ARGVMENTVM.

Inter ea quæ exposuimus, Albertus in epidemiæ morbum, per Italiam eo tempore grassantem incidit, eoque diu afflictus est; sed conualescens tandem nouam accepit occasionem de Viterbiensi profectione iterum scribendi, ex literis nimirum Iacobi Perusini ad se perlatis, in quibus ipse de eo negotio, sub quibusdam verborum inuolucris, mentionem fecit. Albertus Iacobo per has literas respondens rogat ea de re certior fieri, vtque absoluta, & aperta Generalis Ministri propria ad ipsius priores literas responsio, & firmæ voluntatis expressio, vel prece, vel vi importunitatis obtineatur, idque alijs, quos apud Generalem esse credebat, communicatum, commendatumque voluit, vt quidquid ille rescriberet, promptissimo animo, etiam inter pericula exsequeretur; quantum per valetudinem, & corporis vires liceret.

ACcepi nuper librum, quem ad me diligenter, & ornatè compositum transmisisti, simul cum literis tuis, mihi quidem gratissimis, pro quibus omnibus gratias ago humanitati antiquæ, & charitati in me tuæ, qui semper me, & officijs, & beneficijs obligasti, simulque te oro vehementissime, vt de negotio Viterbiensi tua diligentia fiam certior, quod quidem tute ad me, vt cum venia loquar, sub quibusdam verborum inuolucris attulisti. Mallem autem, mi Iacobe, vt siquidem apud vos est egregius Pater noster, ac præcipue meus, Generalis Minister nostræ Religionis, illum meo nomine conuenires, atque ex eo quicquam literarum suarum, vel prece, vel vi, igni, ac ferro, vt ita dixerim, extorqueres, cum id à me impetrari non possit, quo possim enucleatiùs, quid mihi faciendum cognoscere. Ego enim illi, cum is ad me scriberet; respondi quantum attinet ad voluntatis meæ alacritatem, & obedientiæ puritatem, ac mundiciem, eo quo volebat hilariter accessurum. Tantum mihi videri rem eam periculosam admonui, propterea quod mutua se cæde recenter ciues, & crudeliter concidissent; feci vt dixi, ac me paulatim versus Viterbium deducebam, essemque iam propius, si me non peste percussum, grauissima valetudo non parum detinuisset. Nunc ergo fac tua opera, ab eo cognoscas quid factum sit, idque mihi renuncia, atque age vt ex eiusdem ad me literis, aliquid impetres. Confer etiam de re ista cum amicissimo mihi Magistro Galasso Neapolitano, eique expone, quæ in præsentia ad te scribo, poterit etiam tibi esse adiumento ad rem conficiendam, si volet. Imò verò quia volet tibi, vt spero, vehementer aderit, ac me illi, & imprimis Patri Generali, plurimum & commendabis, & excusabis, quia non quasi renitens illius iussioni non parui, verum caute intuens Ciuitatis subuersionem, rationem consilij mei illi exposui. Modo videat eius prudentia, de me quid agat, cui me prorsus committo. Si me illuc eundi magno quidem onere leuabit, lætabor magnopere, & mirum in modum gaudebo: si vero me proficisci potiùs volet, obedientiæ sanctæ confisus, ac Christo spei non parum conferente, nequaquam accedere deterrebor. Scripsissem hæc omnia meo charissimo Frati Bartholomæo, nisi eum abesse dubitassem, cui has literas, & hoc negotium, si casu adest, pro virtute sua, & pro illius in me charitate, communes facio, sibique amice scripta hæc ipsa omnia arbitretur, itidemque ipse rem meam, immò Christi, ac si suam diligentissime gerat: illius me ac reliquorum Patrum, præsertim vero Gabrielis Boletani, orationibus valde commendo. Vale ex Cortona 1430.

EPI-

EPISTOLA XVI.

GVILIELMO CASALENSI.

ARGVMENTVM.

Albertus adhuc, qua erat conſcientia tenerrimæ, inter ſyllam timoris offenſi ſuperioris & charibdem malorum Viterbienſium anguſtiatus, has ad eum ea de re vltimas dedit, per quas ſeipſum totum ipſius voluntati, & prudentiæ committit, remque ita conficiendam precatur, vt nec obedientiæ ſuæ erga ipſum quippiam ſubtrahatur, nec ipſe diuturna dilatione reſponſionis excrucietur: Se demùm à peſte liberatum integra valetudine potiri ſignificat.

COmmendo me me totum Pater optime prudentiæ tuæ, cauſamq; meam, imò Chriſti, valde difficilem, an ſcilicet tua voluntate ſim iturus Viterbium, neç nè, tibi tuendam prorſus committo, vt ego quid ſim facturus, firma tua deliberatione tandem aliquando ex te cognoſcam; conficiet autem hæc tua diligentia, vt nec obedientiæ ſuæ à me quippam ſubtrahatur, nec ego diuturna dilatione reſponſionis excrucier. Ternas iam de re iſta ad humanitatem tuam ſemper mihi colendam literas dedi, fac oro te, illa ipſa humanitate imperante, quicquam ex tuis literis ad me perueniat. Me quidem, ſi ita facies, quem ad diem iſtam peſte percuſſum, ſub ipſo mortis pauore, grauis moeror affecit, ſed gratia Chriſti, nunç integra valetudiue potientem, tuis literis plurimùm conſolabere. Vale ex Cortona 1430.

EPISTOLA XVII.

EIDEM CASALENSI.

ARGVMENTVM.

Poſtquam ſerpens Euam in mortis damnationem induxit, poſtquam Cain fratrem Abelem occidit, nunquam deinceps virtuti defuit pediſſequa æmulatio, nec Seruis Dei, Chriſtum verè ſequentibus, aliqua probatio tentationis; accepit tandem Albertus, vt in his literis innuitur, & in ſequentibus fuſiùs exponitur, Miniſtri Generalis literas, quibus eum, ne Viterbium iret, ſua licentia liberauit. Sed alia mox moleſtia inſecuta eſt, à quibuſdam ſtudiosè conantibus, vt idem Generalis ipſum adhuc à peſte debilem, & pro inſtanti Quadrageſima Cortonienſibus obſtrictum, aliò prædicatum deſtinaret. Quæ cauſa fuit

vt magno suo mœrore, se iam secundo apud Generalem excusare cogeretur, quod suo modo demissè pariter, & prudenter per duas sequentes Epistolas præstat.

PEruenit ad aures meas nuper, suauissime Pater, quosdam apud te studiosè conari, vt tua in me iussione nescio ad quæ loca transmittas, prædicaturum quidem in eisdem locis, quantumuis *impendente iam qundragesima*: (1) Quos ego non rectè agere arbitror, quippè qui nihil de aliorum iactura atque grauissimo incommodo, pace eorum dixerim, valdè improuidi cogitant, vt suæ vel voluntati, vel cupiditati liberius satisfaciant. Inspiciat itaque diligenter tua prudentia, ac certissimè nouerit, *post liberationem, ac licentiam de me tuam*, (2) ne irem Viterbium, obligationem apud Fratres nostros pro Ciuitate Cortonæ penitus à me factam, ne ipse, qui sum *ad diem hanc* (3) longa debilitate præteritæ valetudinis pressus, cogerer pro congruo, & apto tempore diutius euagari. Quam obligationem meam ita sanè gratam accepit *eiusdem Ciuitatis Episcopus*, (4) vt eam etiam publicè, me inuito, semel atque iterum, inter prædicandum populo suo manifestarit. Si igitur tempore debito prædicandi iam iam in Ciuitate instante, tu non rectè persuadentibus annuens, me ex ea Ciuitate proturbes, turbabuntur fratres, quibus super negotio me vadem constitui, scandalizabuntur ciues, quibus instanter rogantibus assensus sum fidei meæ sponsio violabitur, ac, quod est longè molestius, ipse Præsul Ciuitatis mihi vehementissimè succensebit, cuius multò iam tempore beneficijs ita obligor, vt verbi Dei prædicandi admodum beneficentissima libertate, imò verò liberalitate, ac fauore, proque confirmatione iam prædicatæ doctrinæ, ac pro repressione insolentium aduersus veritatem, quam defendendo, conseruando, probando permultum adauxit, ego illi dignas gratias non queam rependere, & mea Religio, vt mihi quidem videtur, illum haud iniuria diligere debeat, & plurimum venerari. Peto ergo à te obnixius, mi Pater optime, vt ob hæc omnia te nihilo moueant aliquorum consilia, si ab eis, vt de me illis ob temperes per id tempus rogeris: Sed ex quo ligatum his ciuibus me fide & libera sponsione ex me cognoscis, hoc parum temporis, te oro, me quiescere sinas; præsertim verò cum idem Episcopus in præsentia sit Romam iturus, atque interim se absente gregem suum, per paruitatem meam alendum, lætetur mirum in modum consolari: Vale ex Cortona 1430.

N O T AE.

Nota I.

Impendente iam Quadragesima. Has literas Idibus Ianuarij à se datas in sequentis Epistolæ initio affirmat, post quam iam à peste conualuit, vt iam stylo nouo, annus 1431. signari deberet. At cum author anno 1430. scribat,

bat, iam euidens est; quod ante notauimus, ipsum veteri stylo vsum fuisse, in designando annorum numero, quæ animaduersio multam confusionem ab his eius literis abstergit.

Nota II.

Post liberationem ac licentiam de me tuam, ipsa verba literarum Generalis recitat Albertus in sequenti Epistola, vbi ipsius proposito non parum inseruiunt.

Nota III.

Ad diem hanc, Id est ad Idus Ianuarij: ergo anno 1430. peste percussus est, & initio 1431. iuxta recentiorem computum, ea liberatus.

Nota IV.

Eiusdem Ciuitatis Episcopus. Quis fuerit Cortonensis hic Episcopus qui suo populo sæpè prædicabat, qui etiam Romam per Quadragesimale tempus prædicatum ibat, qui Alberto nostro tantopere delectabatur, vt gregem suum instruendum absens illi fidenter committeret, docet Vghellus inter Episcopos Cortonenses numer: 61. vbi Franciscum de Bilijs Eugubinum, Abbatem Sancti Petri, Ordinis Sancti Benedicti Ecclesiam eam ab anno 1407. vsque ad annum 1444. rexisse narrat.

EPISTOLA XVIII.

EIDEM.

Eiusdem Argumenti, sed coipositor & æmalorum insidias magis explicans.

His Idibus Ianuarijs ad te *literas meas dedi*, (1) suauissime Pater, *querimoniam meam de nonnullis*, (2) paulo quam hic, latius continentes, quod te, quemadmodum ad me ante paucos dies, quam illas scripsissem, perlatum fuerat, vehementius impellebant, quo me adhuc penè languentem, & certè superioris ætatis viribus destitutum, contra voluntatem beneuolentiæ erga me tuæ; nec minus *contra institutum tuum*, (3) diutius, ac frequentius, quam mea patiatur facultas, inquietares; quam veritus nè quæ audiueram, vera essent, scripsi ad te licentius obsecrans, ne ijs morem gereres, qui sua, vel religione, vel saltem opinione, de me tecum infensius, atque infestius agunt. Itaque cum intera penderet animus meus: Ecce tum primum subito nuncio consternatus sum, qui literas tuas offerens, ore simul expressit, te prorsus velle, *me Regium proficisci* (4) verè tibi fateor, dicere non possum dolorem meum, ita enim te ardentissimo amore, vel ab ipso congressu amicitiæ nostræ complector, vt penè dixerim, morior, cum tu aliquid mihi iubes quod implere nequeam, neque id iniuria. Percupio equidem amicitiam nostram, & esse stabilem, ac perpetuam, & in summam beneuolentiam peruenire, quam etiam ipsam pertimesco, vicissim in aliquo violari, nec putari verum, nisi ab eis qui probe omnia metientes, nulla quæ factu impossibilia sunt, in amicitia facienda, &

postulanda sanxerunt. Nam si omnia, vt Cicero ait, facienda sunt; quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed coniunctiones putandæ sunt, cum verò in amicitia, quæ honesta non sunt, postulantur, religio, & fides anteponatur amicitiæ. Neque hoc dico quia tu mihi turpe aliquid iubeas, verum id ipsum, *quod alijs, vt cupis, est vtile futurum* (5) quoniam præripit à reliquis honestatem, fit proculdubio indecorum: At verò cum id, quod vtile videatur, in amicitia, vt quidam ait, cum eo quod honestum est, comparatur, iaceat vtilitatis species, vt valeat honestas. Accedit etiam ad molestiam, quod ego ipse literas tuas, testes apud me habeo, in quibus cum plura mihi diceres, quæ ad amicitiam nostram magnopere cum res Viterbiensis inter nos ageretur, hæc tandem dulcis, ac placidus, intulisti. *Igitur mi Alberte liberum te facio, ad quascumque prædicationes sumendas, si tuo desiderio satisfactum iri à me potest. Tecum enim familiariter agere nostra iam confirmata consuetudo facit, quia neminem mihi magis familiarem inueneram qui posset vita, moribus, & doctrina, Viterbiensis Ciuitatis periculis prouidere.* Gaudeo mi Pater, mirum in modum, & tuo testimonio, ac beneuolentia, & te mecum agere familiariter, qui agere potes, non modo familiariter verum etiam imperanter, ac fortiter, vt ita dicam, potenter tuo optimo iure vsus, pro ipsa authoritate, quæ tibi in me primum, atque in omnem nostram Religionem præbita est, verum quia te colo & veneror, mira mœstitia afficior, propterea quod non arbitror, te ea mente fecisse me liberum ad quascumque, vt ais, prædicationes sumendas, vt si ego ea libertate vsus, quam mihi concesseras, alicui ciuitati mea me sponte ligarem, tu quidem modo properè, ac perniciter in ipsa iam Quadragesimæ fronte dissolueres, clamantibus latè ac passim aduersum, vt putant, fidissimam sponsionem meam, illis quibus me liberè se fruituros in publica prædicatione spopondi, non arbitratus posthac cogentes ad me nouas literas peruenturas, abs te præsertim, qui me longè ante liberum feceras, ad quascumque prædicationes sumendas, quamuis huiusce rei rumor, seu post perfectam acceptationem vtcumque apud me increpuerit. Itaque diligentissimè perspicias oro, quam vera molestia perturbor, qui prius liber à te factus, atque ob id Cortonensibus obligatus, nunc literas tuas accipio, quæ nec de mea obligatione quicquam excipiunt, nec reliquas omnes molestias magni pendunt. Nonne compertum habes mi Pater, quod grauissima valetudine ad diem hanc pressus extiterim, eiusmodi scilicet pestilentiæ, quæ penè vbique Italiæ nostræ populos, de Dei nostri mira clementia male meritos, occupauit? Ex qua mihi defecto viribus, tanta adhuc debilitas superest, vt nequaquam aut meis pedibus longius possim incedere, aut perpetuæ orationis, quotidianæque prædicationis, solitum laborem sine magne difficultate perferre. Quonam igitur modo discretissime, vigilantissime, prudentissimeque virorum, ego infirmus, ego debilis, varietatem, & discrimina temporum, duriciem hyemis, acerbitatem frigoris, vim ventorum montes niuium, profusionem, imò,

allu-

alluuionem imbrium tolerabo? qui vix vernum tempus, florentemque aestatem, absque corporis resolutione, valeo sustinere. Pone tibi ante oculos iter non dico longum, maximè pro exiguo hoc tempore, sed conclusum latronibus, viasque obsessas praedonibus, si rectum iter pergndum constituam: sin vero minus, peto vt tibi in mentem veniat, quomodo mea feret debilitas Alpinas difficultates, tùm montibus, tùm horrenda vastitate, tùm hominum solitudine, tùm errore viarum, tùm ferarum incursibus, tùm sterilitate rerum, tum habitaculi penuria partas? quem oportet absque ductore, & bonis vestibus destitutum, atque itinera ignorantem, non pecunijs fretum, non equo vectum incedere, nec prae inopia aliter posse, cum vellem. Taceo de fratribus, quos socios dicis mihi adiungam, qui veniunt fere nunquam, nisi spontè, & sua quadam vtilitate saepius tracti, vel si cogantur, remurmurantes non perseuerant. Prętereoque qui inuiti non se exhibent adiutores, vt sileam qui se exhibent destructores. Num difficultas ferendorum librorum mihi, qui nec prae manibus, nec vsquam quicquam nummorum habeo, ad impossibilitatem meam prae valetudine, parua est? reliqua verò omnia comparata meae promissioni ac iam factae obligationi, omninò nihil sunt? Quam obligationem tua voluntate factam, qui me liberum feceras, ad quascumque praedicationes sumendas, si modo perfringam; considera attentiùs quid sit dictura illa ciuitas, & quam in partem accepruri sint reliqui. Quid loquuturi sint aemuli: Episcopus autem Ciuitatis, quod me magis torquet, hoc molestissime fert, qui & ipse nec suscipit persuasionem, nec paruam recipit excusationem, dicens sibi hoc antea debuisse me dicere, qui non iuisset Romam, non reliquisset gregem suum, quem laetus, & hilaris, omni populo exultante, verbo Dei à me alendum mihi commiserat. Vadit enim Romam praedicaturus, qui mihi forsitan indignatus, & amicitiam repellet, & aduersum me Romae aliquid machinabitur: obsecro igitur praestantiam tuam, vt meos angores communes pro tua charitate tibi existimes, mihique aegrotanti, debili, ac languenti, paulum amice compatiare, atque vt tuis verbis vtar quae ad me pridem scripseras, meis acceptis literis studium conuertas tuum, vt mihi, non dico gratus, vt tu ipse addis, neque enim de te ita sum optime meritus, sed animo coniunctus videare: quemadmodum etiam, mihique prouidendum, maxime indigenti, quam *Ciuibus Regiae Ciuitatis* (6) tibi pro mutua inter nos beneuolentia persuadeas. Illos verò consolare, vt potes: potes autem multifarie: maximeque considerent, *quid essent ipsi dicturi*, (7) si ego apud se promissione mea astrictus, eos in ipso, vt dicitur, procinctu temporis reliquissem. Me verò, vt soles, ama, & sine, si tuae hmanitati placet, me vires conquirere, vt vegeto corpore superioris consuetudinis labores tandem aliquando resumam. In fine hoc dico, hoc profiteor, hoc sentio, promptum me scilicet ad omnia quae iusseris. Tantummodo instantisime per Crucifixam mundi salutem hoc vnum à te peto, hoc expeto, hoc expostulo, opto, atque

exo-

exopto, vt eum ante longum tempus me liberum facis, huiusmodi celeribus nuncijs me insperantem non concidas, qui plus quam dici potest, conturbor, cum tibi imperanti negare aliquid cogor, quantumcumque ratione suffultus, sed vel paruitatem meam inter labores occupationum mearum, *quos mihi pro augenda nostra religione censui subeundos* (8) alas, diligas, atque tueare; vel si magis placet, vti me tuo filio, vt libet, hoc tanto ante mihi significes, vt neque sim obligatus alijs, quos mea solutione conturbem, neque tibi sim oneri, quem verè diligo, neque aduersarij, qui me obligatum in dies audiunt, aut leuitate vsum, aut violentia expulsum me fuisse existiment. Id ipsum postea fallaces, mendaces, mordaces, quaqua versus disseminantes, ac denique improuido tabellario sæpè ac multum exagitatus, nequaquam ego pro tua pietate, clementiaque exerueier. Vt vero aptius intelligas me ista scribere, non resistentis animo, sed impotentis experimento, & consideratione plura perspicientis, fugiendique scandali causa, quod tu ipse vitari mea sententia à me cupis: hoc tandem, finem faciens, prædictis adijcio, si tibi meis rationibus moto placet, vt in his Regionibus maneam, lætabor, & maximas tibi habebo gratias; si autem post Pascha videbitur, vt quouis pergam, paratissimum profectò reperies, si verò omninò ac penitus sententię tuę est, vt modo relictis pollicitationibus meis, neglecta fama, scandalisque omnibus posthabitis, illo accedam, non grauetur tua paternitas, ista itidem mihi cuncta renunciare, & ego accinctus quamuis difficillimum iter, quamuis debilis, quamuis rumores exuscitans, lætus, libensque proficiscat. Magis enim tibi, cùm pro amicitia, tùm imprimis pro officio tuo in nos obsequar, quoad vita mihi suppeditabit, reliqua omnia paruipendens, quam tuam iussionem, tuam authoritatem, tuamque dulcedinem, quibuslibet rebus, personis, temporibus anteponens, quauis incommodorum acerbitate, ac dispendio deterrebor. Vale ex Cortona. 1430.

N O T AE.

Nota I.

Literas meas dedi, Proximè præcedentes intelligo.

Nota II.

Querimoniam meam de nonnullis, Aemulos suos indicat de quibus iterum inferius, de me tecum infensius, atque infestius agunt, & postea quid loquuturi sint æmuli, atque iterum. Neque aduersarij, qui me obligatum in dies audiunt, aut leuitate vsum, aut violentia expulsum me fecisse existiment. Idipsum postea fallaces, mendaces.

Nota III.

Contra institutum tuum, Valde enim inculcat, tam in Regula quam alibi Sanctus Franciscus, & iniungit Superioribus charitatem, & curam infirmorum, ac debilium fratrum.

Nota VI.

Regium proficisci. Bina huius nominis ciuitas in Italia est, altera in Brutiorum finibus, quæ cum aspiratione Rhegium scribitur, Ptolomęo Rhegium Iulium dicta: Altera quam absq; aspi-

aspiratione scribendam docuit Manutius in orthographia Regium Lepidi, vel Lepidum, est in Lombardia Cispadana: Et Calepinus vndecim linguarum quo vtor ab illa Rheginos, ab ista Regienses dici vult. Ad hanc ergo non ad illam Alberto proficiscendum fuisse, ipse satis indicat, cùm seruata eius distincta orthograhpia, tùm commemoratione Alpium, qui Etruriam, in qua tunc erat, a Lombardia disterminant.

Nota V.

Quod alijs, vt cupis, est vtile futurum. Regiensium vtilitatem, cum Cortonensium causæ honestate comparat, & ex veræ amicitiæ regulis hanc illi anteponendam suadet.

Nota VI.

Ciuibus Regiæ Ciuitatis. Regiensem Ciuitatem intelligit, cuius vtilitatem, & sibi maximè indigenti & Casalensi ipsi compatienti, & ipsius angores communes sibi existimanti postponendam iterum suadere nititur: charitas à nobis incipit, vt necessitatem nostram aliorum vtilitati præponamus, & nobis ipsis prius quæ necessaria sunt, quam alijs, quæ tantùm vtilia, prouideamus. Neque enim etiam in genitoribus laudandum est, si mortem oppetant, vel miseri ipsi viuant, vt proles luxuriosè vitam degant. Sensus ergo est debere Generalem, & ipsum Albertum ex ordine charitatis sibi indigenti, quam Ciuibus Regiensis Ciuitatis non egentibus prouidere.

Nota VII.

Quid essent ipsi dicturi. Illius dicti Regienses tacitè monet: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, vt considerent, quid ipsi essent dicturi, si Albertus libera promissione, & propria necessitate eis obstrictus esset, & eum res agenda foret, abire vellet, atque id nunc in Cortonensibus considerent, quo monito inter alia etiam posset Casalensis ipsos vel consolari, vel Alberti æmulos iniusta suadentes compescere.

Nota VIII.

Quos (labores) *mihi pro nostra augenda Religione censui subeundos*. An vt Religionem à Poggij inuectiua defenderet, de quo mox dicemus; an vt alia quæ Vvaddingus indicat anno 1429. num.8. & 1430. num.3. & 4. curaret, an aliud quid, dubius sum.

EPISTOLA XIX.

NICOLAO NICOLI.

ARGVMENTVM.

Cupiebant Florentini, vt hoc anno veteris æræ 1430. & nouæ nostræ 1431. Beatus Albertus Quadragesimali tempore, in maiore ipsorum Ecclesia conciones ad Populum haberet; excusauit se tunc ipse; Quare Nicolaus in mense Sextili siue Augusto præterito, per literas id ipsi vitio vertit; quibus cum tunc respondere non potuerit, nunc se excusat, quod peste laborasset. Quod autem oblatas conciones non admisisset, veras causas aperit Nicolao, quarum partem in ipsum quoque reijcit. Mittitque illi recensenda aliqua sua scripta, & per latorem quædam oretenùs communicanda, quæ literis committenda non censuit.

Postea-

POsteaquam querimonias tuas, vt ita dicam, præterito mense Sextili anni superioris accepi, mi Nicolae carissime, non potui præ valetudine respondere literis tuis, in quibus paulùm mihi commotus visus es, quod cum prædicandi laborem, quem voluisses, Florentiæ hoc anno in maiore Ecclesia non susceperim, dicisque hoc ipsum debere mihi adscribi, qui mea dilatione pendentes animos in contrariam partem conuerti. Nihil inficior, dulcissime Nicolae, nihil excuso, si quid tibi à me erratum videtur, sed hoc tantum de meo sensu, qui mihi quam cæteris, & quam cæterorum notior est, tibi sincerissime, verissimèque renuncio, me scilicet ea tempestate bellorum, ea acerbitate ciuilis dissensionis, ea denique pestis voracitate, quæ passim tuam indies ciuitatem depopulantur, non magnopere curare, si valdè opportunum tempus, ad rem agendam, *impedientibus fortè perditis, vel etiam gaudentibus inuidis*, (1) non se dedit. *Musica enim in luctu importuna narratio, silentque inter arma annales*. Si verò tu contra, rectius mecum actum fuisse asseras, proficiscendo libentius, quam declinando prudentius, vt interim tibi assentiar, pace tua dixerim, in te omnis ista culpa est referenda: Tam enim parum de me præsumpsisti, vt, quod ego non prorsus negaueram, tu non vehementer asseruisti. Poteras enim, cum ita tibi videbatur, etiamsi omnino negassem, liberè, vt amicitia postulat, acceptare: quod si feeisses, tibi velim persuadeas, me non fuisse tuas sponsiones aliquando fracturum: Sed de his satis. Dabit enim Dominus post hac tempus aptius, & tu interea mecum familiarior semper in amicitia conualesces. Harum portiror quædam Scriptorum meorum ad te affert, quæ pro tua prudentia dijudicabis, atque ad me remittes, & nonnulla tecum coram de me conferet, quæ scribenda non censui. Vale ex Cortona 1430.

N O T A.

Impedientibus perditis vel gaudentibus inuidis. Nemo Propheta in Patria sua. Albertus alibi semper gratus, desideratusque, Thuscus in sola Etruria patitur inuidiam, sed omnia vincit virtute.

EPISTOLA XX.

EIDEM NICOLO.

ARGVMENTVM.

Morbum suum, conualescentiam, & consilium commentandi quidpiam aperit. De qua verò re scribendum, dum deliberat, materiam per Poggij, Nicolique allatas literas oblatam eligit. Quid de illis censeat,

seat, per istas narrat, & quod Religioni iniuriosæ fuerint, & alijs perniciosæ futuræ essent, indè ad scribendum coactus, non Poggium vituperando, sed cæteroqui laudando, & amicè monendo, sed innocuos læsosque laudando, se id facturum promittit, & factum Nicolai censuræ, & correctioni subijcit.

NVper equidem, Nicolae charissime, vt te arbitror ex alijs audisse, eram eiusmodi pestilentiæ ægrotatione grauissima affectus, quæ latè ac passim omnes penè Italiæ nostræ populos, *vt reliquos taceam*, (1) de Dei nostri clementia malè meritos occupauit: ob eam autem causam, id mihi vsu venit, vt quotidianæ prædicationi paulò mihi esset supersedendum, quam superiore tempore, vt tu ipse optimè scis, *nostræ reipublicæ, nostræque Ecclesiæ*, (2) indies à me habitam, nostris illius, quæ sursum est Ierusalem, futuris ciuibus, quemadmodum & sperare, & optare nos conuenit. Id etenim Christianis nostris hominibus accuratius solebam impendere. Cumq; fratrum meorum charitate, & summa erga me diligentia, ac semper imprimis propitio Christo, valetudinem meam Medicorum opera, studioque curarem è vestigio, & mihi & alijs, quibus eram pro eorum virtute animi carus, nonnulla spes meæ recuperandæ salutis oborta est, verum quamquam periculum euasissem, essemque iam liber, adhuc tamen longiore debilitate mihi defecto viribus, à Fratribus ardenter, atque amanter consultum est, vt itentidem à prædicatione aliquanto diutiùs abstinerem, quo tandem commodius, integra valetudine potientem, labor me consuetus exciperet.

Ego itaque, & si rectè, quantum attinet ad rem istam, & vt mihi quidem videor, tunc illis assensus sum, non censui propterea literarium munus à me penitus negligendum: sed magis scribendum esse quidpiam mihi quidem facillimè persuasi, vt etiam in otio, vel mihi calamo saltem prodessem, qui per imbecillitatem virium, coactus, voce silerem, vel alijs Scriptorum meorum sedulitate, quamuis non eloquentiæ dignitate, neque sensuum vbertate, proculdubio non obessem. Ex quo fieret, vt id perparum temporis, quod reliquum superesset, sobria hilaritate lætus, nequaquam extinctum ducerem, cæteris verò consulerem, quibus forte quod scribimus, est vtile futurum, simplicibus dico, nam sapientibus, longè maiora capescentibus, non conducet, ac me me primùm multò magis meis contra me verbis erectius concitarem.

Cum igitur complura mihi ante oculos versarentur, quæ scribenda iudicarem, essemque nescius quid potissimum primò assumerem, tùm quàmprimùm venerunt ad manus meas, & illæ ipsæ literæ, quas ad me Poggius nuper dedit, & illæ item eius viri, quas tibi redditas superiore anno, vt quid de illis sentirem, audires, tu ipse ad me diligentissimè transmisisti. Inspexi, illas perlegi, reuolui, perpendi sæpè studiosius. Fateor visus est mihi Poggius noster paulò liberior, ac solutior, quàm non dico, Christianam charitatem, & religiosam sobrietatem, sed animo audacior, &

lingua effrenatior, & calamo festinantior extitisse; quàm officiosam atque eruditam deceat grauitatem.

Tam enim aduersus Dei Seruos, pene omnes, faciliore licentia exerit eloquentiam suam, tamquè acriter pertonat, atque inuehitur, vt quantum mihi quidem videtur, non modo innocentissimos Seruos Dei, ac reliquos omnes existimem ab eo iniuria lacessitos, verùm etiam vehementissimè pertimescam huiusce Poggij authoritate, ac eloquentia, si apud exteros à Religione literæ ipsæ peruenerint, perquam facile eosdem Religiosos vocari in odium, ac despectum iri, sæculique homines (quod est grauius) quibus forte ab inquietantis mundi turbulentissima tempestate ad tutissimum, & sanctissimum portum integerrimæ Religionis confugere voti fuerat, complures posse ijsdem literis potissimum euocari.

Quamobrem non credidi, neque me dedecere hoc genus, quod pro Religione mihi assumendum putaui, neque ab re cuiquam videri, neque Poggio nostro molestum esse debere, si non in eum (cum hoc oneris aduersus illum suscipere nolim) Sed pro veritate, pro Religione, & pro his, qui aliquando hæc nostra forsitan legent ego seruorum Dei omnium, non quidem defensioni, sed laudationi paulisper incumbam; Cum igitur ita se res habeat, Nicolae charissime, feci, vt proposueram, ac scripsi quicquam pro seruis Dei, in eorum laudibus, quantum mihi satis est visum, valde libentissimè immoratus. Hanc itaque quidquid illa est, quam laudationem vocari placet, antequam ederem, tibi prius haud iniuria destinandam existimaui, quem & dictorum, & actorum meorum, atque omnium, quæ à me scriberentur, æquissimum iudicem, ac censorem penè à puero mihi constitui.

Cui si dicta mea probari videro, ad complura longè præstantiora meum studium prouocabitur: sin verò minùs, vel tua authoritate deterritus, ignarus ipse, tum sileam, vel quod magis arbitror fore, magno ardore animi, & diuturna diligentia, atque hortatu tuo, ad scribendum prouocatus, in dies abs te fiam limatior. Tu modo vide, quid de illa sentias, ac mihi rescribes. Quam ad te mitto, vt si tibi videtur, illam tergas, emendes, feces, polias, atque exornes.

Hoc tamen in fine Epistolæ, te admonitum volo, me in hoc otio redintegrandæ valetudinis meæ, ad hoc negotium eo libentius trahi, quo illud non tam conficiendum, quam proficiendum à me esse cognosco. Id ipsum enim iam tunc ad Poggium nostrum scribere cœperam, vt in principio Epistolæ huius præfatus sum, cum summis interdiu quotidianarum predicationum laboribus occuparer, iam vero cum mihi in præsentia vacat, & intermissum opus longo, vt aiunt, postliminio repeto, vt non tam diutius elaboratum intelligas, quam inter sospitatem meam, dum sensim valerem, properè, ac perniciter editum. Vale, & me ama *ex Cor.* 1430. (3)

NO-

NOTAE.

Nota I.

Vt reliquos taceam. Hic indicat non tantum Italiæ, ſed aliarum etiam gentium populos hoc tempore peſtem paſſos fuiſſe, ex quibus narrat Bzouius ad hunc annum n. 1. & 2. apud Aragonios arſiſſe, quod autem addit noſter author: *De Dei noſtri clementia malè meritos*, non gentium, aut populorum diſtinctio eſt, ſed ad omnes pertinet: nam peſtis, bellum, & publica fames, peculiaria Dei flagella ſunt, quibus populos, vel proprijs, vel Principum peccatis de ſe malè meritos caſtigare ſolet: vt propterea Regi Dauid cum Regni ſui populum numeraſſet, ex tribus his plagis quam vellet electio data fuerit 2. Reg. 24. ver. 13.

Nota II.

Noſtræ Reipublicæ, noſtræque Eccleſiæ. Rempublicam, & Eccleſiam ſibi, & Nicolo communes deſignat, quæ aliæ eſſe non poterant, quam Etruriæ.

Nota III.

Ex Cor. 1430. Hoc eſt ex Cortona, quæ Etruriæ ciuitas eſt, in qua diximus Albertum cum Iacobinorum legatis poſt plures annos, Florentiam ad Concilium properantem ſolemniter exceptum fuiſſe. Cum autem hic habeamus annum 1430. quo has ad Nicolaum dederat, deeſt tamen dies, & menſis. Ego verò propter locorum vicinitatem exiſtimo circa vltimum diem Ianuarij ſcriptas fuiſſe: nam Nicolaum pridie Nonas Februarij eodem anno mortem obijſſe Florentiæ docet Pocciantius.

EPISTOLA XXI.

POGGIO FLORENTINO.

ARGVMENTVM.

Audita, quæ Poggius in ordinis detrimentum facere dicebatur, & lecta, quæ ad vituperium ſcripſit, breuiter exponit, lenius primum, mox acrius, ſed amicè hominem redarguit. Contrariam Religionis laudationem aggreſſus, eadem opera tres res, & factu vtiles, & lectu delectabiles, & imitatione honeſtiſſimas docet, nam quidquid virtutis in claris Ethnicis eſſe cenſebatur, aſſignatis perſonis, ordine recenſet, & ſeruos Dei, quos laudandos ſuſcepit, illos in omni virtutum genere ſuperaſſe, perpetua, & perſpicua comparatione ita demonſtrat, vt omnes ſimul vniuerſæ Chriſtianæ Philoſophiæ exercitationem, non minus diſertè, quam grauiter, explicet. Aduerſarium deinde ad aduerſa prioribus tam dicta, quam facta dulciter, & neruosè hortatur, & orat, atque in priſtinis perſiſtentiam doctè diſſuadet: emendationem authoritate, & exemplis facilem eſſe, Diuinæque vindictæ certa alioquin expectatione neceſſariam demonſtrat. Denique monet famam illi curandam eſſe, merita dum viuit acquirenda, rumores hominum fugiendos, iudicia eruditorum magni pendenda, beneuolentia perſpicua deuinciendos animos bonorum. Quæ qui adipiſcatur, & quanto ſuo id bono breuiter docet.

NON satis dicere possum, Poggi charissime, quantum equidem ægrè fero, vt cum primas ad te mearum dare constituo, ea dicere me oporteat, quæ & mihi molestissima sunt, certè id quidem, & tibi fortè non multum pergrata: maximè verò quia ita pro ingentibus occupationum molestijs, *quas quotidie prædicando perpetior* (1) ab scribendo maturè auocer, vt quantum res ista postulat, loqui diutiùs con- Al. ita. cupiscam. Cum verò angustia temporis excludar, haud dubium penè Cyp. ad Donat. Epist. 2 tom. 1. silere, quàm loqui malim; aggrediar tamen vt Beatus Cyprianus ait, facultate, qua valeo.

Frequens rumor de te, ad me per multos delatus, aures meas, quæ vt Salomon ait, auditu non satiantur, Eccl. 1. 8. adeò tædio affectas reddidit, vt iam perferre nequeam, quin etiam in summis laboribus meis aliquid vel ineptissimè ad te virum eloquentissimum scribam. Inculcant aduersum te quidam, & replicant tua prorsus opera factum, ne locus ille nostræ Vide Vitam n.... Religionis (de quo dicam intelligis) vt cœptus erat, ædificetur, ac quod longè molestius est, futurum nonnulli suspicantur, vt id murorum, quod fieri cœptum est, demoliatur, & proruat, clamante aduersum te tota ea Prouincia, quod nullius, quam tua apud Pontificem instantia, aut factum sit, aut futurum quippiam. Quam instantiam tuam plerique, vt vulgò fit, variè interpretantur, vt dicant vel nequitia tua, vel odio Religionis, vel errore falsæ de nobis omnibus æstimationis tuæ, vel quod magis omnes penè arbitrantur, suggestu quorumdam perditorum, qui hisce fratribus iniquo animo aduersantur, hoc abs te factum esse.

Accedit inter hæc omnia, quod mihi ad Nicolaum nostrum Nicoli literæ tuæ perlatæ sunt, per quas te falsò culpari vehementer quereris, de quibus literis, si mihi propositum esset causam eorum fratrum defendere, ac non potiùs te rogare, dicerem omne quod sentio. Mallem enim, vt hoc tantummodo apud te, & amicè, & Christianè confitear, te in cooperiendis eorum culpis, si quæ perparuæ sunt, fuisse concitatiorem, atque si magis putabas, in accusandis pia charitate, ac mansuetudine mitiorem. Oro te suauissime mi amice, vt æquissimo animo, quod subijciam feras, *ac me parum mordentem salubrius patiaris* (2) quam mihi adulanti periculosiùs compatiaris. Mallem, inquam, te in tot bonis viris accusandis, quos tamen perpaucos esse dicis, fuisse castigatiorem, quam aduersus illos pene omnes, *præter fratrem Bernardinum*, *& me* (3) in fingendis horrendis criminibus, ac turpissimis moribus, asperiorem, ne dicam audaciorem.

Verè mirari satis non possum, quonam modo in tantam licentiam accusationis eruperis, vt cum scriptum sit ab Apostolo. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum, suo* Ad Rom. 14. 4. *Domino stat, aut cadit: stabit autem.* Tu tamen hos omnes, perpaucis exceptis, voces simulatores sanctitatis, satores errorum, sceleribus implicatos, peruersè agentes, absque virtute, sine scientia, impudentes, insolentes, animo impotentes, superbos, qui nulli subesse velint, & parem spernentes, magis præesse cupiant. Hæc puto te reclamante animo, & conscientia accusante, dixisse. Illud verò quis

non

non ſtupeat? quod præter publica ſcelera, eis abdita, & ſecluſa, & domeſticis parietibus obſepta tam confidentiſſimè obijcis, vt loca eorum non ſis veritus, vel prohibente literaria facultate, & ſi non Chriſtiana charitate, officinam ſcelerum nominare. Miror quomodo non aptius, ex quo eiuſmodi ineptijs inſoleſcere delegiſti, ea ipſorum loca, & lupanaria proſtituta, & probris libidinum inquinata, & turpiſſimorum complexuum fœdata labe, tibi procaciter, & petulantiſſimè nominanda cenſueris. In quibus ipſi, vt dicis, improbi circulatores, ſordidi, capite demiſſo, cum vulgo reproborum, tumidi, inflatique delitefcunt.

Immò verò, vt cum venia tua dixerim, vt non grauiter adijcis, non in ſolitudine, ſed in ſumma hominum frequentia, ***in locis delicioſis***, ***amęnis***, ***iucundis*** (5) voluptuoſis ſe ſe immiſcent. Atque vt cum gemitu, tua illa verba, talia, qualia ſunt, in calce ſubnectam, nec proprio nomine, vt dignum eſt, eloquar. Qui & ipſi, vt ais, non vt menti vacent, ſed corpori, rectius ventri dixiſſes. Nam quod dicis, nectare illo, nedum exteros, peregrinoſque allici, ſed etiam ciues tuos ſuauius delectari, valde eoſdem ciues, quam ſint homines frugi commendas, dum non ſolum hi ſunt, qui non continenter, non ſobriè, non ſeuerè, vt naturæ dignitas poſtulat viuunt; ſed potius illi ipſi, vt mihi quidem videtur, temulenti, & vt ita dicam, meribibuli, abs te ſecretius appellantur.

Quod verò ais, potum illum eſſe Iouis nectar, ſiquidem ioco magis, quam ex ſententia tibi hoc dicendum cenſuiſti, nihil te incuſo, qui forte gentilium literarum facetijs delectatus, illorum ſententijs velut porcorum ſiliquis, id quod de prodigo filio Euangelica authoritas perſonat, tuum ventrem, quamuis inaniter, ſatiari maluiſti. Te inquam in hoc genere nihil culpo, quod Poetarum, Oratorum, Hiſtoricorum, ac Philoſophorum ſententias vel legas, vel tuis ſcriptis inſeras, ſi modo inter legendum nihil ipſe noceare, ſi ſcribendo nihil alios lædas, quæ & ſe te imitari debere arbitrentur; & te his iudicent nimium delectari, atq; eiſdem Ethnicorum literis, pluſquam oporteat, & quam deceat, attribuere. Si poſtremum nihil in te fidei, nihil authoritatis, & veritatis, & charitatis ad ſcripturas ſacras, Paganorum frequentiore lectione, atteſtatione, ſcriptioneque minuatur, quod an fieri poſſit in te, tu ipſe videris. Ego verò in mei ſimilibus, niſi difficile fieri poſſe, non video.

Luc. 15. 16

Si igitur tam continenter, vt perſtrinximus profanas literas colas, vt dicere cęperam, non te accuſem: nam hæc quæſtio de externorum ſententijs, cum Chriſtianarum literarum mundicie miſcendis, atque interſerendis, à doctiſſimis Eccleſiæ viris, ac maximè apud Hieronymum noſtrum elegantiſſimè abſoluta eſt in ea notiſſima Epiſtola, quam eum ad Magnum Oratorem Vrbis Romæ ſcripſiſſe non es neſcius: at verò contra, ſi ſeriò potius, quam iocando, potum illum eſſe Iouis nectar conſcripſeris, & ſi de hoc ſentire, quia Chriſtianus es, neque ſanè aliam ob cauſam, minimè auſim, ſi tamen forte id ſentias, penè dixerim, nihil aliud verius ſentire mihi videris, quam quod Iouem Deum tuum eſſe con-

Tom. 1. Ep. 84. ad Magnum.

confirmes. Neque enim nisi tribus subiectis his modis vsu scilicet, iure, & conditione, aliquid alterius esse dicitur; vsus autem, aut malus est, qui loquendi latiore consuetudine abusus nominatur, aut bonus, qui & ipse rectus vsus vsitatius dici solet.

Eliquata igitur ratione, ac sententia vnum horum conficitur, vt si abusu potum Iouis esse sentias, praeclarè, & verè dixeris. Fuit enim, sicut vitiis reliquis Princeps, sic omnes quoque gulae ebrietate, ac crapula debacchatus: si autem recto vsu, suum dicas potum, falsum id quidem sit, atque absurdum: nam quis rectè vtetur, si eum abuti concesseris? sicutè contra nemo rectè vtens abutitur eo, quo vtitur, sin verò iure, vel potestate sit eius potus, idque tu asseras hoc turpiter desipis. Quo enim pacto suum esse nectar existimes, cum nec ipse quidem suus extiterit; Sed vitiorum, sed Daemonum, sed omnis iniquitatis Ioan 8.34. seruus. *Qui enim facit peccatum seruus est peccati*, vt veritas ait, quod si postremo contendas, neque peruerso vsu, neque iure aequissimo dici Iouis potum, restat profecto, vt vel nullo modo sit Iouis potus, & tu eius esse potum, illud vestrum nectar, improbè dixeris: vel dicas potum esse conditione. Quod si censeas, egregiè id quidem facis, vt Christiano ore Iouem tuum esse commemores. Immò verò si id sentias, quid hoc est stultius? quid iniquius? quid infidelius dici potest? hoc enim dicere, quid aliud est, quam verissimo Deo maledicere? quin potius quid aliud est, quam Iouem Deum suum esse manifestissimè dicere? nemo enim potest esse conditor, & creator, nisi Deus extiterit. Nos igitur Christum Deum nostrum esse contendimus, dicimus, & constantissimè profitemur, in quo nobis omnis spes comparandae salutis locata est.

In ore autem Christiano, vt apud Hieronymum verissimè dicitur, *quid facis Iupiter aeternus? & me Hercule, & me Aedepol, & Polux, & Castor*, ac caetera magis portenta, quam numina? suum itaque dicant Iouem, qui volunt, & quos Christianos non esse dubium est, vtque praeclarè Beatus Cyprianus ait, Iouem suum isti exprimant, non magis regno suum, quam vitijs. Principem exprimant, inquam, illum in terrenos amores, cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumeos colores albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire.

Vide Tertull. de Idolatria cap. 20. & 21.

Cypr. tom. 1. Epist. 2. ad Donat.

Huius impii Iouis nectar, tua sententia, horum Sanctorum animos vehementer allexit, vsque adeò vt haud iniuria amęnissima patria se priuari querantur. Qui non abstinentia affecti, non panibus, quos saepius à soricibus rodi contingit, non alterius generis cibis, non modo vilibus, vt fabis, lente, oleribus, ac potibus acidis, verum etiam, sicut ea pecora domus ab aliis accipiunt, tabe miseranda confectis, & reuera est, sed vt dicis, idque ipsum ego, & grauiter, & acerbissimo animo, itidem iustissimè repetam, illo vestro nectare, Iouis potu allecti morantur. Latinius mi Poggi dixisses, tamen nihil minus, quam turpius, si eos ebrios, atque ructantes hesternam crapulam, qua vsque ad vomitum satientur, procul dubio nominasses.

Hei talia ne decent, Poggi mi sua-

suauissime, eruditionem tuam, prudentiam, moderationem, modestiam, & Christianam professionem? an non rectè perspicis non posse ista ab homine tincto literis, ne dum doctissimo, vt tu ipse, mea sententia is es, nisi turpissime dici, quamobrem nullo profectò neque tu vel falsa opinione fallaris, vel temerario iudicio pericliteris, neque reliqui, ad quorum manus literæ tuæ vel peruenerunt, vel forte peruenturæ sunt, tua authoritate magis quam veritate deterriti, ab ipso nitidissimo portu *Sacrarum Religionum* (6) ad quas forsitan ab inquietantis sæculi turbinibus confugere voti fuerat, eiusmodi verbis tuis, vel aliorum persuasi fallacijs, auocentur.

Patiare igitur, mi Poggi charissime hoc loco, non contra te, quem magis errore quam maleuolentia deliquisse mihi persuadeo, non vt tibi in aliquo adsim, cum me adiutore ad bona studia, bonosque mores nequaquam indigeas; postremò, non vt tute ipse tibi consulas, qui iam is es, quem probè emendatum confido: sed pro veritate, pro iustitia, pro Religione, pro pietate, pro eis, qui hæc aliquando lecturi sunt, ac denique pro istorum integritate, non defendenda (cum hoc oneris contra te suscipere nolim) sed paulum commendanda, in eorum laudibus immorari.

Tu itaque adesto animo, atque erecto corde sis, teque ipsum ad ea quæ sum dicturus vultu, fronte, oculis totum in præsentia, oro, conuertas. Tu eos Poggi, non summo in honore habendos putas? qui summo conatu, *non Diogenis acerbitatem*, (7) non Curtij paupertatem, non ob mundi gloriam, vel si magis placeat illius amatoribus, ob virtutem, Socratis Tebani contemptum, sed Christi lenem ac suauissimam austeritatem feliciùs imitantur. Qui non alterius Socratis fractam spem, quem dicere solitum aiunt, *quod supra nos nihil ad nos*, sed spei suæ robustam, inconcussamque firmitatem super electum summum, angularemque lapidem, de quo Petro dictum est, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, aduersus quam nec portæ inferi præualebunt*, solidius collocarunt. Qui non Platonis insalubrem Academiam, sed gremium Ecclesiæ delegerunt; Qui non Aristotelis, ac Crysippi acumina, *sed ascensiones in corde suo, in valle lacrymarum* disponentes ascendunt in palmam crucis, & apprehendunt fructus eius, spinas, Christi sanguine tinctas, lingentes, quæ quàm roscida mella sint eis longe suauiores.

Matth.16 18.

Psal.83.6.

Qui non Democriti stultas atomos, quibus mundum hunc nostris expositum obtutibus mentiens conficit, sed diuinas literas venerantes audiunt. *In principio fecit Deus Cœlum & terram.* Qui non Epicuri luxuriam, qui & ipse turpissimis flagitijs inquinatus, dicebat; Post mortem nihil esse & mors ipsa nihil est. Non Sardanapali ingluuiem; qui cum infelicem mortem obiret, non autem quæ probis viris digna iudicaretur, quale exemplum sordidissimæ ante actæ vitæ reliquerit superstitibus, Cicero tuus, vt reliqui docti, testatur. Is enim in sepulchro moriens hæc scribi iussit, habeo quæ edi, quæque consumpta libido exhausit. Non, inquam, hos, qui iuxta Apostolum desperantes,

Genes.1.1.

tes, semetipsos impudicitiæ tradiderunt; Non denique Fabricij continentiam, ij, de quibus loquimur, sunt complexi: *Sed mortificationem Christi in suo corpore circumferentes, supplent ea quæ desunt passioni illius*, & quotidie cum Paulo clamant *qui autem sunt Christi*, carnem suam cruci, cum vitijs, & concupiscentijs affixerunt. Ad Galat. 5. 24.

Non Pythagoræ ænigmata, qui cum superstitiosè mutus indiscretum quinquennale silentium suis discipulis indixisset, ob id fortè vsu venit, vt nihil ab eo, vel in membranis, vel in chartis præclarè scriptum futurorum vtilitati relinqueretur, nihil enim eum ad consulendum posteris scripsisse ferunt, sed publicis æneis literis statuit stateram non transiliendam, arundinem domo pellendam, ignem gladio non fodiendum, ac post multa secula primò Euforbium, deinde Talidem, tum demum Nermotinum, quarto Pyrrhum, ad extremum Pythagoram in se se renatum, sacrilega temeritate, & stultissima leuitate atque cæcitate perhibuit. Verum hi Euangelij manifestissimam veritatem diligunt, de qua ait Apostolus, *Nox præcessit, dies autem appropinquauit &c. nos autem reuelata facie gloriam Domini speculamur*. *Pythagoræ dogmata fusius recenset Gualensis par. 3. florilegij c. 8.* Ad Rom. 13. 12. 2. Corint. 3. 18.

Deijciunt Gorgiæ vanitatem, omni leuitate inaniorem, qui de quaqua re proposita, humana eruditione fretus, ac suo ingenio confisus, publicè se ex tempore dicturum pollicebatur: sed isti audiunt Dominum suum, verius eis dicentem; *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ego dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere, & contra dicere omnes aduersarij vestri*. Triumphant de grauitate Crassi, quem semel tantum in vita risisse ferunt, malentes Christianam grauitatem, & grauem sobrietatem, de qua dicitur. *In populo graui laudabo te, cuius planta pedis sicut planta pedis vituli est*. Quo etiam in ipso laboriosæ prędicationis boatu, boni Christiani ita verborum ornamenta sectentur, vt vtiliora quam tumidiora diligentes, abundantius quam religiosam deceat grauitatem, nimia profusione non insolescant. Matth. 10. 19. Luc. 21. 15. *Vel Carnis.* Psal. 34. 18. Ezech. 17 *vel ardore*

Suppeditant Solonis, Liturgique ac reliquorum Græciæ sapientum institutis, maiorem in modum sapientiæ facultatem, immo vero tribuunt, quam illa haud habebant, excellentissimam sanctitatem: cum Euangeliorum præcepta, Apostolorum leges, ac Patrum vigilantius documenta scrutentur; vincunt Marci, Catonis, Reguli, Atilij, Romani Imperatoris, fidem, nec minus suppetit eis, vnde Curtij constantiam antecellant. Eorum enim facta præclara, luculentium hominum elegantissima loquacitate, in Cœlum quidem laudibus efferuntur. Sed Cœlum ipsum, vacua pietate delusi, sunt minimè consequuti. Quippe alterum, aiunt, captum à Carthaginensibus, missumque Romam, vt si persuaderet Romanis Carthaginensium reddi captiuos, cum liberum facerent; sin verò minus, adstrictus iuramento rediret, venisse Romam, persuasisse contrarium, sponte redisse Carthaginem, ex quo inclusum angusto ligno, vbi stare cogeretur, clauisque acutissimis vndique confixum,

xum, vt ſe nullam in partem inclinare, ſine pœnis atrociſſimis poſſet, tandemque poſt excogitatos, horrendoſque cruciatus, peremptum à Carthaginenſibus triumphantem, vt pro illorum deſiderio loquar, eum mortem obijſſe. Alterum verò, ſe ſe pro patria liberanda in abruptum hiatum, equo concito armatum præcipitem dediſſe ſcribunt. At verò iſti quos ſuſcepimus laudandos, inuictam potius Chriſti Martyrum, atq; inſuperabilem fortitudinem, & in ſe ipſis plerìque magno cum ardore affectant experiri, & in alijs admirantur. O felicem eorum mortem, immo vitam, quam, nec mora, felicitas ſuperna conſequitur.

Proinde pugnant cum Cicerone tuo, ac Demoſthene, cum Gracchis, cum Craſſo, cum Antonio, & Græco Lyſia, ac reliquis ſummis Oratoribus, non verbis, ſed rebus: quoniam illorum linguam, iſtorum pectus, qui ſapiunt, admirantur, illorum dicta præſtantiora, iſtorum facta nobiliora, qui non inſaniunt, efferunt. Creſo fortunis præſtant, ille quidem, ac reliqui ſui ſimiles auri, atque argenti immenſa pondera congregantes, potentiores iſti, cum audiunt Apoſtolum dicentem, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus: & tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*, mirabiliores exiſtunt. Maximè quippe, vt tuus Tullius inquit, homines admirantur, eum, qui pecunia non mouetur. Quod, in quo viro perſpectum ſit, hunc dignum perſpectu arbitrantur, ob eandem cauſam, fidem, & admirationem concipiunt. Quod eas res ſpernit ad quas plerique auiditate inflammati rapiuntur, immò verò vt præclarè quidam ex noſtris ait, libidine incenſi, pro his rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inuiti.

Al. Victum 1. Timoth. 6. 7. 2. Corint. 6. 10.

Cicer. de offic. lib. 2. cap. 9.

Congrediuntur cum Liuio, Herodoto, ac reliquis hiſtoricis, non rebus veris narratis, ſed fortibus opere ipſo confectis, ſuperare autem Carneadem, Zenonem, Cleantem, Heraclitum, Empedoclem, Pyſiſtratem contendunt, ac reliquorum, quorum nominibus nonnulli terricrepo ore inflantur: tum Philoſophorum, tùm Oratorum, tum Hiſtoricorum perditam vanitatem, ne dicam ſtultiſſimam temeritatem, nihilo magni pendunt, cum iuxta Apoſtolum, de his omnibus Romanis loquentem, *illi ipſi dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Non his ſe comparant, rerum exploratiſſima notione, ſed authoritatis dilectione, vſque adeò, vt Chriſtum noſtrum, verum, ſummumq; Deum, ſibi ipſis longè ſatius, omnis virtutis loco, procul dubio deſtinauerint.

Ad Rom. 1. 22.

Illi enim curſus ſyderum laborioſa indagatione compererunt, iſti ſe ſe noſſe laborant; illi Cœlorum, maris, terræque amplitudinem metiti, ſe ipſos ignorant, iſti mentis aſpectu puriore, & cordis affectu rectiore latitudinem Paradiſi deambulantes, dicunt illud Apoſtolicum, *noſtra conuerſatio in Cœlis eſt*; illi vires lapidum, ſuccos herbarum, fructus arborum, iras animantium, quid cui prodeſſet agnoſcere curauerunt, quod quo naſceretur, purgaretur, frequentaretur, domaretur, animaduerterunt ſumma cum diligentia, iſtis curæ eſt, montes peccatorum ſuorum, aſpera facinorum, prærupta flagitiorum, quæ vel carne victi, ſuperiore acta vita fecerunt, vel ſe facere poſſe

Ad Philip. 3. 10.

verentur, cum gemitu, qua facilius euitentur, meditari, cum dolore perpendere, cum acerbissima seueritate horrere, plectere, vindicare, quaqua versum curiosa eruditione neglecta eatenus, vt neque Ptolomæi illius Philadelphi nobilissimi Aegyptij Regis, exactissimam diligentiam multi faciant, qui totius gentilis, humanæque eruditionis, ac Diuinæ sapientiæ Bibliothecam, summis nummorum sumptibus, magna cum gloria sibi coemit, sed quemadmodum Beato Petro consulente,
2. Petr. 1. 10. eniti intelligunt oportere per bona opera certam suam ipsorum vocationem, atque electionem facere satagentes, timidiore cura, ne de libro vitæ aboleantur, elaborant, de quo libro, ad amicum Moysen loquitur
Exod. 32. 33. Dominus, *eum*, inquit, *qui peccauerit mihi, delebo eum*. Vique nihil, quo Deus læsus exagitetur, in libris conscientiarum suarum fœdum possideant, de quibus dicitur,
Apocal. 20. 12. *& libri aperti sunt*, sollicitiore in dies sancto pauore, velut angorum acerbitate penetrantur, castigantur, purgantur, solidantur, sicut scri-
Psal. 88. 41. ptum est. *Posuisti firmamentum eius formidinem*.

Ex quo fit, vt sæpe numero æque atque de sublimi specula humana, ac Diuina plurima contemplati, quanta sit rectitudinis Diuinæ asperitas, quanta humanæ obliquitatis impuritas, eo perniciosior, quo sibi ipsi latentior, quamquam Deum mundissimos seruos habere deceat, quanti contra sint miserandi hominis, tùm recessus culparum, tùm labes flagitiorum, tùm gurgites scelerum, vsque ad apertissimam, & obstinatissimam impudentiam perspicientes, vehementissimè frequentiùs expauescunt, cum alios, tùm se enim verò multo magis. Inde se se iudicant, ne iudicentur, cum, vt Propheta docet, nequaquam in id ipsum bis misericordissimus iudicet Dominus, Apostolique præcepta intentissimo 1. Corint. 11. 31.
corde hauriunt, vtiliter, saluberrimèque dicentis. *Si nos metipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur, dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*.

Inde purissimo mentis aspectu, flagranti animo, & diuturna huiusce rei consuetudine, sua, quoad possunt, omnia intuentes, id tandem assequuntur, vt se totos, quàm sint deformes, assequi posse diffidant, & neque superbia elati, neque, vt superborum mos est, se multi existimantes, atque etiam ostentantes, verùm humilitatis suæ in ima deflexi, cogantur iam iam pene angustia moribundi, super altissima calamitate, cum omnium hominum pietate, tùm sui iactura commoti, lacrymarum fluuios rogantes, orantes, obsecrantes ad Deum emittere, atque molestijs pressi, sancti, & fidelis Dauid, fortissimos gemitus clamare. *Delicta Domine, quis in-* Psal. 18. 13.
telligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Et ne Psal. 142. 2.
intres iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur ante te omnis viuens: immò verò, vt quidam è Patribus ait, vè etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.

Inde cum audiant Dominum suum Luc. 17. 10
præcipientem, *quando hæc omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus quod enim facere debuimus, fecimus*: in se prorsus remissi, de se penitùs desperati, eò liberiùs feruntur

in

in Deum, quo de eo ſolo omninò confiſi, atque ſpe freti audiunt: *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine*; & *bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in Principibus*, ſeque, haud mora, Deo ſuo liberè committentes, imò verò ſe ſe in illum proijcientes, qui eos in humeros errantes extulit, eum auidius alloquuntur. *In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus*. Admirantur autem Diuinæ lenitatis facilitatem, ac ſuæ humanitatis ingenitæ manſuetudinem, quod nos perditos, opulentiſſima largitate redemit, quod eoſdem malos ſeruos benigniſſimè habere dignetur, quod illos, qui abs ſe Dominum nimium audaces perpulerant, tam frequentiſſimè, vt ad ſe redeant, vocat, quærit, rogat, & pollicetur, quod eos, qui verè reuertunt, comiter, & facetè, ac dulciter ſuſcipit, quod prolapſos erigit, & frequentius curat, atque ne in vitijs immorentur, caſtigat de malorum immanitate, docet, vt caueant, de virtutum ſplendore commonefacit, vt appetant, de pœnarum autem futurarum acerbitate deterret, tùm gelu confecta, tùm glacie, tùm fame, tùm putoribus, tùm tenebris, tùm Dæmonum turpiſſimo contubernio, tùm fletu, ac ſtridore dentium, tùm auditu blaſphemiæ, tùm dolorum gemitu, quid plura? ſiti, angoribus, pœnis, moleſtijs, & quod eſt longè grauius, perpetuitate damnationis affecti, apud inferos ſubtus, qui conturbantur, adeò contruſi detinentur, exulant afflicti animos, nigri corpora, fumo tumidi oculos, membra denique ipſa indefectis ignibus torridi, in quibus improbos artum iri, niſi non Chriſtianus, nemo eſt ſanè qui dubitet.

Pſal. 117. 8. 9.

Pſal. 21. 11

His atque huiuſmodi cogitationibus eruditi, quibus intereſt ſapientia de Diuina bonitate ſuccenſi, iſti, vt dicere cœperam, admirantur, & ſtupent, quia hominem Deus, non ſolum nimia charitate dilexit; ſed quia in Cœlum ex cœno tam ſublime tamque feliciter hominem ipſum, Diabolo præreptum victorioſo prælio, & æquiſſimo iure euexit, & in ſe ipſo ad Patris dexteram perpetuo conſeſſurum collocauit, clamant, & dicunt: *Quid eſt homo Domine, quod memor es eius*. Itaque ſpe ſubnixi ſupernorum ciuium gloriam præſtolantur, metu verò compreſſi dies illis iudicij lugubris, vt ſæpius metu mentem dilaniet, in quo ſe audiunt veritate incutiente timorem, de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint, etiamſi à ſceleribus, & culpis maiuſculis vacui ſint, rationem apud Dominum reddituros, tunc ſcilicet, vt apud Hieronymum eleganter eſt dictum, cum ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, cùm lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient, cum potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt, exhibebitur tunc cum prole ſua verè tunc ignitus Iupiter, adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis, cum Ariſtoteli argumenta non proderunt. Tunc verò iſti, quos exiſtimas ruſticanos, cæteris metu coercitis, quos nunc pœnæ, quibus plectentur, manent, vehementiſſimè lætabuntur.

Pſal. 8. 5.

In Reg. Monac. titulo de timore vlt. iudicij.

Quapropter mea quidem ſententia, hi ſunt qui ſe dignos agunt, vt ab omnibus diligantur, colantur, tutentur; amicis grati, inimicis haud infenſi, alienorum periculorum ſoliciti, ſuæ verò iacturæ non negligentes, quæ de terrenis fœcibus eruti

damnant quod erant, de futura vita amant quod futuri sunt, de erratis suis se in dies afficiunt, de inquietantis sæculi turbinibus, grandi tempestate se euasisse plurimum gratulantur, & solo altior eorum animus, mundo maior, omnique terrena potestate sublimior, eatenus se excolendum virtuti, ac iustitiæ dedidit, vt posteriora obliti ad ea, quæ ante sunt, se extendentes, illis vita sit tædio, mors iucunditati, aurum luti loco existiment. Distincta laquearia gemmis, & crustis marmoreis domicilia vestita, eiusmodi hominibus sordeant, quibus curæ est, vt vitijs neque cedant, neque sub eis iaceant, sed contra ea laudabiliter dimicent.

Ad Philip. 3.13.

Inde vitam perditorum deplorant, suam autem tenacissimis quibusdam continentiæ frænis astringunt. Iam vero sensus omnes, qui illecebris malè suauibus facilè capiuntur, ne ab importunissimis Dominis voluptatibus superentur, tam castigant, vt quæ prospectum oblectant, & lenocinantes spectaculorum contagiones, quo ab eis salubriùs euitentur, ductis in terram luminibus fugere annitantur, suauitatem asperitate commutant, ipsam vocum molliorem modulantiam, iucundumque concentum nisi grauiter ferre non sustinent, lenem contactum, succulentam, robustam, ac virentem ætatem, in putorem, in sordes, squaloremque verterunt; qui contraria valetudine sæpius gaudentes, suspirant ad patriam, & pias aures Domini Sabaoth validissimis, atque importunissimis vocibus, illud quotidie clamantes pulsant. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*; fama autem, atque infamia, algore, & inopia, omnique genere molestiarum, cum sapiunt, libentius quam vulgi fauoribus, ac tardioris intelligentiæ, imperitorumque populorum inanibus rumoribus gloriantur. Et quod ijs omnibus maius est, se totos subiectione humillima superantes, & vincentes, & animo demissi, & pauidi, ac trementes, ne forte casus eis obrepat, & corpore fragiles, imbecilli, inualidi, pallentes, exangues, tam se pro Christo negligunt, vt omnem intellectum in Christi obsequium captiuantes, se despectos, & stultos, pro Christo existimari non vereantur, & Apostolo obsequuntur dicenti. *Si quis videtur sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens*. Et præsentia odientes mundum calcent, diuitias aspernentur, & ad futura se in dies solicitius præparent.

Psal. 119. 3.

1. Cor. 3.18

Ecce quales hosce homines censeam, quos tibi à me, non pro illorum merito expressos, putes velim, sed multo magis pro angustia temporis designatos. E quibus complures eam, quam dixi, vitæ mundiciem excellentissimam degunt, reliqui bonam, omnes verò saltem non malam. Qui cum penè cuncti ante in sæculo, vt tibi placet, perditam vitam egissent; nunc Dei sui præsidio adiuti, eiusque gratiæ auxilio roborati, labem superioris æui detersam, in expiato, ac puro pectore diutiùs possederunt, confisiq; Diuinitùs, eandem sibi de futuro vitæ sanctimoniam pollicentur, & ad ipsam æternorum collium sublimem speculam oculos erigentes, vnde exaudiri haud inane operiuntur iucundissima collacrymatione; grauiter enim ferunt se Cœlo fraudari, ac differri diutius, & molestissima

atque

atque acerbissima expectatione congeminant. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor*; quibus mitissimus Iesus respondet in eorum de se corda fiduciam ingerens. *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra, quasi coccinum, velut nix dealbabuntur*, indeque ipsi, Dominum suum pro se, quique vicissim, atq; anxij rogant. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini*, & *ostende nobis Domine misericordiam tuam*, & *ostende faciem tuam, & salui erimus*. Ac suis quidem virtutibus nihil, Dei verò sui viribus omnia præclarè acta adscribentes, & hic in terris Paradisum amenissimum è Cœlis traduxisse videntur; & tamen à Deo suo Corpore peregrinantes, & à patria exules, ad manentem futuram ciuitatem suam aspirantes, summis animi ardoribus, atque incenso mentis affectu ire, & si graui corpore pressi, ac peruenire contendunt, illa ipsa sua corpora prius excuti, & eadem potiora congruo tempore recepturi, vt integro homine potiti, liberius in Deum suum, nulla molestia præpediti, ferantur.

Psal. 50.8. Isaia 1.18. Psal. 41. 2. Psal. 83.8. Psal. 79.4. 8. & 10.

Tu igitur dilectissime mi Poggi, is eris, qui eiusmodi homines contemnas? quorum ego à puero, si quidem sapio, solo nomine recreor, ac non potius, vt eis, quemadmodum Christianum decet, obsequaris, & affectus tuos erga illos viros, summo honore habitos, summa cum reuerentia dedicabis? eloquentiam verò tuam omnem, & elegantem, & tersam, & abundantem, & politissimam, & quod me magis delectat, apertam, & planam, & dilucidiorem, nonne abs te, illis debendam magis censebis? omnia autem, quæ à te egregiè, atque honestè, & probè geri valebunt, vt tantis viris præcipuis, & claris perpetuò assis, nonne procul dubio tibi constitues? immò verò tu te, vt spe adducor, alacer, ac libens, id tandem efficies?

Sed sunt plerique, qui vsque adeò in tenebris, atque in nocte cæca diutius consederunt, vt exui quemquam ante actis vitijs posse non credant (8) nam cum alta, & profunda radice, longoque senio, perditorum vita obduruit, & diuturna vetustate inoleuit, honesta omnia difficilia, immo verò impossibilia, pro suis moribus opinantur. Impudicitiam enim pudicitia posse mutari, impudici non arbitrantur: & eum, qui luxuria turpiter, & delicatè, molliterque defluxerit, quique & ventri, & gulæ, & deliciis inseruierit, vt continenter, vt sobriè, vt parcè, seuerèque viuant, fieri posse inficiuntur. Auaritiam parsimonia mutari negant. Donatos honoribus, ac laudibus celebratos; inanissima gloria non intumescere, profectò desperant. Quapropter aliorum licet rectè facta, ex suis infectis metientes, peiorem in partem quæque interpretantur, quorum cæcitatem, ac perniciosum errorem, cum de se loqueretur qui fuerat quondam & ipse animo cœcus, beatissimus scilicet, & eloquentissimus Martyr Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, quodam loco scriptorum suorum elegantissimè, fortissimèque refellit, ac retrudit, cum ea de se dicit, quæ quantum ad rem nostram pertinere existimabo, breui hoc loco subiiciam, vt rectè perspicias, quo testimonio, & qua eloquentia, impudentium temeritas reuincatur.

Epist. 1. ad Donat. 4.1.

Ego,

Ego, inquit, *cum in tenebris, atque in nocte cæca iacerem, cumq; in salo iactantis sæculi, nutabundus, ac dubius fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus, ac durum pro illis tunc moribus opinabar, vt quis in nouam vitam interius animatus, quod prius fuerat, exponeret, & corporis licet manente compage, hominem animo, ac mente mutaret, quia impossibilis, aiebam, tanta conuersio, vt repente, ac perniciter exuatur, quod vt genuinum, situ materiæ naturalis obduruit, vel vsurpatum diu senio vetustatis inoleuit. Quando parsimoniam discit, qui epularibus cœnis, Et largis dapibus assueuit? & qui pretiosa veste conspicuus, in auro, atque in purpura fulsit, ad plebeium ac simplicem cultum quando deponitur? fascibus ille oblectatur, honoribus esse priuatus, & inglorius non potest, hic stipatus clientium cuneis, & frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse, cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, vt solebat, vinolentia inuitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet.*

Hæc interim, Poggi, de Cypriano partim, quæ cum prima fronte, aduersarijs suffragari videantur, quantum idem Doctor, illa ipsa cuncta quæ dicta ex eo sunt, labefactata constituat, vide quid ipse itidem inferat. *Hæc egomet*, ait, *sæpe mecum, nam & ipse, quam plurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitijs adhærentibus obsecundans, eram desperatione vilior, malis meis velut iam proprijs, ac vernaculis fauebam; sed postquam vndæ genitalis auxilio, superioris æui labe deterſa, in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur, ita vt esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium viueret. Dei esse cœpisse quod iam Spiritus Sanctus animaret.* Et post pauca. *Vitæ iam facultas datur, castitate sobria, mente integra, voce pura, in medelam dolentium, posse venenorum virus extinguere, animorum despicientium labes, reddita sanitate, purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos, & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, vt recedant, duris verberibus vrgere conflictantes, & vlulantes, ac gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere.* Complura dicit iste Doctor, pro re ista tuenda, quæ inserere longum esset.

Non fugit autem doctos viros, quid Afer noster, Beatissimus Augustinus, vnus quidem inter omnes præcipuus, & clarissimus Doctor, quo nescio vtrum apud Latinos, inter Græcos verò quis sui par, & animo dilucidior, & ingenio auctior, & eruditione præstantior, quisquam extiterit. Quod, inquam, is, contra

tra eorum hebetudinem, qui eiusmodi erroribus implicati tenentur, quos interim explodimus, & de alijs, & de seipso præcipuè senserit, libri eius testantur, ac de se quidem in libris confessionum suarum ita se quondam ait, non alieno ferro, sed sua ferrea voluntate, ac spurcissimis voluptatibus fuisse ligatum, vt de vera humani generis felicitate, & difficillimis, & grauissimis concertationibus, quibus inter se magno ingenio præditi Philosophi dissenserunt, victus luxuria, ac libidine, penè Epicuro palmam tribuerit. Qualis tamen post iste vir in Ecclesia fuerit, nemo nisi ignarus veritatis ignorat.

De cæteris autem libro de Christiana Doctrina tertio, post multa, quæ ad rem nostram magnopere pertinerent, quæque breuitatis causa omitto, aduersus eos, qui vna vxore libidinosè abusi, antiquos Patres nostros, castè, ac temperanter vxorum plurimarum fœcunditate vti potuisse, vehementer negabant, quid & verè, & eleganter loquatur quæso aduertas. *Sed qui effrenata*, inquit, *libidine, vel per multa stupra defluentes euagantur, vel in ipsa vna coniuge non solum excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam immanioris intemperantiæ sordes, inuerecunda omnino licentia seruilis cuiusdam libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse, vt temperanter multis fœminis antiqui vterentur viri, nihil seruantes in vsu illo, nisi congruum tempori propagandæ prolis officium. Et quod ipsi laqueis libidinis obstricti, vel in vna non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur: sed isti possunt dicere, nec honorari quidem, atque laudari oportere viros bonos, & sanctos, quia ipsi cum honorantur, atque laudantur, intumescunt superbia, tanto auidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos frequentius, atq; latius lingua blandior ventilauerit. Qui ita leues fiunt, vt eos rumoris aura, siue quæ prospera, siue quæ aduersa existimantur, in quaslibet inuehat voragines flagitiorum, aut in facinorum etiam saxa collidat. Videant ergo quam sibi arduum sit, atque difficile, nec laudis esca illici, nec contumeliarum aculeis penetrari, nec ex se miseri alios metiantur.* Pleraque hic adduntur ab Augustino copiosè, ac sapienter, quibus, quod facile est cuiquam per se ea legere, ac ne longior euadat oratio, supersedeo.

Taceo præterea Bonifacium, ante constupratorem, post è vestigio Martyrem. Silere non possum latronem cum Domino cruci affixum, qui de obsesso parricidiis itinere in crucem agitur; de cruce verò in Paradisi tutissima, atque amœnissima euolat. Præterea alium Cyprianum Romanum, primo quidem Magum, post Martyrem. Atque vt illustriùs veritate patefacta intelligas, nec temporis breuitatem, nec multitudinem flagitiorum, nec errata deformia efficere posse, quin mutata diuturna consuetudine, ex vetere vsu in nouam probitatem emergant, quicumque illi fuerint, qui se quondam vitiis addixerunt, paulùm iterum me conferam ad illum alterum Cyprianum, cuius superius memini, Oratorem Carthaginensem, qui Lactantio nostro teste, magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa

con-

conscripserat, in suo genere miranda. Erat enim, vt ait, idem Lactantius ingenio facili, copioso, diserto, & quæ sermonis maxima virtus est, aperto, ita vt discernere non queas vtrumne ornatior in eloquendo, aut facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Vt igitur clarescat patentiùs posse, & sæculi tenebras reuelari, & caliginem malorum detergi, ac prioris vitæ errores illuminari, vide quid placidè, ac iucundissimè idem Cyprianus adiiciat. Quantus, inquit, hic animi potentatus est? quanta vis, non tantum ipsum esse subtractũ perniciosis contractibus mundi, vt quis expiatus, & purus, nulla incursantis inimici labe capiatur, sed adhuc maiorem, & fortiorem viribus fieri, vt in omnem aduersarii grassantis exercitum, imperioso iure dominetur.

Epist. 2. ad Donat. t. 1.

Vidi ego, Poggi, proinde hisce oculis plurimos optantes bona omnibus, & proprias fortunas tribuere, qui aliena rapere consueuissent: probra etiam omnia eis illata, æquo, vt taceam læto, animo tolerantes, qui paruo conuicio exagitati facile digladiabantur. Quotidie insuper ieiunantes, qui lautissimis prius epulis marcidum corpus distenti, tridui crapulam, quam violenter ingesserant, violentiùs, ac deformiùs emouebant: se se vero plerosque conspexi tenui, vilique veste amicientes, neglecto capite, nudis pedibus, & lutatis incedere, aquam suauiùs bibere: fortes hi equidem, atque incolumes; qui primùm neque pellibus, neque trifaria vti veste, aut capitis pretioso operimento, aut multiplici, strictoque calceo, quamlibet delicatè, & molliter, quam exquisitissimis potibus ac cibis vitam suam, grauissima cum valetudine, aut degere vix posse, aut tueri solere. Magnoperè itaque, mi Poggi, censeo quemuis hominum ab hac seruorum Dei nobilissimorum iniuria iure æquissimo arcendum; ab qua quicumque non abstinuerint, iustissimè quidem illos plectendos esse perinde atque confido, quemadmodum improbos pueros Heliseo Sancto illudentes, vrsorum feritate dilaniatos, & geminos quinquagenarios milites, qui superbè ac prócaciter ardentissimum Dei virum Tesbitem Heliam impetiuerunt, diuino igne consumptos Sancta Scriptura referente cognoscimus.

4. Reg. 2. 23. 4. Reg. 1. 10.

Quæ cum ita se habeant, tu interim his paucis quæ sequuntur diligenter attende. Ego verò iam mihi ipsi modum, atque huic laudationi meæ finem imponendum constituo, quam pro Seruis Dei à me pertenuem perexilemque habitam fateor; quamque equidem inuitus modò suscepi. Si quos ea, vel delectat, vel sibi illam conducere arbitraretur, Deo nostro maximas gratias, in quo viuimus, mouemur, & sumus, & mecum habeant, & agant. Si quis autem illius ruditatis molestia afficit, omnes profectò, pro sua humanitate, ad quos est hæc nostra laudatio peruentura, quibus eam paritèr tecum communem facio, quo ego tandem ex ignoratione emergam, atq; euadam doctior; illique ipsi eruditi, ac præstantes viri, sua diligentia, cura, atque industria, huic oro, meæ, & ignauiæ, & inscitiæ vigilantissimè, solicitissimè, ac misericordissimè medeantur.

Ad te verò, Poggi, me modo

totum

totum conuerto: ac primùm quidem præſtantiam tuam inſtantiſſimè obſecro, vt in omnibus, quæ apud te perpetua oratione expreſſi, mihi proculdubiò non arguenti, non defendenti, ſed amicè, & Chriſtianè monenti, ingenita illa tua humanitate dimittas; ſi vel parum in his verbis te læſum ex me exiſtimas. Propterea enim, quod plerique me rogauerunt, vt ad te ſcriberem, putantes literas meas non parum apud te, pro mutua inter nos beneuolentia, valituras. Ideò his paucis tecum luſi, commotus fateor paulùm ipſa, ni fallor, rei indignitate; præſertim, cum in eos fratres, quaſi omnes, præter Fratrem Bernardinum, & me, tam acriter, & acerbè inueheréris: quos colere, ac venerari potius debuiſſes præter admodum paucos: quorum perpaucorum etiam nota, atque comperta ſcelera, ſi ea in alios cunctos, quos probas innocentes, referenda cenſeres, eo inſipientiæ, & erroris, eoque impudentiæ demergendum te video, vt omnes Apoſtolos Chriſti cum Iuda exiſtimes proditores. Immo verò ita ſe magis veritas habet, vt ſicut ignis experimento conflatum aurum purius comprobatur, ita bonorum vita improbis comparata, & dignitate præſtat, & laude.

Peto abs te præterea; quemadmodum in tuis literis polliceris, apud Pontificem Maximum hoc iuſtum negotium non impedias. Iuſtum dico, quia auctoritate Bullæ cœptus eſt locus, & tunc cęptus eſt, cum decreta illa, de quibus & me vocas in teſtem, & te dicis opificem fuiſſe, non authorem, nondum in notitiam perueniſſent; cum certo ſcias, nec tunc edita in lucem prodijſſe, cum tot expectantes fratres Romæ pro his explendis, ac propalandis conſtitutionibus diutius adeſſemus, impediente vel peſte, vel quouis alio negotio, de quo haud dubium te exiſtimo certiorem. Poſtremum obteſtor humanitatem tuam, vt his ſeruis Chriſti, non modo neq; verbis accuſando, neque rebus ipſis eos lædendo infenſus eſſe nolis: ſed velis potius tuis illos adiumentis proſequi, eis in cunctis adeſſe, eos quoad vita tibi ſuppeditabit, non aſpernari imperitos ſermone, ſed in vera ſcientia crucis Chriſti gloriantes colere, diligere, ac tueri. Præſertim verò me Albertum tuum, cui magis his ad te paucis occaſionem præbitam putes velim, religionis æmulos arguendi, cohibendi inſolentes, commonefaciendi ignaros, ac pigros, & nutantes animos hominum trahendi, prouocandi, & accendendi, qui laqueis ſæcularibus irretiti, quo à Deo vocantur intenſiùs, eo ſe nodis Diaboli inextricabilius deuinciri quotidie patiuntur, quam te in aliquo offendere maluiſſe, quèm niſi pauliſper tecum iocantem, hoc in genere exercendæ facultatis, ac poliendi ingenij, limandæque huiuſce noſtræ locutionis, vt taceam eloquentiæ, pene dixerim puerilis, æquiſſimo animo te arbitrarer laturum, non feciſſem ne verbum quidem.

Sed quia me ab iſtorum vulgo eximis, ac per hoc non vulgarem, ſed ſingulari quadam & vita, & doctrina præditum me egregium facis, habeo huic exiſtimationi tuæ de me tam bonæ ingentes gratias, ſimulque in ea re tibi congratulor plurimum, cum ex bene inſtituto animo tuo hæc tua de me opinio certè proficiſcatur. Tamen Alberto tuo, tibi quidem

ex animo vera testanti, velim credas, complures inter hos fratres esse, qui cum aspectu, & auditu iustiores, tum verò eruditionis præstantia longè me doctiores existunt. Si tamen ipse tuo iudicio is sim, quem doctum censendum putes; Eos igitur & propter me tibi amicissimum, illis ipsis verum, compertum, & exploratissimum testimonium perhibentem (nam inter eos quatuordecim annos versatus sum) & propter eorum merita non parua ex parte præclara tuendos suscipias. Me verò, vt soles ama. Nobis autem omnibus de loco illo non modo impedimento non sis, sed cura potius, vt locum illum, quem dicunt de Gangareto, vel vt vulgus loquitur de terra illa tua noua, pro singulari adiumento, & commodo illius patriæ habeamus. Quod quidem aliquando futurum opera tua, prorsus non desperamus; cum ad istam prouinciam te contuleris, ad quam si vita comes fuerit, *nec ab infestis præpediamur* (9) hominibus Christo propitio, vt te scio percupere, post Pascha prædicando me conferam. *Nunc in his locis versor, quæ sicut luto sordida, sic non nihil hæretica prauitate infecta reperio* (10) Aduersùs eiusmodi homines quantum datur quotidie pertono. Quos Deus miseratus ad fidem veri Pontificis Christi Papæ Martini V. & ad gremium Ecclesiæ per paruitatem horum fratrum, ac seruorum Dei, contra quos exeris eloquentiam tuam, redire permisit. Harum portitor te plenius edocebit.

In fine, Poggi charissime, hæc dico tibi curandam esse famam tuam; merita dum viuis acquirenda, rumores hominum sopiendos, iudicia eruditorum magni pendenda, beneuolentia præcipua deuinciendos animos bonorum. Quorum omnium mea sententia primùm quidem virtutum probitate re ipsa vera tibi haud iniuria comparabis; alterum morum mundicie, & bonitate, qui moralis locus, cum maximè in actione versetur, eum tenere perparuum est, si non diligenter agatur. Alterum autem facile tibi ascisces, si rem eam de loco isto, non secus, ac tuam vigilantissimè geras. Reliquum etiam egregiè conficies., si præstantium iudicio adquiescas. Postremùm denique, imò verò simul omnia assequeris, si purgata primùm infamia, quæ in prouincia tua latè, ac passim, contra te volitat hos fratres diligas, quorum laudationi sumus paulò diutiùs immorati. Conciliabuntur tum tibi, mihi crede, viri integerrimi longè facilius, cum & animi beneuolentia, & rei beneficentia, summam erga illos charitatem expresseris.

Quorum apud Deum opera fiet, quemadmodum bono animo sum, vt bene tibi instituatur animus, augeatur opinio, cumulentur merita, ac te illi probi homines, quibus gesseris morem, mirum in modum magni faciant, & sancti viri, quorum animus tuo facinore paulum abs te factus fuerat alienior, tuis beneficijs deliniti te diligant, tibi cohæreant, & fortissimo charitatis vinculo copulentur. Ita enim, vt mihi quidem videtur, Poggi dilectissime, non iniquè cum huiusmodi hominibus comparatum est; vt quibus pro obsequio debemus officia nostra, ea etiam aduersarijs tribuamus, illis muneribus prouocati, quæ, nisi ingratus, nemo est, qui abnuat. Cum verò

rectè

rectè sapimus, curamus, quæ ab alijs non accepimus, ea beneficia abundanter tribuere, quibus nobis vel inimicissimos obligemus. Qui si nos contra lacessunt, nostrum est æquo animo ferre: quæ in quo homine reperiuntur, eum non solum & beneficum, & magnanimum iudico; verum etiam, quod incredibiliter præstat, virum illum equidem constanter Christianissimum esse dico. Qui etsi ab imprudentibus, à perditis, & corruptis hominibus, qui penè semper leues iniurias sanguine expiandas contendunt, is ex numero hominum eijciendus, ex finibus humanæ vitæ exterminandus, atque in vltimas terras exportandus, qui non se læsus vindicet, censeatur, ego tamen eum contrà mitem, lenem, facilem, ac mansuetissimum hominem prædicauerim. Cortonæ 1430.

N O T AE.

Nota I.

Prædicando perpetior. Quo tempore hoc scripserit author, non vt solet subscribit: sed hic locus indicat non eodem anno 1430. scripta esse, quo ipse à morbo conualescens, ea ad Nicolaum transmisit, sed præcedenti, quo ante contractum contagium, in sermonibus ad populum declamandis distendebatur, & Nicolai, Poggijque literas accepit; quod ipse ad Nicolaum in epistolæ fine clariùs docet, & ex hac ad Poggium iterum colligere licet, vbi ait, se cum scriberet, quatuordecem annos inter obseruantes versatum fuisse, vbi in anthographi nostri margine notatur 1429. *hoc opus editum est*, si enim annos enumeres à 1415. quo se obseruantibus adscripsit, ille annus 1429. erit ipsius inter eos conuersationis rectè decimus quartus.

Nota II.

Ac me parum mordentem salubrius patiaris. Sapientis, & viri amici consilium Eccl. 7. v. 6. *Melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi*, & prouerb. 16. v. 19. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*; etenim *vitijs semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus austera, & fortia sunt amica*, vt rectè Petrus Rauen. vel si poetæ magis placent.

Lingua assentatrix vitium peccantis aceruat, *Iacob. Billius in Anthol.sacra.*
Et delectatum crimine, laude ligat:
Nulla sit vt lapso reparandæ cura salutis,
Blanditur sonti, dum male suasus honor.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena sinat.

Nota III.

Præter Fratrem Bernardinum, & me. Hæc iterum inferius repetit, & magnam præ se ferunt Alberti commendationem, quod vniuersæ Religionis vituperator acerbissimus ipsum excipiat, & solum soli sanctissimo, doctissimoque Bernardino Senensi, vt erat eius discipulus, sic vitæ, ac virtutum optimè æmulum associet. Quo etiam collimant, quæ ipse Beatus Albertus, ex Poggij ad se literis vel ijsdem ipsis vituperatorijs, vel alijs vnà missis refert in hæc verba: *sed quia me ab istorum vulgo eximis ac per hoc non vulgarem, sed singulari quadam vita, & doctrina præditum me egregium facis &c.* Certè multi tunc erant non solùm per totam Italiam, & extra, sed in eadem ipsa prouincia Tusciæ eiusdem instituti docti, sanctique viri, & miraculis illustres; & tamen aduersarius vnicum par Bernardinum, & Albertum

tum nominatim eximendos censuit: quo non extra gregem tantummodo ipsos extulit: sed eminentes, & singulatiter insignes, etiam inter proceres religionis, vita, & doctrina esse significauit.

Nota IV.

In fingendis horrendis criminibus, & turpissimis moribus asperiorem, ne dicam audaciorem. Hinc pergit Albertus Poggij in religionem probra eidem exprobrare, non quod illi eadem impingat vitia, sed quod insontibus impegisse, vitio vertat, & quamquam pluribus, iisque claris, & fortissimis argumentis, eadem probra postea reprobet, non fortiori mea sane sententia vsus est, quam hoc ipso, vt ea tantum detegat, quemadmodum alio tempore, & loco Diabolum pinnati cerui specie laruatum, dolum detegendo disparere, confestim euanescere, & disperire fecit. Etenim non sola hæresis est, quam ad suam originem reduxisse, refutasse sit; sed quæcumque hominum actio, quæ ex ira, odio, inuidia, audacia, acerbitate mentis, ex omni denique inordinati animi perturbatione procedunt, quem ex fructibus cognosci veritas ipsa nos docet, & cognoscere nobis concedit. Qui fructus in vehementi, & impotenti oratione Poggij manifesti sunt, aliter enim turbati animi passio, & aliter tranquilla, & recto iudicio ordinata voluntas, parrus suos edere solent, & longe disparem produnt affectum radicis. Hęc probabilem, suauem, pulchrum, amabilem; illa vel primo aspectu fidem sibi derogat, turpitudinem prodit, audientem exasperat, charitatem vel diminuit, vel impedit, seque alijs horrendam, ac despicabilem reddit. Hinc tot Rhetorum flores, & figuræ, tot beneuolentiam captandi genera, & modi, quibus etsi celare prorsus animi sui motus aliquando non possint, exornare saltem, ac dulcorare conantur, ne quos conciliare cupiunt, magis exasperent, irritentque: quod & Christiana charitas, non raro suadet. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Prouerb. 15. v. 1. *Et mansuetus Moyses, dilectus Deo, & hominibus, verbis suis monstra placauit*, Eccl. 15. 1. 2. Quem imitatum in hoc opere nostrum Albertum effectus consequuti ostenderunt. Nam quæcumque in hac epistola petijt, obtiuuit, & Poggij amicitiam sibi conseruauit. Vide aliam eius epistolam ad eundem quæ ordine 89. est. Inter Poggij opuscula edita extat eius Responsio, qua se excusat, & epistolam sic incipit. Tantum abest mi Alberte, vt grauiter feram, quæ à te scribuntur, vt etiam maximas tibi, & habeam, & debeam gratias, quod me pro tua in me beneuolentia, & charitate admonere voluisti, eorum in quibus me aberrasse arbitratus es.

Nota V.

In locis deliciosis, amœnis, iucundis. Hæc Poggij querelarum causa fuit, quod cœnobij fundo fratribus iustè acquisito, Deoque, & Religioni dicato, se vel suos tanquam amœnissima patria, & in eo nascente Iouis, vt prophanè vocat, nectare priuatos lamentatur, eaque data fuisse tam vili hominum generi, vt ipsius quidem dicterio prædonibus domus, hoc est foricibus, seu canibus, & cattis comparandi sint. Quos tamen Albertus Dei seruos, & Sanctos vocat, & ipsa vilitate, seu vt religiosiùs dicamus, Euangelica paupertate, & nectaris illius aliarumque voluptatum voluntario contemptu meliorum rerum, ac cœlestium deliciarum dignos demonstrat.

Nota VI.

Sacrarum Religionum. Non ergo proprij tantùm instituti, vel suorum fratrum philautia, sed communi ordinum omnium religiosorum causa, & animarum salutis zelo, & vt prius dixit multorum instantia hanc religiosæ vitæ laudationem instituit. Quo etiam spectant, quæ fusius ad Nicolum in superiori epistola in hanc sententiam scripsit.

Nota VII.

Non Diogenis acerbitatem: Desiderabit fortassis quispiam, vt Diogenis, aliorumque gentilitatis procerum, quos in virtutum certamine Christianis religiosæ vitæ professoribus in hoc opere postponit author, personas, & qualitates, ex quibus cum his comparantur explicaremus. Sed res alioquin eruditis familiaris tam longa est, vt excrescentes notæ textum superarent; molestam propterea, ac superuacaneam omittimus, ne paginas frustra duplicare cogamur: videre poterit, qui cupit Diogenem Laertium in vitis Philosophorum, Ioannem Gualensem nostrum de dictis, & factis eorumdem, per Lucam Vvaddingum Romæ editum, eorundemque Philosophorum sententias, & Apophtegmata in Polianthæa, ac theatro vitæ humanæ, quæ confirmant, elucidantque omnia, quæ author noster in hoc opusculo ex gentilibus in medium producit. Id verò hic omittendum non duxi, aptè quidem ipsum, & ad hominem, quod aiunt, huiusmodi comparationem in Poggium assumpsisse, quem ante dixerat Poetarum, Oratorum, Historicorum, & Philosophorum gentilibus literis nimium delectari, eisdemque plusquam oporteat, & quam deceat attribuere, quo ille cernat, præstare prophanis Christianam Rhetoricam, & Philosophiam, quæ sola vera, cum falsa & ficta Ethnicorum composita veram virtutem & docet, & operatur, & solà cæleste, æternumque præmium, & solidam laudem expectat, & promeretur.

Nota VIII.

Sed sunt plerique, qui vsq; adeò &c. vt exui quemquam ante actis vitiis posse non credant. Vtilissima, & pulchra præoccupatio. Talis fuit veterator ille malorum, quem suaui, facilique consilio, & procul dubio etiam precibus, Albertus ipse, quod in eius vita diximus, Venetijs olim ad frugem reduxit. Tales innumeri in sacris historijs reperiuntur, & vtinam aliqui non semper sint, qui vt Augustinus eleganter expressit, catena consuetudinis peccandi, per Diabolum desperatione emendationis constricti detinentur: sed semper etiam fuerunt qui à summis flagitijs, & inueteratis sceleribus ad summam sanctitatem morum, & maximam copiam cœlestium gratiarum repente conuersi reperiuntur. Qui cum Psalmista dicere possunt: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tua lætificauerunt animam meam*. Sed satis ad rem persuadendam Albertus hoc loco ex Augustini, Cyprianique, & aliorum tam documentis, quàm exemplis produxit. Verè quondam Seneca Epist. 107. dixit. *Non quia difficilia sunt, multa non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt*: quæ ille Socratis exemplo confirmat. Duo autem hoc argumento præstat Albertus Poggio suo, alterum, vt videat facilem ipsi Dei gratia viam esse, si recipiscere vellet ad Dei, atque hominum, quos offenderat, recuperandam amicitiam: alterum vt intelligat, male se collegisse, si qui seruorum Dei, in quos inuectus est, in sæculo flagitiosi fuissent, eosdem factos religiosos post conuersionem tales esse oportere.

Nota IX.

Nec ab infestis præpediamur. Infestos hoc loco non inimicos intelligit, quos nullos habuit, præter paucissimos virtuti ipsius malè æmulos, sed importunos exactores prædicationis ipsius: qualem in eius vita diximus fuisse Franciscum Barbarum, Brixianum tunc Prætorem, qui ipsum ad pacem sæuis in se mutuò ciuibus persuadendam rogabat: in eo tamen ab alijs eadem importunitate distractus ante octauum post annum, eo se conferre non potuit. Tales etiam hoc tempore fuerunt Cortonenses, Regienses, & Florentini, ac Minister Generalis, qui Albertum, vt vidimus, ad Viterbienses, aliosque prædicatum proficisci cupiebat. Tales multos referr Vvaddingus in actis vtriusque Bernardini Senensis, & Feltrensis, Ioannis Capistrani, Iacobi Piceni, & aliorum hu-

ius

us instituti hominum, quorum prædicatio adeò grata, & proficua probatur, vt populi Ciuitatum, & Principum literis, & procuratis diu ante mandatis Pontificijs, & adhibitis aliquando militaribus custodijs ne alio migrarent, eos ad se certatim rapere, & retinere nitebantur.

Nota X.

Nunc in his locis versor, quæ sicut luto sordida, sic non nihil hæretica prauitate infecta reperio. Vbi fuerit Albertus quando hæc scripsit, nisi forte Florentiam intelligat per illa verba præcedentis Epistolæ ad Nicolum, *quam* (prædicationem) *superiore tempore* (fortassis anno præcedenti quo ad Poggium scripsit) *vt tu ipse optime scis nostræ Reipublicæ, nostræque Ecclesiæ accuratius solebam impendere*, per quæ an Vrbem ipsam Florentiam, an alium illius ditionis locum (qualis Cortona est) designet, dubium est. Florentinam Rempublicam forte designat, (quam nostram vocat) id est sibi, & Nicolo communem. Sed vt Cortonam intelligat, magis mihi persuadeo, vbi nimirum inter prædicandum morbo correptus est, iacuit, & conualescebat. Cum hac ad Poggium epistola dicat, hos hæreticos ad fidem Martini V. Pontificis, & gremium Ecclesiæ per illos seruos Dei, quos Poggius vituperabat, conuersos fuisse; Ego, fraticellos intelligo, qui tempore schismatis, ante Martini Pontificatum liberius per omnem Italiam grassabantur, & regularis obseruantiæ Minoritarum studia, & acrem inquisitionem, sibi grauem, multisque vtilem ad salutem, alijs ad supplicium, sentiebant. Maximè verò Ioannis Capistranensis, & Iacobi Piceni quos Pontifices ad id specialiter hæreticæ prauitatis inquisitores designarunt: quibus que Albertum, & alios operam suam in Tuscia contulisse, ex hoc eius loco habemus. Quamquam dum veri, vt loquitur, Christi Pontificis Martini, hac differentia ipsum ab Antipapis discernere videatur, possit etiam intelligi de schismaticorum reliquijs, qui ante Martinum sub diuersis Antipapis diuersis quoque forsitan erroribus imbuti fuerunt.

EPISTOLA XXII.

NICOLAO NICOLI.

ARGVMENTVM.

Scripta quædam sua anno superiori Nicolao promissa iam tandem mittit, rogatque, vt ea, postquam illis vteretur, Andreuccio Senensi, viro docto, & vtrique communi amico communicet, vbi de sua profectione Neapolitana.

CVM essem superiore anno, mi Nicolae charissime, *vrgentibus maiorum iussionibus Neapolim accessurus* (1) decreueram, tum ad te mittere spiritualia munuscula memoriæ apud te meæ, *libellos scilicet duos* (2) quos ipse nuper edideram. Quod cum certa ratione ante non fecerim, ecce nunc, si quid erratum est, emendo peccatum meum, & tu veniam dabis. Oblata ergo in præsentia aptiore occasione fideliùs, ac tutiùs, quæ velim ad te mittendi, post reuersionem meam ex Neapoli, ac reliquo omni eiusdem Ciuitatis Regno, mitto ad

te

te eosdem libellos, quos huic nostrarum baiulo, qui pro rebus gerendis illustris Comitis Vrbinatis Florentiam accedit, ad te perferendos dedi. Horum opusculorum alterum libens quidem, ante hoc fermè triennium, ipse confeci, cum ab ægrotatione paulùm conualescerem: alterum verò inuitus elaboraui, habitum publicè ad populum Vrbeuetanum, in capite Quadragesimæ, cum eiusdem Ciuitatis Episcopo instantius flagitanti, immò verò iubenti, id negare non possem. Hi libelli titulos habent singuli prænotatos, quos tu cum amicis omnibus, vt libebit, tùm verò Andreuccio nostro Senensi, homini quidem docto; sed quod est satiùs, & sanctiùs vtriusque nostrum amantissimo legendos, & scribendos tribues. Ità enim illi me facturum, cum is nuper huc venisset, pollicitus sum, vt vel tu eos ad illum, vel ego quantòcius mitteremus. Tui itaque, atque *Ambrosij doctissimi Monachorum* (3) præstantissimo derelinquo iudicio perpendendum, vtrum ego clamator importunus, contra quod oporteat, & quod deceat rectiùs sileam, ne iuxta Ciceronem stultitiæ meæ complures domesticos faciam: an vel perexiguus orator ad scribendum me penitùs dedam, vt tandem aliquando mediocrum eloquentium gregi annumerer, & nostris Christianis hominibus, vel in paruis causis, vel in maiusculis prosim, consuetudine auctus, & tua frequentiore admonitione limatus: aduersa corporis valetudine, quæ me diu tenuit, dum ad te nunc scribo, ita premor, vt quid velim dicere, penè non sciam, & quod scribo, cum conor eloqui, vix stylum manu tenere queo. Scateat ergo vitijs oratio, modo amicitia beneuolentiæ non perdat officium, immò verò partes suas Christiana charitas non omittat. Abbatem dignissimnm, iterum, atque iterum dico, Ambrosium nostrum Monachum, religione consortem, ætate fratrem, dignitate parentem, vt meo nomine salutes, ac me illi commendes, plurimum precor, cuius, vt ante dixi, grauissimo iudicio vnà tecum nostra iudicanda committo. Vale, & me, vt soles, ama, & pro me ad Christum instantius ora ex Vrbino 22. Octob. 1433.

N O T AE.

Nota I.

Vrgentibus Maiorum iussionibus Neapolim accessurus. Poterat hoc iter effecisse, vt multæ Alberti literæ superioris anni nobis non supperant. Totum enim Regnum peragrasse (procul dubio prædicando) ipse in alijs posterioribus Nicolao scribit. Tam magnæ quondam Græciæ, quam totius penè oræ Italicæ, quam multo labore lustrauimus.

Nota II.

Libellos duos, quos ipse nuper edideram. Horum libellorum titulos author non exprimit: sed alterum eorum fuisse laudationem Religionis ad Poggium, inde colligimus quod se illum ante triennium confecisse, scribat, cum ab ægrotatione paulùm conualesceret, quæ vt epist. 20. vidimus, illi laudationi conueniunt: alterum libellum credimus esse orationem de laudibus

bus pœnitentiæ, de qua in hac epistola scribitur. *Alterum verò inuitus elaboraui habitum publicè ad populum Vrbeuetanum in capite Quadragesimæ, cum eiusdem Ciuitatis Episcopo instantiùs flagitanti imò vero iubenti id negare non possem.* Quæ omninò conueniunt cum eis, quæ in ipsa oratione habentur, & in nostris ad eam notis, atque imprimis in Ipso exordio statim. *Quod munus impræsentiarum non satis equidem libenter suscipio*, & hoc est, quod in hac Epistola dicitur. *Alterum verò inuitus elaboraui*. Et iterum versus finem. *Hoc præsertim tempore deuotissimo Quadragesimæ*. E paulò post. *Quod hodie ex Sancto Iobele lectum audiuimus*: Et iterum. *Euangelium quoque compleuerimus &c.* vbi refert verba Iohelis in Epistola seu lectione Missæ, & summam Euangelij eiusdem Missæ exponit, quæ Feria quarta Cinerum in Ecclesia leguntur. Et hoc quoque est quod in hac Epistola dicit, habitum publicè ad populum Vrbeuetanum in capite Quadragesimæ. Ex quibus clarè consequi videtur, illam orationem de laudibus pœnitentiæ habitam anno 1432. vt in fine ipsius orationis notatur, idque coram Episcopo Vrbeuetano, quod ijs verbis orationis huic Epistolæ consonis ostendit. *Quando & tu, Reuerendissime Præsul hoc fieri iubes*; & coram Religiosis, & populo ciuitatis, vt iterum loquitur. *Et vos integerrimi Religiosi adestis, & vos egregij, ac doctissimi viri, & vos omnis populus suspensi ora consistitis.* Quibus verbis auditorum tunc suorum ordines fecernit Albertus. Atque ego his conuincor; vt censeam eam orationem fuisse secundum libellum, quem Albertus ad Nicolum cum hac Epistola misit, & eandem ipsam iubente Episcopo ad vrbeuetanos habitam; vbi etsi nulla tunc fuerint ordinis comitia erat tamen aliorum Conuentualium, alterumque Obseruantum Franciscanorum, aliaque aliorum ordinum cœnobia, quorum Religiosi peroranti Alberto assistebant; ad quos vt ad cæteros auditores ipse sermonem dirigere potuit. Nec obstar Vvaddingum dixisse, quod Albertus eam orationem 1433. Bononiæ in generalibus ordinis comitijs habuerit: poterat enim Vrbeveteri prius habitam alibi postea mutatis mutandis recitasse, quam mutationem Ipse author in alijs literis ad Nicolum scriptis indicat, dicens alia eiusdem orationis exempla, ab hoc nostro per ipsum emendato, in aliquibus differre:, vide Epistolam XXV. à nobis post hæc scripta lectam, ex cuius nostra nota colliges orationem illam stilo nouo habitam fuisse anno 1433. nimirum in fine Februarij, vel initio Martij, in quos dies incidit Feria quarta Cinerum, quamuis Albertus signauerit annum 1432. scilicet stilo veteri, quo vtebatur, & annum nobis primo Ianuarij præteritum vsque ad 25. Martij protrahebat.

Nota III.

Ambrosij doctissimi Monachorum. Is fuit Ambrosius Camaldulensis, sui ordinis Generalis, Græcè, & Latinè eruditissimus, Eugenio IV. Pontifici, & Cosmo Mediceo maximè familiaris, & in Basileensi, & Florentina Synodis Pontifici vtilis.

EPISTOLA XXIII.

ANDREVCCIO SENENSI.

Duos illos Libellos per Nicolaum tradendos esse monet.

Homini cuidam fideli, quantum mihi videtur, & diligenti, qui pro rebus gerendis Illustris Comitis Montisfortis, vel vt vulgo dicitur, Vrbinatis Florentiam accedit, libellos nostros ad Nicolaum perferendos

rendos commiſi, quem ſum inſtantiùs meis literis obſecratus, vt ad te illos, cum eos ipſe peruiderit, legendos, ac ſcribendos det. Ita enim mi Andreucci, data occaſione non modo fideliſſimi, verùm etiam velociſſimi nuntij fieri debere ſum arbitratus. Tu verò eos cum voles, vt me vehementiſſimè poſtulaſti, poteris à Nicolao noſtro non ſolum alienarum rerum, ſed quod eſt maius, ac rarius, ſuarum largiſſimo tributori eoſdem libellos facillimè mutuari: Quos cum impetraueris, eos leges attentiùs, ac me diliges. Vale ex Vrbino 22. Octob. 1433.

EPISTOLA XXIV.

GASPARI CORNELIO.

ARGVMENTVM.

Tota familiaris, & feſtiua, in eaque iucundè ludit, accuſando, excuſandoque mutuum decennale ſilentium inter ſe, & Gaſparem, iam tandem ſolutum.

DEcennale fermè ſilentium, mi Gaſpar in Chriſto chariſſime, quo mecum maluiſti diutius pariter tacendo confligere, cum ex Bononia nuper ad me ſcriberes, tua tandem humanitate rupiſti. Quamobrem diuturnam ruſticitatem erga te meam, iam abs te ſuperatam eſſe confiteor: nam ſi vt poteram, & tua amicitia poſtulabat, ad te ſæpe ſcripſiſſem, fuiſſem, quantum arbitror, primo quidem tua dulciſſima dilectione in Domino fruitus. Deinde eſſem, quod te non ſcribentem longo iam tempore viciſſem, gloriatus. Poſtremò verò, niſi fallor, fuiſſem ad te ipſe ſcribens, te non parum in Domino conſolatus; compluribus quidem curarum cruciatibus in gubernandis fratribus angi ſolitum, ſed in alenda amicitia, pace tua dixerim, ſomno profundiſſimo dormientem. Quid dico dormientem, imo verò ne culpas quidem diuturni ſilentij ingenuè confitentem: quandoquidem eaſdem culpas, quas liberè confitendo diluere poteras, magis augeas, dum neſcio quæ argumenta obtendens crimen tuum in alterum referre conaris. Ais enim præterea, te haudquaquam ad diem iſtam ad me quicquam ſcripſiſſe, quod me occupatum quotidianis prædicationibus audieras; quaſi verò niſi ego ſiluerim, & mihi non vacauerit legere, & tu ſcribere non potueris. Dicis præterea ob hoc tacuiſſe te, quod fueris arbitratus, quam verò leuiter ipſe videris, amicos mihi ex animo excidiſſe diſtento tantis laboribus, quid ſibi velit iſte diſtentus non ſatis intelligo, niſi forte diſtentum voces diſtractum, effractum, effuſum ad omnia, aut diſtentum intelligas, qui ſit inflatus, turgidus, & ventoſus. Quod ſi hæc ſentis, habeo huic exiſtimationi tuæ de me tam bonæ ingentes gratias, cum il-

lum me his verbis appelles, nescio & an arbitrere, qui & in rebus gerendis non satis integer, & admodum insolens sit. Hæc sunt argumenta tua, quibus te iustis ex causis decem circiter annos rectè tacuisse excusas. Verum vt ego sentio te multo rectiùs simpliciter excusasses: quod pro me equidem facere nunc aggredior. Ego inquam, ego de errore meo, nec me tuebor, nec excusabo: imò verò ecce rusticitatem meam tantùm, vt dixi, paulò confiteor à te victam. Non prætendo occupationes, non labores prædicandi iugiter Euangelij, vt pro me ipse facis, rectè ne an perperam, sileo, quia verò magnitudine laborum meorum, vt ais, præpeditus, vel tuas literas legere non potuerim, si illas scripsisses, præsertim tanto chariores, ac faciliores, quanto rariores, cum frequenter multorum legam, vel ad te paruulam scedulam exarare, qui etiam in mediis occupationibus libellos quosdam non paruos edidi. Quos si videre volueris, prius est, vt te ad me longo iam tempore non scribentem non tueare, sed turpiter fecisse accuses, vt te læsisse amicum confiteare, vt postremò te victum intelligas. At verò vt hac de re & mihi, & tibi, tanto salubrius, quanto communius iam consulam, superest mi Gaspar carissime, vt cum ambo in excitanda, fouenda, & confirmanda amicitia torpuerimus, errata nostra superioris temporis nobis inuicem dimittamus. Posthac verò agamus frequentibus epistolis inter nos diligentiùs, qui tam culpando silentio tanto in tempore egimus negligentius. Sed de hoc satis: nunc de aduentu meo Venetias, quem tu vehementer & amice expectare videris, quantum attinet ad superiora tempora, quibus venire distuli: hoc tibi respondeo, voti quidem mihi diu fuisse eo accedere, quamuis autem complura impedimenta, ipsaque præsertim impotentia mea tardiùs proficiscendi causa fuerint: hoc tamen velim tibi persuadeas, prudenter factum esse, quod huc vsque non veni, ne aut temerè accederem, si intempestiuè, aut inconsultè differrem, si nunquam venissem, spei itaque plurimum mihi est, frater in Christo charissime, nisi iter meum aliquid intercipiat, ad vos Christo propitio, & si vita comes fuerit, proficisci; at verò hoc ipsum non admodum propere efficiam, tamen tandem aliquando si mea valetudo ferat, vt in altero, idest dum differo, mihi prępares animum tuum; in altero autem, idest dum interim hæc pauca ad te scribo, quia mea præsentia delecteris, quam licet simus exigui, te percupere minùs ambigo. Accipe itaque has Vicarias, & vt ita dicam, præcursorias literas meas, non ad te solum, sed & ad reliquos amicos in Christi visceribus honorandos, tam nostri ordinis fratres, quam omnes, qui se in his literis meis nominatos arbitrentur, & tu illos suis nominibus expressos putes velim, quam & sæculi homines Christianissimos, Guarinum dico, F. Barbarum, ac plerosque cæteros, qui nos amant, vel potius amare solent. Hoc quidem quantum mihi videtur iustissimè dixerim, cum apud nos scribendi ad inuicem diligentia omnis sublata est; immò verò negligentia vsu iam consuetudinis inoleuerit. Vale ex Arimino 1433.

EPI-

EPISTOLA XXV.

NICOLAO NICOLO.

ARGVMENTVM.

Indefessum Nicolai studium in conquirendis libris, & promouendis literis laudat, se lustrato Regno Neapolitano, ac tota penè ora Italica, nullos veterum libros, quamquam diligentissimè quæsitos, reperisse nunciat: & sterilitatis huiusce causas fusius prosequitur, librorumque, & literarum in eo Regno contemptum exagitat. Nicolaum ex aduersitate mœstum scripturarum exemplis consolatur. Tertullianum cautè legendum admonet. Denique de libellis suis ad Nicolum nuper missis, ac de Guarino Magistro aliquid.

CVm ex *Vrbino* (1) post curatam *valetudinem meam* (2) Ariminum me contulissem, profectò inde mihi in Lombardiam literæ illic tuæ redditæ sunt. Quibus lectis, quam magno sim affectus, & gaudio, & mœrore dicere sanè non possum: quorum mihi alterum tua prosperitas, alterum tua aduersitas præbuerunt: vtrumque verò amor erga te meus. Nam, vt lecta antea referamus, de tuis literis, mi Nicolae charissime, cum pro nouitate illarum (diu enim ad me non scripsisti) tum verò maximè pro hilaritate rerum, quas ad me attulerunt, sum plurimum gratulatus. Quem enim amicorum tuorum, inter quos pro tua humanitate, haud mediocris mihi locus præbitus est, non lætitia ingentissima efferat, audientem prosperitatem bonæ valetudinis tuæ, tanto iucundioris, quanto salubrioris. Neque enim istam tui corporis sanitatem, vt in plerisque nouimus, libido effusior populata est, inquam, non grassatur voluptas insanior, non luxuria fœdior, & quam consueuisti à teneris, vt dicitur, annis in acquirendam ampliorem veritatis notionem, consilio prudentiore potiri, immò verò in omnium, & doctrinarum, linguarumque peritiæ cupiditate consumere. Verum hæc sæpe noxia sunt: & frequentissimè tam malis, quàm vanis insunt. Illud autem, quod est longè præstantius, & quod apud te fateri ad me maximè attinet, quis non miretur non solum amicissimorum, sed inimicissimorum, perditorumque hominum te virum iam senem, tam incredibili ardore animi, & tam continua sanctarum scripturarum non modo deuotione Christianissima, & lectione instantissima; verùm etiam propriæ manus laboriosissima scriptione feruere. Tibi ergo, non quantum per me fieri (quid enim illud nisi perparum est) sed quantum per te optari potest alacer, ac libens satisfacere vellem: non quidem tanquam homini defecto viribus, non vt iam diuturnis laboribus, ac vigilijs flaccescere in-

inchoanti, non denique quia cano capite, & frigido sanguine, vt in antiquioribus fieri solet, remissiuè laboranti, sed velut nouello cuidam viro, nunc præclarissimam viam sanctorum studiorum florentissima ætate ingredienti, quem pro robore ætatis, ac subtilitate ingenij, proque summis studijs, quibus summa diligentia feruoris incumberet, fore grandi fruge fœcundum, & vberrimis fructibus opulentum, non dubium est, præsertim verò *de Biblia illa* (3) quam Græca & lingua, & literis exaratam, apud nostræ religionis fratres Arimini reperiri à fratre Bernardino accepisse te scribis; cuius tamen habendæ cupiditate, mi Nicolae, frustra laboras. Nam nedum nostri Conuentus, sed omnium religiosorum, omnisque illius Vrbis peragrata prouincia nihil græcarum literarum à me repertum est, sed & ipsi fratres annosi, admodum veteres, & antiqui, qui omnes Bibliothecarum libros frequentiore lectione hactenus percurrerunt, quicquam aliquando fuisse in eorum locis græcæ eruditionis penitùs negant: ex quo fit, vt vel de alia ciuitate quæ te fugerit apud te Fr. Bernardinus ista narrauerit: vel illum de illa ipsa obliuio profunda fefellerit; vera tamen se attulisse existimantem. Tute ipse ergo poteris ab illo fieri certior, qui tibi quam mihi est longè vicinior: adeò vt superfluè à me quæras de cius sospitate tibi rescribi. Audio enim illum *in nostram Etruriam* (4) nuper ingressum, vel Aretium, vel Cortonam, vel Perusiam applicuisse, in vna illarum, siue in altera qualibet nostræ patriæ ciuitatum Diuinæ prædicationis salubriter, vt assolet, verba saturum. De libris verò cæterarum prouinciarum quod quæris, tam magnæ quondam Græciæ, quam totius penè oræ Italicæ quam multo labore lustrauimus, inciderimus ne inter eundum in libros quosdam veterum tam Ecclesiæ quam sæculi magistrorum? breuiter tibi respondeo, nihil ad manus nostras, *quamquam diligentissimè quæsiuerimus* (5) peruenisse, nedum vetustatis, quod potuit & diuturnitas, & negligentia aboleuisse, sed ne communium quidem opusculorum quorum solent tam veterum, quam nouorum referta esse omnia. Omnis enim ea patria iacet in tenebris, nullum literarum lumen, nulla eruditio, & quæ quondam græcis literis, & Pythagorea ambitione floruerat, nunc ignara rerum, & literarum fœda consumitur: quæ olim græcis, & latinis doctrinis fuerat expolita, nunc vtrisq; expoliata est, ac Barbarum potius frendens Pythagoreum tantum silentium quinquennale, quod ad literas attinet, immò plusquam centennale concelebrat, verba ab alijs mutuata, si integrè loqui velit, quæ ad vltimas terras rerum hactenus documenta transmiserat; apud ipsam verò Neapolim, & reliquum etiam omne Regnum vacare literis penè non possunt, & penitus nolunt: quorum alterum miseriæ est, alterum superbiæ, ac negligentiæ. Incursante enim eandem prouinciam superiore tempore Rege Aragonum, & vrbem ferro, incendioque vastante, ita milites eius depopulati sunt ciuitatem, vt præter alia ludibria, magna quædam classis de spolijs onusta libris præcipuis, ab eis in patriam sæuissimi hostis aduceheretur. Quæ cum in medium pelagus posita, æquora vento flante sulcaret, maris tempestate

state vorante summersa est. Quod ego naufragium, etsi lugubre, diuinitùs tamen factum non ambigo, vt neque latrocinijs dediti malè parta conquirerent, neque apud sponte ignaros, ac literas aspernantes sacra illa diutiùs remanerent. Dedecori enim fore, mi Nicolae, quod mirum est dicere, sibi penitùs existimant ij, qui regio genere gloriantur, si dent operam studijs vel humanis, vel Diuinis. Ita de stirpis nomine inflati, ita de sanguinis nobilitate tumentes, vt vel hoc turpissimum sibi esse non iudicant, si ab Patrum institutis degenerantes Maiorum suorum vestigia non sequantur: nam illa est Ciuitas, vt tuus Cicero ait, quæ summum Poetam, ac eruditissimum hominem Aulum Licinum Archiam Anthiochiæ natum, quem cunctæ Græciæ, & omnis Asia celebrabant, Ciuitate, præmijsque donauit. Ea est Ciuitas, quæ Maronem illum tanto nomine, ac celebritate notissimum diutius possederat. Illa est postremo Ciuitas, quæ non longe ante nostram ætatem Illustrissimum, & Christianissimum Regem protulit, Regem dico Robertum, qui intermissa studia literarum, imò verò obliteratam diligentiam disciplinarum, & penè funditus euersam instaurauit. Nunc verò in tantum dedecus venire omnes regiæ dignitatis, quòs maximè eruditos oportere esse non dubium est, vt beatum putes eum, qui si doctrina careat, stupris, & corruptelis, otio, & infinitis vanitatibus non deditus sit. Non ergo ex illis locis de me queraris, à me inquiri negligentius libros, vbi diligentius ventres, quam chartæ replentur, & vbi sepulchrum patens gutturis Baccho, quam animus Mineruæ amicitior est. Sed his relictis, quibus emendatio magis expetenda est, quam supplicium, me me paulum ad te confero, quem de tuis angustijs, quas ad me scribis, quamuis eas mihi communes facio, illud tamen iuxta sententiam sacrarum literarum verissimè admonitum volo, fuisse scilicet vnquam neminem, sed neque esse, neque fore quemquam ex ijs dumtaxat, qui Deo placuerunt, idest qui piè viuere statuerunt, qui passione plectente, velut probanda vasa figuli, Babilonium ignem effugerit. Verùm interea consolatur nos species quarti quasi filij Dei, *id est, nostri Dei, atque hominis Christi*, (6) qui voraci flammæ se ingerit, ignes irrorat, pueros vt Dei canticum concinant docet, combustisque vinculis, quibus ligati in medium ignis præcipites ruerant, corpora timens flamma non tangit, sed relinquit intacta, & non solum arsuros liberat Deus, atque incendij ministros comburit, sed è media fornace erutos, Rex paulo ante furens, conuersus dignitate sublimat. Pleraque sunt istiusmodi exempla, quæ de scripturis sacris, in vnum corpus coacta idem efficiunt, quæque breuitatis causa omitto. Tu verò hæc omnia quanto iam tempore perlegeris, quis ignorat? nunc superest, diuturni temporis lectionem breuissimi momenti perpessione compenses: nec te apud omnes inaniter legisse testeris: quod quàm turpe sit, tibi tali viro, tu ipse videris: quid enim sunt scripturarum sacrarum documenta, nisi animi quædam contra Diabolum ornamenta, quibus nostræ mentis classe munita, in huius mundi turbulentissimo pelago, cum pyratarum cruenta dæmonum turba nauali nobis prælio dimi-

dimicandum est: nec minore animo, si oporteat, terrestris pugnæ congressioné certandum: vt ex omni parte trophæa referentes, hinc quadriga Euangelica vecti, in patriam triumphemus, illum in equis albis inter exercitus cœlestes secuti, qui vocatur fidelis, & verax, cum iustitia iudicans, ac pugnans, cuius oculi vt flamma ignis, in cuius capite diademata multa, qui habet nomen quod nemo nouit nisi ipse, qui vestitus est veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei, de cuius ore procedit gladius bis acutus, vt in ipso percutiat gentes, quas reget in virga ferrea, qui calcauit torcular vini furioris iræ Dei Omnipotentis, habens in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium: in quibus ego cœlestibus Diuini hominis verbis intelligi oportere arbitror, Christum neque fallere posse corruptum, qui sit fidelis, ac verax, iudicans cum iustitia, ac pugnans, neque falli ignarum, qui flammeos oculos, idest ardentem notionem possideat, neque insuper angores nostros nullo præmio donare ingratum, cui sint diademata multa: neque præterea salutem nostram nulla miseratione tueri inclementem, cum sit vestitus veste aspersa sanguine: neque deinde errata nostra nulla castigatione ferire iniustum, de cuius ore procedit gladius bis acutus, neque postremo virtutem eius deficere impotentem, qui sit verbum Dei habens nomen quod nemo nouit nisi ipse Rex Regum dominus dominantium. Non est ergo Christus noster, aut deprauatus, aut inscius, aut bonorum immemor, aut immitis, aut iniustus, aut denique impotens. Nunc itaque, Nicolae Carissime, tantum, talemque Dominum super equum album sedentem, idest carni immortali, & corpori virgineo præsidentem, nos etiam, vt dicere cœperam, in equis albis, idest gloriosis corporibus, integrisque sequemur: si neque aduersis rebus fracti, neque secundis effusi, languidiores, quam clariores, hosti cesserimus. Quæ si præclara sunt omnia, tu, qui tot, & tanta legisti, cur huiusmodi adiumentis non orneris? si turpia quam ob causam his fœderis? si leuia, quamobrem supereris? si fortia, quo pacto non animeris? nam & gloriosa sunt appetenda, & turpia fugienda, & leuia contemnenda, & fortia superanda Philosopho, sapienti, forti viro, quanto magis Christiano, cui nihil est gloriosum, nisi quod de felicitate beatum, non in terris, sed in Cœlis; nihil turpe, nisi quod de sceleribus vitiosum, non in Cœlis, sed in terris; nihil leue, nisi quod de Christi onere virtuosum, non de iugo grauissimo legis veteris, sed de leuissima, ac mitissima sarcina Euangelij; nihil postremo forte, nisi quod pro Christo victoriosum est, non in delicijs, sed opprobrijs, probris, supplicijs. Age ergo, mi Nicolae dulcissime, mi Parens optime, & hæc posteris, & qui vitam degunt, tui ingenij, immo tuæ fidei monumenta relinque, vt intelligant te tot Bibliothecas tanto tempore haud infructuoso, quamuis laborioso sudore expetisse, vertisse, legisse, exarasse: dicant de animi tui virtute, de constantia, de moribus, de meritis, dicant, inquam, verissimè prudentes viri, quod solidæ gloriæ est, atq; addant, te re ipsa verba compleuisse, factis verba superasse, opere perfe-

cisse

cisse, & molestias omnes, quamuis sæuiente mundo, vicisse, illius integris viribus, robusta mole firmatum, qui ait: Confidite, ego vici mundum. Sed de his satis, superque tibi grauissimo homini, à me præsertim, qui tibi & eruditione, & virtute sum longè impar. Quæ cum ita sint, non fuissem, nec hæc ipsa quidem dicere ausus, nisi quidam ad me rumor, ante dies paucissimos pertulisset, te esse *ob angustias*(7) virili penè animo destitutum. Iam verò de Tertulliano, quem in Alamania repertum, de Basilea Theutonicorum, ad te perlatum dicis, quamquam non opus sit, tibi censori sincerissimo, & optimo rerum æstimatori, hoc tamen pro angustia temporis loquor, cauendum tibi esse hominem non solùm eloquio rusticanum, vel vt mitius interpreter, legentibus in loquendo difficilem, quo equidem illum minus vitupero, hoc enim apud Christianos calumniam non meretur, sed fide corruptum, quod religio nostra non sustinet. Relege Augustini librum, quem de hæresibus edidit, & videbis Tertullianum, non solùm hæretica prauitate fœdatum, sed animo minus firmo, & vt ita dixerim, vago de Christiana veritate ad Cathaphrigas confugisse, quibus fuerat ante infensus: de Cathaphrigis autem pulsum, sua quædam hæreseos conuenticula propagasse. De his partim nostri Hieronymus, & Lactantius testes sunt, à quibus noster Augustinus, quod vehementer admiror, in hoc dissentit, quod in prædicto eius libro dicit, Tertulliani vsque ad sua tempora multa extitisse opuscula eloquentissimè scripta, cum tamen supradicti Hieronymus, & Lactantius dicant, eum in loquendo difficilem, & multum obscurum, quamuis in sententijs crebrum, & præter hæresim, omni disciplinarum genere peritissimum. Cuius differentiæ causas, inter tam doctos Ecclesiæ viros, præsertim in causa eloquentiæ, quæ vel manifestissima est, tuo iudicio, & eruditorum sententiæ derelinquo: fidei tamen eius, immo perfidiæ, res notior est. Restat nunc pauca dicere, de opusculis nostris, quæ ante non permultos dies ex Vrbino ad te perferri feci, de quibus quid sentias præstolabor. Quod si apud me ingenuè fateare, grande profecto beneficium mihi præstiteris, tanto præstantius, quanto celerius, vt vel tuo testimonio gaudeam, si probaueris, vel contra si repuleris, mea stoliditate affectus, salubri dolore fiam abs te quotidie emendatior. Libello autem illi nostro, quem à me nuper editum, *de laude pœnitentiæ* (8) accepisti, mallem vel pauca hæc verba præponi, quam sic imperfectus maneat, vt videlicet non diceret, post exordium, Benè, beatèque viuendi cupiditatem, & cætera, vt ad te scriptus est, sed magis post proemium, tale illi esset, principium. Etsi non benè degendæ vitæ, quantum attinet ad impuros homines, ac perditos loquor, beatè tamen viuendi cupiditatem omnibus corruptis, & integris inesse hominibus, quam compertum est, ac reliqua quæ in eodem contextu orationis sequuntur, quæque vel tarditate mea vel infirmitate minus aduerti, vel scriptoris vitio prætermissa sunt. Seis enim omnes homines esse, qui beatè; qui verò benè viuere velint, admodum paucos. Expecto in dies gratissimas literas ad me tuas, quas huc Ferrariam mihi mittes, vbi sum ad Pascha inuitus, idest cogente Ciuium

cha-

charitate, ac maiorum nostrorum iussione mansurus. Mihi verò tua scripta, vt censeo, tutò reddentur, si ea ad me perferenda dabis, viro illi græcè, ac Latinè omnis linguæ excitatori, rectius fortasse dixerim illustratori, & literatissimo præceptori quondam meo, nunc verò per ætatem patri meo Guarino Veronensi, qui tamen & ipse non est mihi præceptor, etiam nunc, sed honestioris rei, meliorisque doctrinæ, vt Firmianus Demetriano hactenus extitit: nam is est, *qui me in literis Græcis, & Latinis linguam tantum instruentibus auditorem, alioquin non satis strenuum in adolescentia habuit* (9) Nunc verò illum ego in Diuinis pectus erudientibus possideo directorem: vt quæ in quotidiana prædicatione habeo à Sanctis Ecclesiæ viris, vt dicam bona, à Guarino tributum est vt fortasse benè, atque aptè dicantur; vtrumque tamen à Deo est, cui debemus ingentes gratias, quas illi etsi non dicimus, etsi non rependimus, dignas saltem vel habeamus, & tu interim vale, flagitor enim vehementer finem à tabellarijs. Iterum vale ex Ferraria vj. Kalen. Februarias 1433.

N O T Æ.

Nota I.

Cum ex Vrbino. Hic narrat ordinem locorum, ex quibus in itinere scribebat, Vrbinum, Ariminum, Lombardiam: vbi Ferrariæ hanc tandem scripsit: Quem locorum ordinem si cum ordine dierum quibus literas huius 1433. anni numero signatas dedit, conferre voluerimus, inueniemus eas, quas Vrbini 22. Octobris, & quas Arimini postea dedit, præsentibus, quas Ferrariæ 6. Kal. Februarij scripsit, priores esse, cum tamen omnibus idem annus subscriptus sit, vnde Ianuarium, Februarium, & Martium vsque ad huius 25. diem, non anno nobis incipienti sed desinenti adscribere, & annum à Christi Incarnatione, seu Virginis Annunciatione suo more computare.

Nota II.

Valetudinem meam. Non à peste Cortonensi iam dudum depulsa, sed ab ægrotatione Vrbinate, de qua nuper questus est Epist. 22.

Nota III.

De Biblia illa, quam. Acui tunc vsus admirrebat, vt dicerent Bibliam Chronicam, & similia, sed hunc barbarismum credo magis Librarij ruditate, quam authoris nostri ignorantia irrepsisse.

Nota IV.

In nostram Etruriam, & mox *in altera qualibet nostræ patriæ Ciuitatum.* Vbi Etruriam patriam suam, vt Nicolo, & Bernardino communem clarissimè vocat.

Nota V.

Quamquam diligentissimè quæsiuerimus. Eam curam libros veteres inquirendi, à Cosmo Medices inter alios Alberto, & Bernardino incubuisse hæc epistola nos docet, & contestatur Augustinus Florentinus in vita Ambrosij Camaldulensis cap. 4. Huc accessit & Clarissimorum Theologorum studium, qui Quadragesimali tempore prouincias

cias adeuntes, ac luſtrantes prædicationis gratia, eandem operam magna ſolicitudine nauauerunt: velut Matthæus Viterbienſis, Antonius Maſſonus, Andreas Ariminenſis, Thomas Serezanenſis, Franciſcus Piſtorienſis, Albertus, Bernardinus, & præterea multi, de quibus Ambroſius frequenter ſuis in Epiſtolis mentionem facit.

Nota VI.

Ideſt noſtri Dei, atque hominis Chriſti. *Noſtri*, non autem *non*, vt quidam mendosè. Si enim Albertus dixiſſet, non Dei poſtea iungeret, ſed Angeli, aut quid ſimile, & reliqua, quæ affirmat, debuiſſet negare, deinde diceret, non ingerit, non irrorat, non docet. Si verò dicamus *noſtri* iam filium Dei Patri conſubſtantialem in forma Chriſti Dei & hominis in fornace, cum pueris comparuiſſe tenet, de quo vide Cornel. à lapide in illum locum Danielis, vbi plures interpretes in eum ſenſum citat.

Nota VII.

Ob anguſtias. Calumnia conturbat ſapientem. Exiſtimo ergo has Nicolai anguſtias natas fuiſſe ex inuectiua à nobis ante indicata, quam in eum, aliorum teſtimonijs immeritum, pro illius æui facilitate conſcripſit Franciſcus Philelphus, vt proinde illum in hac Epiſtola tam prolixè laudet, ac tam robuſtè confortet pro officio amici Albertus noſter.

Nota. VIII.

De laude pœnitentiæ accepit. Quod nos ante comparatis huius opuſculi, & Epiſtolarum clauſulis inquirebamus, hic iam vltro, & patenter occurrit; ſecundum ſcilicet libellum ad Nicolaum ab Alberto miſſum, fuiſſe illam orationem de laudibus pœnitentiæ, vnde firmantur cætera, quæ ibi ſubintulimus.

Nota IX.

Qui me in literis & Græcis, & Latinis auditorem in adoleſcentia habuit. Si Guarinus Albertum adoleſcentem in Græcis, & Latinis auditorem habuit, iam conſtat, quod ante diximus, in neutra lingua ignarum eum fuiſſe quando 37. ætatis anno, iam vir ad hunc præceptorem audiendum Veronam iuit, vt ſcilicet quæ tam ab ipſo, quàm à Chryſolora, vel alijs in adoleſcentia didicit, ea maturo iudicio vir, Guarini præceptis, & conſuetudine limaret, ſolidaretque.

EPISTOLA XXVI.

PAVLO VVLTERRANO.

ARGVMENTVM.

Excuſat non peractam rem ſibi commendatam.

Redeunti nunc mihi ex publica concione; quam ex more, vt ſcis, quotidie ad Chriſtianos populos habere ſolemus, homo, vt mihi quidem videtur, rus incolens, tuæ paternitatis literas ad me attulit, per quas flagitas hoc ipſum, quod per alteras tuas ante non

multos dies instantissimè postulaueras, agi scilicet mea solertia apud Maiores nostros tuum negotium, cuius gerendi desiderio, mi Parens optime, fateor frustra laboras. Excesserat enim, atque abierat nostri ordinis Generalis, tùm cum primas ad me tuas misisti. Itaque, quod ad te hucusque non scripsi, non negligentiæ, sed desperationis tuæ consequendæ cupiditatis fuisse existimes. Quod verò illas, quas tibi postulasti impetrari, literas ad te nec misi, nec impetraui, non prætermissi officii excusatione defenditur; sed tu hoc eorum absentiæ, qui satis tibi facere poterant assignabis. Vale, & pro me ora. Ex Ferraria Idibus Febr. 1433.

EPISTOLA XXVII.

MARCHIONI FERRARIENSI CREDENTIALES.

CHristiane Princeps, pax Christi tecùm Amen. Harum mearum baiuli, & meæ Religionis charissimi fratres, ad tuam humanitatem à me missi proficiscuntur, quædam, quæ sum necessaria arbitratus, meo nomine tibi dicturi. His igitur tutè quantum Principis clementia postulat, & pias aures, & solidam fidem adhibere, & liberam consensionem non dedignaberis: ac per eosdem minimè mihi respondere grauaberis. Vale ex Ferraria 4. Idus Aprilis 1434.

EPISTOLA XXVIII.

GASPARI CORNELIO.

ARGVMENTVM.

A Gaspare pluribus literis ad partes Venetas accitus, speque fructus concitatus, messemque falci Euangelicæ maturam prospiciens, dat spem se quamprimum Patauium accessurum.

CVm tuæ beneuolentissimæ charitatis ardore prouocatus, tum verò maximè, ac multo magis, magna quadam spe futuri in istis Regionibus fructus incensus, tandem aliquando eò, quò postulas, appropinquare constitui, vt & tibi suauissimo, atque amicissimo homini morem gessisse videar, qui tuis consilijs, iam per ternas tuas literas

hoc

hoc mihi perſuadere conatus es ; & vineam Chriſti, vt agrum Dominicum, pro modulo noſtro, in prædictis Regionibus excoluiſſe lætemur: quas quidem magna cum lætitia audio, non modo ob ingentem expectationem ſeminis auidas, verùm etiam ob bonę voluntatis cupiditatem fructibus ingraueſcere : adeò vt maturarum vuarum profluentiſſimo muſto libandus, immò verò inebriandus quilibet Sanctus Prædicator rectè quidem ſperetur, & ſegetum vbertate, ac ſi fructu cumulatiſſimo ſaturabundus. Quoniam ergo maturæ ſunt vuæ vinearum botri Diuini, verbi falce ſecandi ſunt: quia verò regiones albæ ſunt ad meſſem, iuxta Euangelicum inſtitutum. *Rogandus eſt Dominus meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam; quoniam meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Roga ergo, mi frater optime, vt qui meſſes, & operarios ſua bonitate, non noſtra iniquitate, creauit, me vnum, & fidelem diſpenſatorem, & idoneum Miniſtrum noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu, eadem illum ſua bonitate prouocante efficiat; quo grandes ipſius fruges ad horrea illius, & grana ſolida, ideſt manſuros fructus, quemadmodum ſuis diſcipulis repromiſit, veriſſimè, ac fideliſſimè aſſeramus, ſi nihil aliud interceſſerit, quod noſtro propoſito aduerſetur, credo me quamprimum Patauium profecturum. Vale ex Ferraria Idibus Aprilis 1434.

EPISTOLA XXIX.

NICOLAO NICOLI.

ARGVMENTVM.

Nicolaum incuſat omiſſæ reſponſionis ad priores ſuas: ſilentij cauſas latiùs diſcutit, dolet ſe ea, quæ ſcripſit oris pręſentia, & viua voce perſuadere non poſſe, quæ quantum ad perſuadendum præſtat ſcripturæ, eruditè docet.

SAtis diù miratus ſum, Nicolae chariſſime, quam ob cauſam, neque mihi, neque imprimis Guarino noſtro tibi mecum ſcribenti, vnquam reſponderis, quorum vterq; pari quidem amore, vt cenſeo, & ſi non pari eruditione, qua me ille longius antecellit, te conſolatus eſt. Et quidem, quantum ad me attinet, cur mihi reſponſum non ſit abs te, præſertim qui nihil in officio reſpondendi negligere ſoles, ſatis apud me elucet, quod ſcilicet aut noſtræ literæ tibi redditæ non ſint, aut in eis ipſis te virum eruditum quicquam ineptiarum mearum offenderit, aut denique tibi ipſi tot pondera moleſtiarum ſuccreuerint, vt neque tempus, neque voluntas, immò verò neque tua infirmitas facultatem tibi reſpondendi ſuppeditauerit. Hæc omnia, mea quidem ſententia, in cau-

cauſam venire potuerunt. Sed tamen illud primum ego in dubium verto, alterum verò diſtinguo: poſtremum autem penè affirmo. Nam fieri prorſus poteſt, vt iniqui tabellarij literas meas haudquaquam ad te pertulerint. Hoc enim peccatum frequenter, & fecerunt, & faciunt, niſi ſpes prȩmij negligentiam illis ademerit. At verò ſi te quippiam in noſtris literis mouerit, id non ſatis diſcerno, niſi aut longitudo, quam tu tamen ſemper deſideras, tœdium tibi intulerit, aut eloquendi ruſticitas, quod magis ȩſtimo, tibi fecerit nauſeam: vbi neque lepos vllus te oblectauit, neque ſententiarum quæuis grauitas tenuit, neque vis vlla dicendi accendit, permouit, impetrauit: verum tu hic mihi reſpondeas velim, cum noſtræ literæ, ſemper quidem, & his ornamentis, & hortamentis, & monumentis caruerint, quid ſibi vult, vt nunquam alias non reſponderis, nunc verò ne verbum quidem reſponderis? profectò aliquid afferas oportet. Itaque ad tertium illud me confero, in quo mihi penè facillimè perſuadeo, tantis te ſiue animi angoribus premi, ſiue corporis moleſtijs vexari, ſiue facultatum penuria cruciari, nihil vt te amicorum affectiones permoueant, nihil eorum te literæ iuuent, aut moleſtia leuent, aut perturbationi ſuccurrant, aut quod vltimum eſt, periculoſis deſperationibus liberent. Supereſſet igitur, vt te ore, non iam literis ex amicis aliquis conueniret, cui profectò ori à natura hoc excellentius datum eſt, vt quæ mandata literis nihil ferè ſæpe ſentimus, eadem ore erudito, & pectore ardenti expreſſa mirum in modum torquentes excitent, afflictos conſolentur, aduerſos concilient, remiſſos prouocent, ignauos animent, frigidoſque accendant. Quæ, cum ita ſe habeant, mallem equidem me me ad præſentiam tuam contuliſſe, vt eſſem hæc ipſa, quæ ad te ſcribo, ore dicturus, quàm calamo nunc ea dicturus. Scio enim mi Nicolae, ſcio, ac frequenter expertus ſum, multo vehementius, omni quidem tempore omne hominum genus, & perſuaſum eſſe, & perſuaſum iri, ad rectæ vitæ quælibet peragenda, ne dicam ſceleſta abijcienda, ſi verbo potiùs conueniatur, quam ſi etiam ſcripto fortiſſimè reuincatur: quod quidem veriſſima illa veterum ſententia perſpicuum ſit, qua ſcriptorum quidem mortuas, dictorum autem viuas voces ſapienter, ac verè vocamus. *Neque enim Græca illa percunctatio* (1) peperit ſcriptionem in oratore eſſe præcipuam: ſed primum, idemque ſummum pronunciationi tribuit, quæ ſine voce fieri nequit, non ſemel, ſed iterum audacter profeſſa eſt. Sed quoniam pro negotijs vrgentibus nunc non ſe præbet occaſio, vt te quemadmodum opto, reuiſam; agam hoc, ac libens, quod modo vetor, cum ad horam congruentiſſimam ventum fuerit, quæ celerius, vt ſpero, ſe dabit. Interim nobiſcum bene agitur, ſi quod corpore, atque voce, ideſt communibus aſpectibus, mutuiſque alloquijs implere non poſſumus, frequentium Epiſtolarum officio compenſemus *XIII. Kal. Maias* (2) Ferraria decedens, poſt longam illic, & gratam, Deoque faciente, communem omnibus in verbo Dei ſaluberrimam moram, Patauium Chriſto Duce prædicaturus accedam, vt eis ſicut & cæteris, non

non iam gentibus, ſed Chriſtianis hominibus, quod minoris operis, aliquid gratiæ ſpiritualis impertiar. Eo celerius ad me literas dabis tuæ in me beneuolentiæ ſigna, tuæque proſperæ valetudinis teſtimonium, dulciſſimis apicibus perloquentes. Vale ex Ferraria X. Kal. Maias.

N O T AE.

Nota I.

Neque enim græca illa percunctatio. Hæc percunctatio, & eius reſponſio Latinè profertur apud Stobeum lib. 4. Apophtegm. Demoſthenis pagin. 190. n. 19. his verbis: cuidam percontanti, quid eſſet in eloquentia præcipuum, reſpondit; Hypocraſis, hoc eſt actio: roganti quid proximum, reſpondit actio: roganti quid tertium, nihil aliud reſpondit quam actio: tantum tribuens pronunciationi, vt in ea totum ſitum exiſtimaret. Eam verò Albertus græcam vocat, quia inter Demoſthenem Græcum, & illum quendam fuiſſe fertur.

Nota II.

XIII. Kal. Maias. Librarij mendum exiſtimo. Quomodo enim conueniunt, quod XIII. Kal. ſe Ferraria diſcedere affirmet, ſi X. Kal. ideſt triduo poſt literas Ferrariæ conſignet. Mutandum ergo numerum puto, & primo loco ſcribendum X. Kalend. ſecundo verò XIII. ità vt Epiſtolam dederit XIII. affirmans ſe X. ideſt poſt triduum abiturum, vel dic, ſi malueris, iuxta Ephemeridem ſequentis epiſtolæ, hanc ſcriptam fuiſſe Ferrariæ XIII. Kal. ſed X. Kal. Rodigio ſimul cum ſequenti miſſam, atque hunc diem in fine notatum fuiſſe: quod tamen cum illis verbis *Vale ex Ferraria* non bene cohæret.

S C H O L I O N.

Cum hanc, 22. & 25. Epiſtolam inueniamus à B. Alberto ſcriptam ad Nicolum, primam quidem anno 1433. ſecundam 1434. licet ſubſcribatur 1433. ſecundum veterem modum computandi ſæpius animaduerſum, vt & hanc ipſam eodem anno 1434. vt colligitur ex circumſtantijs, corrigendum venit, quod ex Pocciantio ſupra relatum Epiſt. 20. Not. 3. Nicolum videlicet mortuum Pridie nonas Februarij anno 1430. cum ex 25. conſtet eum 1433. vel 1434. ad B. Albertum literas dediſſe, & hanc ad eum eodem anno x. kal. Maij Ferraria dederit B. Albertus, quod non feciſſet, ſi Pridie nonas Februarij Florentiæ mortuus eſſet Nicolaus (vt refert Pocciantius) ex loco enim tam vicino mortem eius debuiſſet intelligere. Vnde in ſequentem 1435. vel poſteriorem aliquem annum mors eius conijcienda eſt, vel certè dicendum erit, hunc eſſe alium Nicolaum Nicolum ab eo, de quo Pocciantius, & ad quem priores ante has tres literas dedit B. Albertus, pro quo fundamentum non inuenio; quin potius eundem eſſe, Epiſtola 25. indicat, eius ſtudia, magnam lectionem, diligentiam in libris inquirendis, & inſtruenda Bibliotheca commemorans, vt de Nicolao refert Pocciantius. Nec de alio Nicolao Florentino illius æui inuenitur memoria; dicendum ergo arbitror, vel præli mendum irrepſiſſe, vel Pocciantium in annorum numero lapſum eſſe.

EPI-

EPISTOLA XXX.

FRANCISCO MARESCALCO, & PHILIPPO BENDEDEO. (1)

ARGVMENTVM.

Pridianum discursum suum cum Francisco Marescalco, & Philippo Bendedeo, ad quos scribit, repetit de grauitate sententiarum Sanctorum Ecclesiæ virorum, & vana quorundam sui temporis verborum venatione, idque in lcuibus, turpibusque argumentis: nominatim verò de libello inscripto Hermaphrodito Anton. Panormitani, contra quem, si illi duo amici vellent, vt Albertus aliquid scriberet; quod instanter exposcebant, petit, vt Antonij ad Poggium, & Poggij ad Antonium de hac re literas ad se mitterent, vt ex altero coarguendi, ex altero reuincendi materiam sumat.

NVdiustertius cum post exaturatam, vel potius refectam inediam, in cœna vestræ dilectionis pariter commeantes, & molesto quidem, quantum ad popularis auræ contemptum, turbulenti vulgi impetu septi; sed quod ad charitatis laudem attinet pia Christianorum frequentia inuicem comitati essemus, de inanibus nostri temporis scriptoribus, in itinere, Philippo nos paulùm præcedente, mi Francisce, simul fabulari collibuit in ea comparatione Sanctorum quam fecimus ad istos profectò indignam, quandoquidem Sanctos Ecclesiæ viros, & veræ sapientiæ sectatores, diximus sententiarum potius pondus, quam verborum sonitum esse sequutos.

Istos verò contra, qui sapientiam profitentur, præter elaborata, præter turgida, præter expolita, & vt ita dixerim, emendicata verba, totum esse inane, ieiunum, exangue, quod dicunt; nec neruos, aut lacertos, nedum Christianos, vel vt nouum nomen excudam, Philosopheos, sed nec oratorios quidem habens. Quippe qui nihil præclarum, nihil sanctum, nihil graue, nihil virile scriptitant, quod aut decoris, idest honesti, aut Religionis, aut sapientiæ, aut intenti ad virtutem animi, aliquid afferat. Sed nunc viles causas, quod est ignobilis, nunc nullas, quod est vel cauti, vel ignaui, nunc postremò turpes, *quod est corrupti hominis* (2) frequenter assumunt.

Hæc sanè dicebamus errori hominum superborum condolentes; non autem detrahentes doctrinæ, quam non habent indocti, & habere aspernantur à doctis, nec infirmantes sapientiam eruditorum, qui saltem quod nesciunt, à quibusuis, siue eloquentibus, siue impolitis, nec studioso labore ediscere erubescunt, nec laborioso sudore per se se eruere ex illorum libris fastidiunt, siue in-

inſuauibus, ſiue ſuauibus, dummodo ipſa veritate paſcantur, atque à tenebris ignorantiæ liberentur, & in ipſo vero, quod aſſecuti fuerint, conquieſcant.

Cumque & hæc, & pleraque iſtiuſmodi morbi colloqueremur, in *ſceleratiſſimi libelli* (3) Hermaphroditi, nec minus perditi illius authoris, niſi reſipuerit, mentionem incidimus: quem vt citiùs coarguerem, et ſi res poſtularet, confutando reuincerem, me vehementer, & ſæpe hortatus es, hoc vel maximo argumento tua dicta confirmans, ne non ſolum, ſi tacuerimus, ſcribentis ſtultitia perſpicua non fiat, *cum ſatis, ſuperque per ſeſe pateat* (4) ſed quod eſt grauioris iacturæ, ne ipſa noſtri temporis iuuentus indomita, cui per ætatem prona in pericula via eſt, amplius, ac deſperatiùs corrumpatur; cum certò ſciamus, abſque huius deteſtabilis authoris incitamentis ad luxuriam, eamque fœdam, atque inhumanam, in ea pubeſcentis adoleſcentiæ ætate campus vitiorum quam latè pateat, quamue adoleſcentium conditio magnis expoſita periculis nutet.

Addidiſti præterea, te non iniuria, me in iſta congreſſione hortari, cuius nihil, neque vtilius, neque ſanctius intereſſe exiſtimares; quam ſi hoc munus ſuſciperem, quoniam pro religione nulla ſanè pars honeſtatis me magis deceret, quam omnium ſaluti conſulere; nec minoris emolumenti apud te eſſe, ſi ad compeſcendum hunc procacem aliquid temporis triuero, quam ſi quotidie populis Chriſtianis, genere quodam peruagato dicendi, omnem diſciplinam honeſtandæ vitæ, morumq; probitatem, atque virtutis magiſterium omne præcepero: præſertim verò, cum non deſint alij Eccleſiæ viri, quamuis ad meſſem perpauci ſint, qui in iracundos, cupidos, libidinoſos, blaſphemos, irreligioſos, proteruos, ac reliqua vitiorum genera in dies inuehantur, & pertonent. Hunc verò nullus, maximè ex ſæculi hominibus, pulſare præſumat, vel vocare in ius audeat, verentibus, vel putidam linguam eius, vel ob ignauiam torpentibus, vel fortaſſe ſuis ipſorum vitijs adulantibus: Nos autem nequaquam calumnias improborum timere debeamus, pro veritate certantes, cum ſciamus, & verè, & eleganter dictum apud Hieronymum: *non minoris eſſe peccati ſequi malum, quod bonum putaueris, quam non audere defendere quod bonum pro certo noueris* (5) cum igitur exploratam, ac certiſſimam habeamus pudicitiæ honeſtatem, fœditatemque luxuriæ non minus compertam, alteram impugnare, expugnare, & oppugnare, alteram tueri, laudare, & colere, præclarè aiebas eſſe virtutis.

Ego verò, Franciſce, pro his omnibus tibi reſpondi, non inimici more, ſed diligentis Chriſtiani amore agendum, cum eo mihi prius videri, ideſt vt ante parentis affectu admoneretur; deinde iraſcentis Iudicis aſperitate deterreretur, vt ſicut periti medici facere ſolent, primum turgidum vulnus oleo liniamus, ac tum deinde ferro ſecemus, ne nimia miſericordia virus putridi membri totum corpus inficiat. Hoc enim magis ad nos ſpectare, pijſſimum in Hieroſolymitam Samaritanum ardore fidei imitantes, qui vini aſperitatem leniſſimo miſericordiæ oleo temperauit.

Quo-

Quoniam igitur nunc mihi quidem, non furor ille poeticus, siue in bonam, siue in alteram partem interpretari malueris, sed ipsa mentis tranquillitas liberata parumper in hoc loeelli à tumultuantium strepitu populorum, ipseque in primis Christus Dominus noster oceasionem præbuit in hoc otio aliquid tranquillius, quietiusque dictandi, obsecro vos, mi Franeisce, ac Philippe, vt si aliquid vultis me scribere, antequam ingens laborum annus, ad frequentiores, & doctiores homines prædicandi me premat, illas epistolas, quas Poggius, & Panormita ad se inuicem scribunt diligentissimè perscriptas ad me mittere nihilo differatis: quoniam ex altero, quamuis tenuiter arguente, coarguendi; ex altero verò, quamuis insipienter respondente reuincendi nonnullam materiam sentio aptissimè mihi præberi. Valete mei fratres in Domino suauissimi: *ex Rodigio* (10) X. Kal. Maias 1434.

NOTAE.

Nota I.

Francisco Marescalco, & Philippo Bendedeo. Quinam isti fuerunt Alberto nostro tam amici, vt fratres in Christo charissimos vocet? Ferrariæ fuisse suspicor, à qua Rodigium, vbi Epistola scripta fuit, viginti quinque dumtaxat P. M. distat, pios profectò, & eruditos fuisse discursus, quem cum Alberto habuerunt, argumentum ostendit.

Nota II.

Quod est corrupti hominis, & infra, *perditi illius authoris nisi resipuerit.* Hinc Poggius ad Panormitanum, quod in Alberti vita scripsimus, ne, inquit, arguatur vita impura libelli obscœnitate. Et ipsa veritas Christus Deus noster: ex operibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

Nota III.

Sceleratissimi libelli. De hoc satis diximus in vita Alberti.

Nota IV.

Cum satis superque per sese pateant. Vide supra Epist. 21. Not. 4. vbi turpia detexisse reprobasse est, vt enim pulchra solo sui aspectu delectant; ita turpia horrorem sui pariunt, & qui de istis verecundiusculè loquuntur, figuris, & ænigmatibus ea eohonestare satagunt. Immo ipse imprudentissimus Dœmon aliquem decepturus, se varijs aliarum rerum formis obtegit, & aliquando in Angelum lucis conuertit, & vt Cyprianus loquitur. *Ita Diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, vt per voluptatem possit amari:* omnis turpitudo tenebras quærit, & *qui malè agit, odit lucem*, si vel impudentissimus, vel furibundus haberi nolit.

Nota V.

Non minoris esse peccati, sequi malum quod bonum putaueris, quam non audere defendere quod bonum pro certo noueris. Hæc verba, vt hoc loco allata, apud Hieronymum non reperio: sed author fortassis alludit ad sensum Hieronymi in illa verba psalm. 33. tom. 3. *Diuerte à malo, & fac bonum*, vbi sic loquitur: *Hoc est destruere vitia, & ædificare virtutes: nihil prodest, si destruis, & non ædificas, hoc est si destruis vitia, & non ædificas virtutes. Ac si dicat. Quis est homo, qui sine his velit vitam, quia*

in

in eo nullum bonum eſt , qui nullum malum deſtruit : voluit enim Mareſcalcus perſuadere Alberto , non magis ad ipſum pertinere , vt alijs prædicando ædificeet virtutes , quam vt Hermaphroditi libellum oppugnando deſtruat vitia.

Nota VI.

Ex Rodigio. Alij cum aſpiratione Rhodigium vocant , & Vernaculè Rouigo , eſtque oppidum ditionis Venetæ 25. vt dixi- M. P. à Ferraria diſtans ſedes Arienſis Epiſcopi , & viri doctiſſimi Cœlij Rodigini , ac Bartholomæi Rouerellæ Rauennatium Archiepiſcopi patria. De eo agunt Leander Albertus in Romanulæ pag. edit. Latinæ 543. Ferrerius in lexico geographico pag. 628. & Io. Bapt. Pigna in hiſtoria Principum Eſtenſium lib. 2. pag. 114.

EPISTOLA XXXI.

BONAVENTVRÆ VENETO.

ARGVMENTVM.

Eum ad ſe Paduam venire rogat.

VEllem te , chare frater , pro communi vtilitate noſtræ Reipublicæ Chriſtianæ , paulùm alloqui : ſed cum mihi ob quotidianas occupationes , te adeundi facultas minimè detur , reſtat , vt pro tua humanitate te te ad nos viſendos huc Paduam quamprimum transferre non dedigneris , tanto hilarius , quanto tardius : iam enim 12. anni penè elapſi ſunt , quibus ad inuicem ruſticati , nec præſentia , nec literis nos alterutrum , vel obliti , vel ingrati , conuenimus. Vale ex Padua v. Non. Maias 1434.

EPISTOLA XXXII.

FRANCISCO MARESCALCO.

ARGVMENTVM.

Nuperas preces repetit.

SCripſi ad te nuper , & ad Philippum noſtrum communes literas , rogans inſtantiùs , quo mihi ſatis de quibuſdam Epiſtolis Poggij , & Panormitæ , quas ad ſe inuicem ſcriptitarunt , actutùm facere deberetis. Id ipſum nunc à te peto , immò vos ambos poſtulo , ne me ex illarum carentia ab ſcribendo , quæ tecum in itinere propoſueram , diutius retardetis , nec ob dilationem mihi obſequendi , apud me in ſugillationem negligentię veniatis , quos ſemper diligentiſſimos exiſtimaui. Vale in Chriſto Ieſu , ac pro me ora. Ex Patauio Non. Maijs 1434.

EPISTOLA XXXIII.

PHILIPPO BENDEDEO.

ARGVMENTVM.

Tenerum Bendedei in se affectum Albertus grauiter, & amœnè perpendit. Philippi nominis interpretationem in Bendedei laudem conuertit, laudesque ab eo sibi tributas deprimit, & sibi non conuenire, doctè declarat, & quæ deceant modestè admittit. Quæ mala hyperbolicæ laudes, laudanti sequantur, exponit. Guarinum in Panormitanum prouocat, salutat amicos.

ACcepi nuper & tuas, & meas, & aliorum, vt abs te volueram, literas. Sed in tuis cum omnia me magna incunditate affecerint, præter laudes meas, tum vel maximè hæc me de te præcipuè oblectarunt: summa animi tui gratificatio, paritas eloquij, aperta sinceritas, ardor viuax dicendi, extricatæ sententiæ, atque, quod est longè præstantius, erga amicum affectus tener, si dici liceat, plusquam maternus, immò vt aptè loquar quod sentio, amor in me tuus, sine vitio zelotypus, plusquam vxorius. Quid enim aliud rectè dixerim, mi Philippe dulcissime, cum tu ad paruam absentiam literarum mearum, vt verbis tuis vtar, fueris inquietus, subiratus, tristis, excruciatus hæseris, tacueris, frontem rugaueris, contraque exultantem te, & visceribus ipsis commotum, superbiola quadam elatum, & pro ipsis literis gloriosum, vt scribis, effecerit. Quæ omnia equidem rectè interpretor, idest amicè abs te facta, & vnde tibi tristitia obrepsit, inde mihi risus obortus est, quemadmodum & tibi ipsi, & cæteris amicis accidisse perscribis, quibus ego, vt optas dulciter, sobriè, libenterque corrideo, & te (si meo amori accedere quicquam erga te possit) ob hoc ardentius diligo, tuoque vulneri adeò promptus subuenio, quamuis non rectè vulnus dixerim, in Christianum hominem Christiani hominis Christianum amorem, nisi fortè eo sensu dicatur, quo Sponsa Christi, ac fidelium mater Ecclesia, in Canticis queritur dicens: *vulnerata charitate ego sum:* quod in bonam partem intelligi oportere, nemo est sanus, qui nesciat. Neque enim charitas mala vulnera efficit; alioquin non rectè dicitur ab Apostolo. *Charitas non agit perperam.* Huic ergo sancto vulneri tuo, adeò, inquam, promptus subuenio, vt qui mea occasione illud acceperas, quando ad ambos, te dico ac Franciscum, scripseram, mea item opera nunc cureris, quando ad te singulum tantummodo scribo; nisi forte mihi cautius prouidendum quisquam putauerit, ne qui ambobus tunc scribens, te in fratrem, & socium ad

inuidiam concitaueram, dum nunc te solum consolor, ille se derelictum iustissimè causetur: sed hoc periculo facilè liberabor, si, vt volo, ac peto, hoc agetis, vt & communes sigillatim, contraque sigillatim communes, semper ad vos literas æstimetis. O sanctum amorem, ò castam dilectionem erga me tuam! verè profectò nomen congruens tuis moribus sacro de fonte, parentum pietate, traxisti; at verò virtute vicisti, adeò vt non iam quia amator sis equorum, sed quia obseruantissimus Christi præcipuorum Prædicatorum, qui equorum nomine in scripturis sanctis significantur, iustissime Philippus dicaris. Neque hoc dico quia veteribus, aut vita, aut doctrina re ipsa sim comparandus. Sed quia tu mihi ea opinione, ea existimatione, ac veneratione loquaris: tanquam si vnus è Patribus, sanctimonia, atque eruditione præclarus insigniter euasissem. Quod ego prorsus laudis genus reijcio: ob idque maxime in ipso huius Epistolæ nostræ principio dixi: tuarum litterarum magna iucunditate me omnia affecisse, præter laudes meas, in quibus omnibus, pace tua dixerim, tuo vitio parum inepte dicta attribues, qui ausus sis, me homunculum imperitum, qui vix scripturas sacras, pene dixerim, adhuc totas diligenter perlegi, & sacrarum literarum interpretem, & Euangelicæ legis tubam, licentiùs, faciliùs, ne dicam leuiùs, nominare. Nam si quidam Philosophi in humanis rebus differendis longe acutissimi, quamuis ventositate vanissimi, comperta ignorantia sua, duce tamen ratione, & veritate è schola sua, vsque adeò elatum, & iactitans nomen sapientiæ pepulerunt, vt se Philosophos, idest sapientiæ amatores quam sapientes appellare maluerint; quanto magis ego tardissimus, imperitissimus, infandissimus, qui scripturas sacras, vt dixi, iterumque, & iterum dicam, vix adhuc totas perlegi, & oratorias primis penè labris, Guarino nostro præceptore doctissimo, in adolescentia paululùm parùm attigi, oblatam eiusmodi abs te laudem, non quidem maleuolentia, sed amoris errore à me explodam, præsertim tam summam, atque in scripturis Diuinis: quarum non dicam me, qui nihil sum, sed præter Apostolos, quibus ad eas intelligendas apertum esse sensum à resurgente Domino, Lucas Euangelista testatur, plenam intelligentiam habuisse neminem credo. Ac ne nimia hoc humilitate dictum existimes, fateor equidem, me in Christiana lege meditandá versari, illam tenere cupere, & vt quicquam ex illa eruam aliquando conari, atque eam velle in dies multo magis veraciter intelligere; ac tum demum, vt mea mediocritas tulerit, Christianis populis sæpius pro animarum charitate, quod tantillum intelligimus, enodare. Ex quo fit, sapienter quidem, quantum arbitror, vt neque sicut Aquila, arcana contemplaturus, super altitudinem nubium me substollam, ne superbus ad ima periculosius detrahar, neque vt talpa per ipsum solum irrepturus terræ latebris, omni qnidem tempore hæream: neque postremò vt noctuam, me cæcum confitear, quæ tenebras diligat, osa lucem. Ita verò quodam loco & noster Hieronymus ait, *vt mihi excelsa non vendico, ita terræ hærentia me supergredi posse credo*. Cuius

forte elegans dictum mihi superbius arrogauerim. Verùm tu amicè cuncta accipies, atque ad me suauissimas literas tuas dabis, ad amicitiam conseruandam sane frequentiores: sed ad paruitatem meam extollendam temperatiores, castigatiores, grauiores. Quod si continere te non poteris, amoris intemperantia, audacter dixerim, mallem nullas, ne forte aut te adulatio blandientis linguæ, aut me elatio prurientis auris, aliquando tandem leuius ventilauerit, aut vtrosque esca illectos inanis rumoris aura, vt quidam è Patribus ait, in quaslibet inuehat voragines flagitiorum, siue in facinorum etiam saxa collidat. Vale incolumis, ac mei memor, suauissime Frater. Atque illustri Leonello Principi me commendes, quem magis amo, quam dicere queam. Ad ipsum cum ero quietior diligentius exarabo, non vnam epistolam, sed fortasse libellum. Apud communem verò præceptorem nostrum Guarinum idem mihi officium prorsus efficies, quem digno quidem præceptoris honore meo nomine admonebis, non esse & illa penitùs negligenda, quæ in Hermaphroditum librum non modo maledicum, verùm etiam putidicum simul aliquando contulimus, si famam suam velit tueri, quæ hic à plerisque sanè literarum studiosis, nec meo iudicio contemnendis pro sua epistola satis carpitur: si quod mihi se facturum pollicitus est, vt petò, & oro, dictabit, fac ad nos copia literarum perueniat, cum aliquid præclarum ediderit. Franciscum Barbarum humanissimum his adiunges, qui cordis mei altissimo loco quiescit, quiq; extremam hic pagellam complere videatur. Iterum vale, & amicos salutandos expressos puta, eosque saluta in osculo sancto. Ex Patauio XV. Kal. Iunij 1434.

EPISTOLA XXXIV.

LEONELLO ESTENSI PRINCIPI.

ARGVMENTVM.

Persuasit Albertus Nicolao III. Estensi, Marchioni Ferrariæ, vt legem sanciret contra superfluas caudas vestis mulierum. Post absens vario rumore percepit illam legem abrogatam esse, alijs dicentibus confirmatam potius. Ille, facti dubius, ad Leonellum Principem, qui absente Patre gubernabat, scripta hac epistola, abrogationis primi decreti incommoda, & confirmationis dignitatem exponit: rogatque, vt pro Patris, ac suo honore tuendo, proque Ferrariensis, aliorumque populorum vtilitate primum decretum ratum, firmumque velit.

Cœpi iam pridem ad te scribere, *non epistolam*, *sed libellum* (1) quem adhuc habeo in manibus, nec mihi illum pro angustia temporis vacat explere, cogentibus adeò occupationibus quotidia-

tidianarum prædicationum, quas ex more, vt ſcis, ad Chriſtianos populos habere ſolemus, vt quæ me delectant ſtudia priuata, muneribus publicis intermiſſa conſpiciam. Itaque cum necdum completum opus mittere poſſim; nolui tamen ad te ſcribere nihil, ſed quod nequeo longis epiſtolis, agam breuibus ſchedulis, tuque viciſſim paucis, cum multis non poteris, me ſcriptis tuis ſuauiſſimis, atque chariſſimis conſolabere.

Mallem tamen rebus, quam verbis, ſatis meo deſiderio per te fieri, quod quidem & ipſum fateor ardentiſſimum: nihil ſane neque expetit, neque petit abs te Principe nobiliſſimo, niſi pro te ipſo primùm omnem ſanctimoniæ puritatem, nitorem morum, & tui tuendi nominis, conſeruandæque famæ omnia præclara præſidia. Pro tuo autem populo inſtitutiones ſanctiſſimas conſeruari, & nouas, quoad per te fieri poteſt, quotidie augeri, quibus & fræna perditis adhibeantur, & bonis ad virtutem aditus latiſſimè pateat.

Hæc idcirco dixerim, quoniam ad me nuper, neſcio quis rumor, vtinam inanis, attulerit eas leges, quas dixeras caudarias, à Patre tuo, vt aiunt, muliebri importunitate deuicto, ante ſuæ peregrinationis profectionem abrogatas fuiſſe; alij verò contra, tanta illum dicunt conſtantia in ſententia perſtitiſſe, vt quantumlibet nobilibus viris pro fœminis ſuadentibus, ne ad horam quidem in hoc dedecus, non modo fœditatis, ſed leuitatis aſſentiri voluerit: ſi tamen aut nobiles aut viri habendi ſunt, qui ad leuitatem fœmineam ſatiandam, ab honeſtorum morum firmitate deſciuerint. Addunt quoque plerique, quod præclaræ quidem virtutis eſt, cum, quem dixi, Patrem tuum non iam amplius ſupplicantium mulierculárum moleſtias ferre valentem, tandem & viris, & mulieribus aduerſantibus reſpondiſſe: ſi quæ eſt mulier, quæ ſe malam haberi velit; aut ſi quis eſt maritus, qui malit ſcortum ſuam coniugem, quam vxorem putari, ijs caudas dumtaxat ferre concedimus: cæteras verò, & graues, & honeſtas matronas portare caudas prohibemus, etiam edicto publico; quippe quas etiam ſtatutæ iam per nos pœnæ ſubijci volumus; ſi ſecus quam ſtatuerimus, facere auſæ fuerint.

O verè præclaram vocem, & Chriſtiano Principe dignam, quæ viros effœminatos perculit, & muliebrem repulit impudentiam, quæ ſtabilis ſententiæ latæ firmitatem oſtendit. Immo grauis animi teſtimonium, & ad reliquos æmulanda virtutis exempla tranſmiſit. Quale enim eſſet, mi Leonelle chariſſime, vt lex heri lata hodie abrogaretur: nonne & maieſtatem leuitatis, & conſcientiam criminis argueret; *dicente Beato Petro. Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti* (2) Nonne licentiam impudentibus, & impunitatem facinoroſis polliceatur? Taceo læſionem exiſtimationis cum tui, ac ſemper imprimis Patris tui, tum totius omninò ciuitatis, cuius opes non dico diuitiarum, ſed morum hæc peſtilentia populatur: quid quod cæteræ ciuitates, ſi quod fertur ſit verum, hoc exemplo prius incenſæ, nunc ab ſtudio ſimilia faciendi deterrebuntur. Ex quo fit vt non noſtrorum

rum

rum tantùm peccatorum pœnas luamus, qui fræna malis non adhibuimus, & adhibita non seruauimus: sed etiam aliorum errata, qui hoc flagitio, & facinore, admonitione nostra abstinendum censuerant.

Nobis quidem de ingenita leuitate, atque inerudita vanitate male meritis, *cuncta profectò imputabuntur* (3) qui eos illicibilibus inconstantiæ nostræ irritamentis ad inania vanitatis impulimus, & à veris, & grauibus sinceritatis solidæ auocauimus. Quamobrem te obsecro vehementissime, quia Christianus es, mi frater in Domino suauissime, sed quia Dominus es, mi Domine excellentissime, vt animum meum, qui cunctabundus huc atque illuc paulo momento impellitur, huius incertæ dubitationis angore mœrentem, certissimo testimonio tuo liberes: vt siquidem hæc mala ita se habent, salutari tristitia; sin verò minus, solida Christianæ charitatis iucunditate afficiar, cum videro, meo quidem satu, sed faciente Christo Diuini verbi semina in vestris mentibus profecisse, dicente Ioanne Apostolo. *Maiorem horum non habeo gratiam quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Quæ quidem veritas, cum semper vincat, omni tempore crescit in augmentum Corporis Christi: quod teste Paulo est Sponsa Ecclesia.

Adeò cordis nostri arua fœcundiora, non solum voluntaria Domini pluuia irrigata, verùm & iactis seminibus fœta, aut centenos fructus, quod summum est, attulisse gaudeamus, aut, quod est extremum, tricenos iuxta Euangelicam veritatem ex animorum noualibus allatura speremus, vt in altero egregij, ac rari, idest præclari, atque ijdem perpauci; in altero verò communes, idest quantum satis est, boni reperiantur, præsertim à Christo, qui & iustissimus Dominus, & clementissimus Pater est; apud quem Christianarum mentium nulla proculdubio dubitante, aut iniusti antiquæ impuritatis pœnas acerbissimas dabunt, aut iustos laborum, angorum, sudorum, dolorum, ac meritorum triumphi præclarissimi perenniter profectò manebunt.

A te autem hæc omnia, mi Leonelle, & populo tuo, quia ardentissimo corde percupio, vt & mala absint, & bona proueniant, pro his omnibus ad Dominum nostrum preces humillimas oblaturus; sicut ante iam feci, & si non corpore, saltem mente, ori suo Christianæ pacis sancta oscula imprimens, iterum, iterumque, ac tertiò Trinitatem veram, quæ Deus est, confessionem laudis constantissimè signans, tibi, ac populo sæpius repetens dico. Vale ex Patauio IV. Idus Iunij 1434.

NOTAE.

Nota I.

Non epistolam, sed libellum. Ego omne studium adhibens, vt inuenirem hunc libellum quem incœpisse saltem se cum spe perficiendi significat Albertus, incidi in M. S. de hac re libellum inter opera B. Ioannis à Capistrano, qui Alberti nec methodum, nec stylum præferebat, & Vvaddingus

gus

gus inter Alberti opera hoc non recenset: vnde vel non absolutum, vel perditum existimo, nec fragmentum ad posteros peruenisse. De officijs honestæ fœminæ, virginis, nuptæ, in moribus, & cultu corporis legendus S. Paulus ad Corinth. 7. & ad Tit. 2. & eius ibidem interpretes. Præterea Tertullianus lib. de habitu muliebri, & altero de cultu fœminarum, & obiter in oratione de pallio. Cyprianus de disciplina, & habitu virginum, & de disciplina, & bono pudicitiæ. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, & Marcellæ, & in epist. ad Lætam, & pluribus alijs, quæ tom. 1. operum reperiuntur. August. de adulterino habitu virorum, & mulierum tom. 10. sermon. 147. pag. 393. S. Anton. in sum. moral. tom. 2. tit. 4. cap. 5 1. & alij veteres. Recentior autem extat lingua Gallica liber insignis Fratris Iacobi du Bosc, Franciscani Parisiensis inscriptus *l'honeste Femme*. Et Italicè alius Ioan. Leonardi Fundatoris ordinis Clericorum Reg. Matris Dei, de vano ornamento fœminarum, cui appendit epistolam cuiusdam Paulini viri illustris, de eadem re ad suam neptem. Multa alia sunt loca scripturæ, quæ vestis abusum reprehendunt, & quorum interpretes non possunt non multa in eundem sensum contulisse quæ in indice biblico notantur verbo *abusus vestium*.

Nota II.

Dicente Beato Petro. Totus Petri locus epist. 2. cap. 2. à ver. 20. vsque ad finem huic rei accommodatissimus est, ac proinde hic integrum describere placuit. *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum sancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

Nota III.

Nobis quidem &c. *imputabuntur* &c. *qui impulimus*, & supra *admonitione nostra*, & infra *meo quidem statu*. His clarè significat Albertus, ipso impellente, legem illam caudariam contra inanem, prodigum, & perniciosum luxum vestium muliebrium sancitam fuisse: quam proinde leuiter abrogari, sibi etiam dedecori fore, non leuiter metuebat.

EPISTOLA XXXV.

IOANNI BENCINO VENETO.

ARGVMENTVM.

Albertus Taruisium prædicatum instanter vocatus, se excusat quod Vincentinis pro secunda die Augusti promisso suo, & ciuium expectatione obstrictus sit, sperans se aliquando Taruisinis esse satisfacturum.

HEsterno die cum valde essem grauioribus *dissentionibus conciliandis intentus* (1) quidam nuntius ad me venit afferens literas, tam tuo nomine, quam viri honorabilis Christophori Donati Taruisini

Præ-

Prætoris, cuius virtuti sæpe, cum hic esses apud me, testimonium præbuisti: nunc verò illum vocas hominem secundum cor meum: quod cum tibi homini sinceriter vera testanti facilè credam, quid mihi molestum non esse existimas, quod & tui, & illius, ac reliquæ omnis Taruisinæ Ciuitatis sanctissimæ petitioni non valeo satisfacere? Profectò molesta mihi res est: sed quæ prorsus sine scandalo, aliter fieri nequeat: nam in ipsa nuper publica concione prædixi, me penitus secunda die Augusti Vincentiam accessurum. Quod si secus facerem, existimare debes, quia inconstantiæ, ac leuitatis arguerer. Ipsi præterea socij mei, ex Vincentia ad me proximè redeuntes, magnam omnium postulationem nostri illuc accessus mihi exposuerunt: cúm ergo illis ciuibus, me accessurum media penè, non fide, sed spe quadam, fuerim ante pollicitus, se vehementer deceptos conquererentur. Verùm ne tantum mihi crederem, consului hic fratres: qui omnes voce consona me Vincentiam accedere debere constituerunt. Itaque mi Pater optime, & reliqui omnes, qui ad me scripserunt, hæc pauca suscipite, quibus, cum iam nunc ad pulpitum iturus, respondere non possim, has tibi, & illis communes facio. Te verò, & illos rogo, pro æquo animo ferre velitis, si vobis nunc non obsequor. Dabit enim Dominus benignus, & misericors aliquando forte aptius tempus, cum volet rogatus operarios in messem, albis iam Regionibus, destinare. *Clara iam nunc die* (2) vocor ad pulpitum; ideò plura scribere non valens, dico valete. Ex Padua iij. Iulij 1434.

NOTÆ.

Nota I.

Dissentionibus conciliandis intentus. Non sola prædicatione, sed priuatis, publicisque discordijs conciliandis, distrahebatur Albertus. Vbique desiderabatur. Sed vbique simul esse non poterat. Sed vt ante vidimus, & nunc præ manibus habemus, ea ipsius sinceritas fuit, vt quibus accessum semel promiserit, eos nunquam fallere voluerit.

Nota II.

Clara iam nunc die. Quasi diceret prærer solitum: nam, vt alibi dictum est, populus auiditate illum audiendi, viciniorem dicturo locum occupare contendebat, ac tot horis protrahebat sermonem, vt summo mane ad pulpitum accedere oporteret: Ferrariæ aliquando per quinque continuas horas declamasse scribitur.

EPISTOLA XXXVI.

PAVLO VERONENSI.

ARGVMENTVM.

Paulo multa præclara scribenti rescribens Albertus, responsi sui breuitatem excusat, sed sui inter alia celebratas laudes, tam vrbanè auertit, vt ele-

eleganti paradoxo oſtendat, ſicut multa vera falsò, ſic mula falſa verè dici poſſe, adeòque Paulum etſi falſas Alberti laudes, eas tamen verè dixiſſe, quo & ſe humiliter abijcit, & alterum à mendacio humaniter excuſauit.

STatueram quidem iam pridem, Paule frater, plurima ad te ſcribere, te complecti, tecum in literis ludere pariter atque iocari, & iocis noſtris, quoniam illi quidem de religione profecti eſſent, ſeria multa miſcere. Nunc verò Deus teſtis eſt, quia vix hæc pauca eloqui poſſum: malo tamen ea ipſa tandem aliquando, quam nihil vnquam penitus ad te ſcribere. Otium enim omninò mihi magis deeſt, quam facultas, vt percupio, ad te multa dictandi, quamuis forte vtroque caream. Sed hoc alij viderint. Tu verò hæc interim, qualiacumque ſunt, quia vel pauca ſunt, hilariter ſuſcipe, quibus liberè profiteor te mihi eſſe amicum, ac me tibi, ita vt totum tibi me dedam, quidquid ſim: quemadmodum &c. tu te in me dilectionis magnitudine effudiſti, vel ſi rectius dicitur transfudiſti.

Ecce tuus ſum omninò Chriſtianiſſimè: ſi tibi ſatis non fuero, in te culpa eſt omnis hæc referenda, qui me tantis nolo dicere falſis laudibus cumulaſti, hoc eſt enim quod tibi dixi per hunc ipſum perlatorem harum ineptiarum mearum, virum tui obſeruantiſſimum, mihi Patrem, vtriuſque noſtrum amantiſſimum; omnia videlicet in tuis literis præclara mihi videri, præter laudes meas, quas tamen abs te non tam ridiculè dictas, quam veraciter creditas, quamuis falſas, mihi de tuo beneuolentiſſimo animo perſuadeo. Non enim fugit iſta ſententia, *Maiores noſtros, doctiſſimos Eccleſiæ viros* (1) quos non piguit dicere, facile quidem eſſe videre, & vera infideliter, & non vera fideliter dici poſſe.

Nam qui, aiunt, ſic credit vt loquitur, & ſi non vera loquitur, fideliter loquitur; at verò contra qui non credit quod loquitur, & ſi vera loquitur, infideliter loquitur. Tu igitur quoniam ea de me credis, quæ mihi ſentio deeſſe, fideliter non vera dixiſti, ſed quod fideliter dixeris, quidquid dixeris, tuæ dilectioni attribuo. At verò quod non vera ſcripſiſti, Franciſco noſtro Mareſcalco imputare debetis: cui tamen de falſitate minus ſuccenſeo, qui talem me prorſus exiſtimans, talia dixit, & tanta tibi de homine non ſolum ignaro, ſed extremæ profeſſionis abiectiſſimo abortiuo, benigniſſimè potius quam veriſſimè, pollicitus eſt. Vale, & pro me ora, mihique de tua reſponſione qui otioſus es, aliquid Chriſtianæ dilectionis per literarum ſigna præbebis. Ex Vincentia XV. Kalend. Septemb. 1434.

NOTA.

Maiores noſtros doctiſſimos Eccleſiæ viros. Auguſtinum deſignare videtur, qui Patriarcham Iacob excuſat à mendacio, qui ſe interroganti

Patri Isaaco, num esset primogenitus eius Esau? respondit se esse, & similia. Non quod illa vera essent, quæ diccbat: sed quoniam vera saltem per figuram esse, ab ipso credebantur. Vide August. contra mendacium, cap. 10. post initium tom. 4.

EPISTOLA XXXVII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Percepit B. Albertus, & quotidianis colloquijs expertus est, quorundam errores, qui suo tempore detrahebant gloriæ Martyrum, eorum præsertim, qui se vltro obijciunt periculo mortis, vt Christi fidei testimonium ferant. Ipse contrario zelo, & subeundi martyrij cupidine æstuans, eos commentario scribendo refellere meditatus est. Interea dum otium per quotidianam prædicationem non esset, ideam saltem operis descripsit in hac Epistola; Eugenij Pontificis iudicium, iussionemque ad salutaris obedientiæ meritum postulans: in qua primum aduersæ obtrectationis damna perpendit; quæ ipsum ad scribendum concitabant. Hinc obstacula consilij sui, propter quæ breuiori Epistola, priusquam opere ipso agendum censuit: exponit deinde meditati operis partitionem. Tota interim oratione, & Martyrum gloriæ, & ei obtrectantium dedecori, & exhortationi Martyrij semper insistit. Mox breue præconium Martyrum, peruerso vituperantium dogmati opponit: denique preces suas Pontifici porrigit, rogatque descriptorem præcipui operis, cum absolutum foret, vt vel hanc ipsam Epistolam, tanquam ædificij vestibulum, ac totius operis argumentum, non separet, & fausta Pontifici apprecando Epistolæ finem imponit.

CVm aduersus amplissimæ gloriæ fortissimos viros, Beatissime Pater, quos Martyres Christi latè iam, ac passim Ecclesiæ consuetudine nominamus, quosdam nefarios homines insolentius garrire cognoscerem, illicò fateor, pro Martyribus contra impudentes excandui. Nec sum passus eos, *ad quos imitandos* (2) amor in me quidem impatiens, ante aliquot annos de munere Christi ad similia suspirans vota perurget, insanorum moribus lacerari, ne lingua maledica cęlestis munditiæ in Martyribus sanctimoniam tam iniustis quam grauissimis conuicijs insectetur, neq; eximiam Christi de tam insignibus ducibus claritatem nefandissimæ criminationis maledictis obnubilet: ac ne Matris Ecclesiæ de tam præstantibus filijs gloriæ micantem fulgorem indignissimæ infamiæ fœdiore nota commaculet, vitiet, & obfuscet: neque postremò longè patentis Martyrum præclarissimæ famæ, de tam gloriosis triumphis egregium, præstantissimumque odorem, sabeo,

vt

vt dicitur, thure, & suauissima fragrantia redolentem, in horrendæ mortis fœtulentum nidorem, putores abominabiles exhalantem, teterrima mendacissimæ obtrectationis peste conuertat. Quos & ipsos Martyres, pro rerum gestarum magnifica quadam, summaque probitate, nostros heroes (si hoc nomen Christianæ disciplinæ sanitas, ac sobrietas pateretur) rectissimè appellari Maiores nostri, ijdem veteres, atque charissimi consuerunt.

Quamobrem nè apud Christum veritati infensi, diuturni silentij pœnas acerbiores iustè pendamus, statui tandem, istos procaces, tanquam inuerecundius oblatrantes, atque quos fuimus satis superque diutius molestè perpessi, & Patrum institutis, & ratione certissima, & quod est grauius, scripturarum sanctarum authoritate refellere: quam sanè ad rem probè conficiendam, quamquam & me, & Christianos omnes niti summopere oportere, venenosi morbi, *teterrimique erroris* (3) iactura communis mihi facillimè persuaserit; Plurima tamen sunt, quæ nobis impedimento esse videntur. Quæ profectò omnia, si aptè à quoquam refutari debebunt, nemo est nescius, omnia ea vacui temporis otia commodissima postulare. Mihi fere verò quotidie apud Christianos, vtinam & vtiliter, & feliciter, concione publica differenti pene nulla sunt otia, nullum à magno etiam labore, vacuum tempus. Quamobrem licet erecto animo sim; ad temeritatem insolentium confutandam; cum tamen mihi in præsentia, pro angustia temporis, minimè vacet, censui interim hoc, quantum arbitror, optimo consilio mihi magis vtendum, vt prius hac mea qualicumque epistola perfidiam improborum apud sanctitatem tuam deplorem, quam negotium condendi totius operis maturius subire festinem.

Quod vt perspicuo ordine à me fiat, quatuor partibus epistolam constare disposui. In quarum prima timorem meum, quamuis singulari quadam in spe sublimiore, iuxta vocem propheticam constitutum, tibi aperte, & simpliciter confiterer: quid præterea mihi consilij esset in causa agenda exponerem: errorem deinde aduersariorum, & blasphemantium gloriam Martyrum explicarem: vltimo verò loco, quia inter se isti insani, contra quos agimus, & agemus, varijs opinionibus nutent, diligenter edicerem. Quæ omnia ab ordine proposito, & adiuuante Domino, cum recte effecero, tu Christiana pietate istam epistolam nostram, si ita fieri debere censebis, probabis, & ego ad prædicandam Sanctorum Christi testium gloriam, & ad tuendam Martyrum ignominiam, quod de honore Domini augendo, de dilatanda Ecclesia, de fidei stabilitate firmanda, de veritate serenda, de moribus fidei componendis, mirabili cupiditate arserunt, aduersus immanissimum errorem illorum, qui inanissimis cæcæ falsitatis rationibus fœdant gloriam triumphantium, promptus, libens, & ardens postea scribere pergam.

Hunc interim, vt cœpta prosequi iam incipiam, duo sunt, quæ maximè ab scribendo me reuocant, vnum ipsa causæ magnitudo; quæ de media rerum ab ipsis Martyribus magnificè, ac probè gestarum, amplitudine, ac dignitate profecta

est. Vereor equidem, ne tantæ veritati asserendæ, & tam ingentis ponderis causæ tuendæ succumbens, minus idoneus tractator accedam. Nam si tanta est Martyrum gloria, vt eam laudandi causa dumtaxat assumptam, vix quilibet peritissimus, atque eloquentissimus, dignè pro ingentibus trophæis agere queat, quanto magis, quiuis ingenio excellens, doctrina præstans, ac lingua præpolitus, haudquaquam poterit, tam vastam molem, æquis, vt ita dicam, humeris sustinere? qui sibi non modo commendandam, verum etiam ab aduersarijs pugnaciter tuendam statuerit, illis præsertim, qui tantæ de se audaciæ congredientibus formidinem præbeant. Quis enim illo amplius in congressu est formidandus, qui tam fortissimos duces audeat quouis temerè gladio obtrectationis appetere.

Sed quoniam hoc opus nostrum, ad te præcipuè censui dirigendum, hoc est item maximum in causa, quod me reuocat. Cum enim coram illo res agitur, apud quem iudicio fortasse oporteat, pro eruditione, pro grauitate, pro authoritate periclitari, quale obsecro est munus, quod onus, magnis de rebus apud Summum Ecclesiæ Principem diutius proloqui? cui cum non est præbitus dignus honos, quam ineptè cum loquentibus agitur. Quis igitur non pertimescat, ei scripta dirigere, à quo possit, qui scripserit, non solum pro studio eruditionis à causa excidisse existimari, veluti de quo Martyres laudati multa desiderent: sed pro tutanda Martyrum gloria, multo id magis de Martyribus malè meritus credi: & quod est durius, pro authoritate, si ab vero in aliquo aberrauerit, queat à potestate Petri diiudicari, corripi, respui, plecti, contemni. At rursus vbi auocor, ibi me ipse reprehendo, non solùm ignauiæ, sed iniustitiæ. Nam quem veritatis amicum magnopere non delectet, vel rectè scribentem à Sede Petri in Domino collaudari, probari, prouocari? vel longius aberrantem reuocari, instrui, corripiendoque corrigi.

Hæc sanè mihi, Beatissime Pater, in assumpta causa cuncta contingunt, quæ me, vt dixi, vehementius ab scribendo deterreant: verùm nos benè gerendæ huius totius rei summa, cum spe Christum Dominum nostrum Ducem nobis præstantissimum exhibemus, quem compertum est Christianis neminem vnquam deseruisse, qui illum tota fiducia præ se tulerit: huius igitur Christi nostri summo adiumento confisi, & præclaro eius præsidio nos totos dedentes, hoc quamuis inculto opusculo nostro, quod condere disposui, & ad te instituto, causam Martyrum commendandam simul & tuendam modo suscepi, ea vel maxima ratione, ne Martyrum contumeliam, iniuriam Ecclesiæ, probrum Christi, Religionis opprobrium, & Christiani nominis iacturam, quæ omnia efficiunt, qui constantiam Martyrum criminantur, diutius tolerarem, ac ne scelerati homines fragilium animos, tergiuersationum cauillationibus irretitos, & ad ineptias assertionis commentitiæ deuolutos, à veritate fidei solidioris decipiendo, mouerent.

Nunc quod sequitur consilium rei gerendæ, atque intentionem meam, tibi Beatissime Pater, exponam, & rectè id quidem, quamquam

quam enim mihi conſtituam, toto conatu tuendæ cauſæ Martyrum incumbendum, optauerint tamen fortaſſe nonnulli audire quo ordine. Quibus breui reſpondeo, eam me malle diſtinctionem ſuis partibus ſtantem ſeruare, quæ partitionem triplicem complectatur, cuius primo quidem loco, Martyres pro exilis ingenij noſtri viribus extollemus. Tum deinde in hoſtes Eccleſiæ de Martyribus malè meritos inuehemur: Poſtremò quid te Summum Principem Chriſtianorum, pro Eccleſiæ filijs facere conueniat, exponemus: & quidem fieri poſſe non credo, quòminus nobis contingat, aut primo illo bona ingenia concitari, aut altero deprauata proſterni, vel emendari, quod profectò magis optamus, aut tertio tua graui cenſura huic grauiſſimo, deteſtandoque morbo, quo mea ſententia nihil tetrius, & moderato rigore quantum Chriſtiana veritas, & pietas poſtulat, occurratur.

Seruato tamen propoſitæ eiuſmodi trinæ partitionis non illepido ordine, antequam ad partem illam errorum improborum explicandam perueniam, quędam mihi adijcienda conſtitui. Etſi enim laudis, ac vituperationis ſingulę partes ſigillatim ſuis locis dirigendæ, abſolui diligentius à me debeant, tota tamen oratione laudandi ſunt Martyres, tota in illos perditorum hominum facinoroſum dedecus lamentandum, tota denique refellendus eſt hoſtis, & quaſi per omne corpus inuectionis mucrone confoſſus, fortius lacerandus, ne nimium reſpirare permiſſus, nouis in nos viribus valens inſurgat, ſed potius inculcata importunius percuſſione, tanquam frequentibus telis, atque ictibus ingeminatis, deficiat.

Exhortationis autem robuſtior vigor, non tam in ipſo calce libelli, neque tam veſtræ beatitudini, quam perpetua ferè oratione, ad ſimilia Martyrum vota præclariſſima imitanda, ideſt ad Martyrium pro Chriſto vltrò arripiendum, omnis omninò Chriſtiani pectoris ardentiſſima fides, quæ per dilectionem, vt ait Apoſtolus, operatur, ſummis conatibus excitanda, ſummis viribus excitanda, atque ingentiſſima impauidi cordis, & perpetuæ ſtabilitatis mole firmanda eſt: non quo omnes fideles, aut poſſe, aut debere ſpontaneos pro Chriſto Martyres fieri arbitremur, ſed quo, abiecto errore, qui malè de Martyribus ſapit, diſcant, qui volunt, & qui nolunt ab his, qui tanto animo, egregij pro Chriſto, tam fortia, præclaraque audent, opus agi non obtrectatione, ſed honore ſummo digniſſimum, rem virtutis permaximæ, & apud Dominum meriti præſtantiſſimi: rem de Diuina ſanctione, de Apoſtolica operatione, de Euangelica erudirione manantem. Quid plura? rem Chriſtiano nomine dignam, innocentium cruore ſacratam, Martyrum honore dicatam, Eccleſiaſtico dogmate confirmatam, doctiſſimorum ſententia roboratam, Sanctorum penè omnium documentis clariſſimis illuſtratam, cœleſti, atque ingenti præmio deſtinatam.

Horum omnium, quæ enumerauimus ſiue præcepta, ſiue perſonæ, digeſta, diffinita, grauis, & probatiſſima diſciplina hoc diffiniuit, hoc ſtatuit, confirmauit, non eos damnatos, neque damnandos, vt perditi homines criminantur, *qui ſe*

vltro

vltro pro Christo persecutoribus offerunt (4) vt infideles prosternant, & erroribus reluctentur, vt fidem Ecclesiæ compluribus patefaciant, longius porrigant, & in vltimas terras, si fieri potest, asportent. Sed esse potius eos ornamentum Ecclesiæ, & decus Religionis, atque è numero electorum militum Christi, fortissimos sui corporis domitores, victores diaboli, sæculi magnanimos contemptores, etiam si nihil horum hactenus extiterunt. Qui de hominum mundi tyrannica rabie triumphantes, mortem suam, iuxta propheticam vocem Christo pretiosissimam præbuerunt, & tanto præstantiorem, quanto præter fidei, & Christi confessionem, quæ causæ præcipuæ sunt, maiore animo, & nulla data cuiuscumque alterius persecutionis occasione, magis sponte quæsitam.

Sed iam nunc Beatissime Pater nè vel te, vel lectorem longius traham, vesanus explicandus est error, quem nos tertio loco contra blasphematores Martyrum, expositurus polliciti sumus, vt in quæ intendere animum, eum qui legerit, oporteat, certo sciat, nec generatim, & sub nube loquentes, notionem vtiliorem abominandæ hæreseos legentibus occultemus, quos potius nefandæ falsitatis admonitos speramus illam nobiscum vehementer detestaturos, atque quod vel maximè ab omnibus postulamus, imbecillitatem nostram, quæ contra hostes Martyrum dimicatura est, suis orationibus adiuturos, tanto feruentius quanto non vnus nobis confutandus hostis obijcitur: sunt enim tam innumerabiles per orbem, latè vagantes: in Italia verò nostra ingentior copia qui non sunt à Christiano nomine alieni: verum ab opere, à merito, à præmio, ipsi viderint. Sed quod est calamitosius, tales sunt, quorum plerosque religionis, & seruorum Christi institutum decorant.

Hi priscos audent, & ad nos vsque priscis posteros Christi Martyres impia temeritate damnare, futuros verò, ac præsentes, qui animo insignes, audaci mente, & corde impauido, pro Christi confessione mori percupiunt, meticulosa procacitate, & ignauissima insolentia terrere conantur. Aiunt enim, immò contendunt, imputenti prorsus, quanta mihi videtur, atque imprudenti nec minus falso, sacrilegoque commento, omnes omninò homines, siue sint illi futuri, siue vitam nobiscum degant, siue hactenus fuerint, tanquam proprios parricidas æternæ morti, atque extremæ damnationi esse obnoxios, qui inter paganos, & alios hostes Christi, fidem Catholicam liberius prædicantes, vltro quondam animosius defenderunt: vel modò non rogati, non inuitati, & vt totum complectar, ab non credentibus non præuenti, aut præoccupati, sponte defendunt, annunciant, prædicant, monent, publicant, manifestant, præsertim verò si hoc asperis verbis agatur, atque vt occidantur ab iniuria lacessitis, non vt illi conuertantur ad Christum, si de industria ad eorum fana concedant, quæ vulgato inter Saracenos nomine vel Chinisie, vel Moschete vocantur. Propterea, inquiunt, quod illorum templa consulto ingredientibus, aut abnegatio fidei, aut periculum mortis, quamuis ex confessione Christi, certò sæpe, immo penè semper, immineat, aut illos dispendium, extin-

tinctioque sequatur. Sed ò nequissimam vocem dicere Martyres non esse, qui sunt, & quos reuera quanto ex animo promptior, tanto sublimior confessio potius praeclara veritatis exornat.

Addunt praeterea, vt moderari videantur insaniam, confessionem fidei non esse abhorrentibus ab illa tyrannis, paganis, atque infidelibus ingerendam: ne margaritas ante porcos, aut sanctum dare canibus videantur; nisi cum illam sibi à nobis exhiberi, aut deuotio desiderantis exposcit, aut sagacitas interrogantis explorat, aut violentia persecutoris extorquet. Isto verò, quod extremo loco posuimus, illud fit, inquiunt, vt cum hostis fidem persequitur, religionem vastat, nemini liceat sponte confiteri, nec vltro confitendo infidelibus reluctari; fugere autem, si quidem fieri possit, ad sapientiam pertinet, & per hoc, legem perfectae mentis non abroget. Si verò carpere fugam minimè vacat, arreptum tyrannicis manibus, non data optione aut negandae fidei, aut perpetiendae mortis, posse sibi remedia seruandae vitae, siue parata fuga, siue impartita pecunia comparare; iustèque id & rectè quidem licere. Data autem optione, mortem quamuis durissimam subeundam. Et haec quidem in persecutione.

At verò in pace Ecclesiae, inquiunt, haudquaquam sponte confiteri debere, neque non praebita optione, neque data à paganis occasione, neque quauis causa per se se inuenta, id est à quoquam, data opera se offerre. Verum quod sequitur totam illos pectoris insaniam effundere cogit. Quod si de vltronea, aiunt, confessione quisquam à sui parricidio liber existit, hoc ad praedicatores Diuini verbi maximè spectat, quibus per orbem Euangelium serere tanquam necessitas quaedam annunciandae veritatis imposita est. Caeterum Christiani caeteri, quibus illud officium, eiusmodi sarcinam non imponit, hanc prorsus temerariam audaciam esse, & eò magis mortiferam, quo prohibitam sibi omninò existiment: quoniam procurandae sibi spontaneae mortis causa, sicut & inferendae meritò in omnibus Christianis, tanquam praesumptio detestabilis est semper damnata. In illis verò, inquiunt, multo est peruicacior audacia, si sponte sua id agant, quos per subiectionem alteri obtemperare oportet, & quibus instituto quodam professionis canonicae maiorem aliquem, ac patrem omnibus, qui simul humiliorem in congregationibus vitam agunt, religionis ordo praefecit. Quorum subiectorum vltima salus, si tam arduum opus per se aggredi attentauerint, ne dicam verè amissa, certè dubia est, nisi maiorum suorum in hunc congressum, aut iussione cogantur, aut hortatione mittantur, aut laxatione latioris licentiae permittantur. Quid illud tandem, inquiunt, quale est, eos fecisse nostra causa homicidas? qui inuocati incurrimus, imò quos nostra occursione, vt interficiant, irritamus, ac pene inuitos cogimus? cum aut in nos indignatione feruntur, suae lacessitae fidei, immò perfidiae iniurijs agitati, aut legis, quam habent, sanctio, si tamen habenda sit lex, quae tam turpia praecipit, nostro illis facinore obseruanda est, quae apud eos indubitata contradicentibus poenas indicit.

cit. Si quis autem audax, plusquam sapiens, & furens, plusquam feruens nobis objiciat, veteres quosdam Martyres se persecutoribus promptius obtulisse; discant illi, inquiunt, hoc fuisse, quando & fides, & lex, & Christianum nomen, omni penè mundo ignota erant, & ipsorum quoque Martyrum nesciebatur à paganis professio: ad quos oportebat, vel sic aliquando veri notitia, perueniret: *Nunc verò mille iam quadringentos, triginta, septemque annos* (5) ante quos Dominus noster, ex Virgine natus est, Euangelicæ candor doctrinæ, lumen sui fulgoris ad mundi fines vsque porrexit, & Apostolicarum clangor tubarum, toto vehementius orbe perstrepuit, vsque adeò vt fidem Christi, sanguine Martyrum irrigatam, Ecclesiæ institutis fortioribus solidatam, eruditorum hominum rationibus, defensionibus, & argumentis tutatam, atque illustratam, & auctam, aut nullus, aut prorsus rarus, etiam infidelis ignoret; etsi non omnis eam suscipiat, amplectatur, & credat; quo fit, inquiunt, vt qui se vllis infidelibus vltroneum prædicaturum ingresserit, nihil eos docuerit quod ante nescierint, se verò casso labore, etsi non cassa damnatione, perdiderit.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ de pertinacia resistentium, vel forsitan inuidentium Martyrum gloriæ, amaro pectore, & maximo cum dolore, tibi narranda, diutius fortasse quam debui, conseruaui; quos equidem perditos in quotidianis collocutionibus molestè perpessus, verbis quibus potui, & quæ illos audire deceret, acriter, & pugnaciter refutaui. Nunc verò si iusseris, scriptis eos improbare disponens, perstrinxi; vt potui, illorum vanas, sacrilegas, ac prophanas opiniones, quibus non minus quam mala, ac nefaria eorum in corpore gesta vita, pertimesco confessionis constantiam eneruari, qui fidem religionis, religionem fidei insulsa Vesania funditus euertere moliuntur.

Postremò tandem iam loco B. Pater, vt ad calcem aliquando perueniamus, orationis quarta partitionis distributio exponenda se obtulit, vt scilicet doceamus, quam varijs opinionibus, stulti isti, contra quos agimus, inter se inuicem dissidentes fragiliter, & inconstantissimè nutent: ita vt profectò ipsa eorum in re tam certa diuersitas, imo aduersissima, vt ita dixerim, sententiarum nouarum, falsarumque varietas, & in alijs dissentio, eos erroris manifesti conuincat. Quem sane errorem immanissimum, atque mortiferum quidam illorum, & pertinacius tenent, & occultius docent tanquam nouæ stultitiæ repertores. Quidam verò ingenio tardiores, & resistendi artis ignari, velut authoritate territi cedunt. Alij potius opinantur: verum illorum multo est copia ingentior, qui nihil definitum de nefaria sententia arbitrantes, titubant, hærent, hæsitant, & in neutram partem, quamuis toti perturbati, declinant. Dum enim apertè prospiciunt rem tantam ambiguè ventilari, sicut non penitus hæresi manum porrigunt, sic Martyrium, quod ante vel optare fælicissimum fuerat, quanquam corde in sententiam Ecclesiæ transeant, opere tamen ipso agere deterrentur, cui libenter arripiendo prius flagrauerant.

Et quod extremi periculi est, inic-

iniecto eorum mentibus grauissimo de Martyribus scrupulo, eo stultitiæ, ac cœcitatis sunt deuoluti, vt quos pro Christo fortiter mortuos beare solebant, nunc verane salute cum Domino potiantur addubitant, maximè alijs veritati inimicissimis contra istos fragiles vehementius asserentibus priores Martyres, qui se ipsos pro fide nostra sæculi potestatibus obtulerunt, fuisse damnatos: futuros verò, etsi non alio scelere, vel hoc vno damnandos, quod aut vi tormentorum fidem negabunt, aut negandi discrimini, pondere supplicij vincendi, se credent. Quod si vel accidit, vel acciderit, quanto satius, aiunt, susceptæ vltro pœnæ temeritate procaces illi abstinuissent, quis cæcus non videat? At etiam negantes, quanto dedecore religionem nostram, & fœdam factam tabescentem affligent, quis quibus verbis, aut vllis sermonibus explicet? O ingenia obtusa, quæ tandem impudentiam suam mendacio affirmant horrendæ blasphemiæ. Hæc sunt, inquiunt, quæ de Martyrio veteres Ecclesiæ censuerunt, ne nos forte de magnarum rerum congressu, & appetitu loquentes, quisquam maleuolus arbitretur tanquam friuolis opinionibus niti, atque à Patrum præstantissimis sententijs deuiare.

Sed quam apertissimam falsitatem hoc loco dicant, non est opus detegere. Quibus autem fictis rationibus fulciantur, & quam deprauata intelligentia maiorum dicta repugnantia ad se trahant, & scripturarum sensa violenter extorqueant, cum ad partitionem refutandæ huius hæreseos ventum fuerit, commodius arbitror differemus; hic verò contra istos, quis non clamitet? ò indolem obscœnam, ò eruditionem pestiferam. Nam cur non magis Martyribus, nequaquam detractionem, sed imitationem se debere conspiciunt: ad quam si se inferiores esse intelligunt, hoc ipso subactam, atque abiectam virtutem suam, si tamen eis vlla est, Martyribus substernere debuissent: quam ad sequendos nobilissimos illos sentiebant imparem. Sed iam ad finem pergamus, longior enim euasit hæc Epistola, dum in explicando metu, qui me hactenus à scribendo deterruit, atque in referenda mea in causa tractanda intentione, simul cum fætulenta opinione stultorum sumus, plusculum quam putaueram, immorati.

Prędicanda sunt autem nunc mihi, si modo tua beatitudo probet, & iubet, fortissimorum Martyrum gesta, & magnifica, quæ res primum sibi locum in nostra partitione sortita est, quamuis totius operis, idest diuisionis propositæ trinæ particulæ, tres potius libelli fortasse, non ineptè appellabuntur. In Martyribus autem laudandis, vt tibi Patri omnium Christianorum arcanum meæ mentis simpliciter eloquar, non solum me oblectat, & trahit magnitudo factorum; sed nescio quis in me amor, quem velim esse Christi, impatientius vrgens ad similia vota pro Christo imitanda suspirat. Quod onus & laudis, & imitationis vtinam tandem aliquando faustè absoluendum, felici vt dicitur temeritate arripuerimus; quamuis non arbitrer præcipuo nobis adiumento, ad vtrumque gerendum, neque Christi nostri suffragia, neque Martyres, quos defendimus, defuturos.

Tu igitur Beatissime Pater, ne merito

rito sanctæ obedientiæ caream, impera, atque adesto censor, vt iustus ita & pius, ac pro laude Martyrum dicere exorsum, tale per hanc Epistolam me existimato facere debuisse principium, non quo ab alio futuro exordio condendos libellos, iam summa mentis intentione conceptos, tanquam à suo capite priuare debere me putem, sed quo nunc incipiam de Martyribus scribere, qui hactenus silui: de quorum honore plura loqui, & dictare constitui, si hæc Epistola nostra tibi, non dicam stylo, sed veritate placuerit. Quæ quoniam sequuturi operis scienda necessaria plurima continet, non mihi videtur ab edito post opere resecanda. Eam igitur qui scripturus est, addat oro libellis, cum editi fuerint, habet enim non solum exordij aliquid simile, quod tamen ita vocari pro longitudine nolim: sed argumentum proprium omne complectitur, quo tanquam vestibulo, reliqua futuri ædificij erigenda structura queat absque vllo errore dijudicari. Dominus Deus Omnipotens sempiterno æuo tuam tueatur clementiam, Domine Beatissime, & merito excellentissime, Christianorum omnium Pater, & Papa, Christi Vicarie, Successor Petri, & mundi totius æquo iure præstantissime Domine. Amen.

N O T AE.

Nota I.

Beatissimo Papæ Eugenio. Duo mihi suppetunt vetera huius operis exemplaria. Alterum secundis Alberti curis expolitum, & eodem nitido charactere, quo reliquus codex descriptum, sed absque inscriptione. Alterum prioris elucubrationis, & alieni characteris, ex quo hanc operis Epigraphem descripsimus. Cur autem hanc Epistolam author ad Eugenium direxerit, ipse in sequentibus docet, præterquam quod in Pontificis obsequia segregato non expediebat opus absque ipsius voluntate incipere, quod ad eius mandata, vt euenit, vocandus perficere non posset.

Nota II.

Ad quos imitandos Amor me per urget: eadem infra expressius repetit. Nec solum verbis, sed re ipsa desiderium suum; subeundi pro Christo Martyrium, ostendisse ea quæ Cayri contigisse in vitæ historia narrauimus, clarè demonstrant. Vbi ad mortem pro fide tuenda condemnatus, designati Martyris præconium reportauit, & confirmat periculum, cui se exposuit, quando contra expressum Soldani mandatum, ditionum eius fines transiliuit, vt Eugenij Pontificis perficiendæ commissioni non deesset, & Aethyopes, Indosque, ad fidem, & Ecclesiæ Matris obedientiam conuerteret: quod in eadem eius vita retulimus.

Nota III.

Teterrimi erroris. Indignam, & sinistram de Martyribus opinionem sic vocat: & infra *blasphemiam, & errorem immanissimum, & vesanum*, & quod caput est, *abominandam hæresim*, nec immeritò, nam S. Hieronymus eandem peruersam opinionem, eodem abominando titulo indigitauit, cum aduersus Vigilantium scribens tom. 2. pag. 409. *Scribit*, inquit, *aduersus hæresim tuam, quæ erupit aduersus Ecclesiam (ne in hoc quasi repertor noui sceleris glorieris) Tertullianus vir eruditissimus*

ſimus inſigne volumen, *quod Scorpiacum vocat*, & qnibuſdam interiectis. *Et multo*, inquit, *tempore dormiens*, *& ſepulta*, *tunc à dormitantio* (ſic Vigilantium deridet) *ſuſcitata eſt*. Scorpiacon autem Tertulliani contra Gnoſticos vniuerſum conatum in Martyrum detractores exerit. Ex quibus Vigilantium vnum fuiſſe, apertius docet Hieronymus per hæc quæ ſequuntur. *Miror*, *quod non dicas nequaquam perpetranda Martyria*, *Deum qui ſanguinem hircorum*, *taurorumque non quærat*, *multo magis hominum non requirere*. *Quod cum dixeris*, *immo etſi non dixeris*, *ita habeberis*, *quaſi dixeris*. *Qui enim reliquias Martyrum aſſeris calcandas eſſe*, *prohibes ſanguinemfundi*, *qui multo honore dignus eſt*. Sic enim legit Pamelius in argumento Scorpiaci, quamuis meus Hieronymus habeat, *nullo honore dignus*, fortaſſis Vigilantij ſenſum referens. Hæc eadem hæreſis, cuius authorem fuiſſe Eunomium refert eodem loco Hieronymus, iterum in Hiſpania ſuſcitata fuit, præſertim contra eos Martyres, qui ſe tunc vltro fidei hoſtibus offerebant, quando Saraceni Mauri rerum potiebantur, maximè in Vrbe Corduba. Sed tunc ipſorum gloriam inſigniter tutatus eſt S. Eulogius Cordubenſis electus Epiſcopus Toletanus, & Martyr, in opere, quod *memoriale Sanctorum* inſcripſit, & habetur tom. 9. par. 1. Biblioth. vet: PP. quæ ſic laudat Card. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. 24. Nouemb. *vt omninò eiuſmodi ita ſcripta ſint*, *vt in pyxide Spiritus Sancti calamum intinxiſſe S. Eulogius videatur*. Tempore B. Alberti noſtri reſtabant aliquæ eiuſdem peſtis reliquiæ, maximè in Italia, quas ipſe tollere, & voce, & ſcripto ſtudebat. Et quanquam opus integrum exarare non licuit, ob impedimenta, quæ in eius vita diximus, in hac tamen Epiſtola, ſeu operis idea ita hæſit ſenſibus S. Eulogij, vt licet eius ſcripta legiſſe non cenſeam, quæ quippe longè poſt è tenebris in lucem prodierunt; dixiſſes tamen eodem ſpiritu doctum vtrumque, in eademque pyxide calamum intinxiſſe. Quod enim promittit Albertus hos hæreticos, & Patrum inſtitutis, & ratione certiſſima, & ſcripturarum ſanctarum authoritate refellere, id ipſum triplici hoc argumentorum genere præſtant Tertullianus in Scorpiaco (etſi de perſecutionis fuga excedat) & Sanctus Eulogius magis ad Alberti conſilium. Scripſiſſe etiam in illos, qui in Hyſpania Martyribus detrahebant, ignoti nominis authorem, opus nondum typis editum, inſcriptum *Indiculus luminoſus*, docet Ambroſius Morales in Commentarijs ad Memoriale S. Eulogij.

Nota IV.

Qui ſe vltro pro Chriſto perſecutoribus offerunt. Qui veri Martyres ſunt, congruo, condigno cultu colendos eſſe Fides Catholica docet, ſed quod indiſcriminatim omnes, qui ſe vltro pro Chriſto perſecutoribus quoquo modo offerunt, veri Martyres ſint; & SS. Patres, & graues Theologi negant, ſed quos vel internus Dei Inſtinctus, vel extérius manifeſta neceſſitas fidei ab iniuria defendendæ, vel confirmandi labentium Chriſtianorum animos, vel ipſos perſecutores conuertendi ſpes ad id faciendum impellit, cum firma fiducia euadendi proprij lapſus periculum. De qua re videndus ſolidi iudicij vir doctrina, prudentia, & pietate clarus Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Brancatus de Laurea Ord. Min. Conuent. part. 2. de Fide, & eius propagatione, vbi diſp. 7. & diſp. 2. art. 11. Omnes huius dubij venas diſtinctim detegit; & Catholicè docet, quid in eo tenendum; quid reijciendum ſit: neque S. Eulogius, qui pro ſe vltro offerentibus defendendis acerrimè diſputat aliud à fidelibus exigit, quamuis enim indiſcriminatim alicubi loqui videatur, ſemel ſaltem ſuam mentem aperuit, cum diceret: *Et licet formidoloſis facultas collata ſit declinandi rabiem perſecutionis*, *non tamen paſſim hoc obſeruandum eſt à perfectis*, *qui iam præſcia Redemptoris potentia denotati*, *& conſcripti*, *quaſi ab immenſis legionibus ad exercitium præliorum Dei electi ſunt*. Vbi, vt vides, & formidoloſos à fortibus, & perfectos

ab imperfectis, & præscij Dei instinctum à propria temeritate, & electionem a præsumptione ac fatua animositate discernit. Quod Seraphicus P. N. Franciscus vt columbina simplicitate, sic Euangelica serpentis prudentia plenus, in sua regula cauit cap. 12. *Quicumque Fratrum*, inquiens, *Diuina inspiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus, Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum*. Quam regulam cum neutiquam violandam censeret noster Albertus, obseruantissimus, & zelantissimus eius professor, non hac de se opinione contentus sensum suum, dum se ad Martyrium offerentes defendit, manifestè declarauit, non solum cum se delectari profiteretur, à Sede Petri longius aberrantem reuocari, instrui, corripiendoque corrigi, cumque obsecraret, errori obtrectatorum per Pontificem occurri, non vt cumque tamen, sed, inquit, moderato rigore, quantum Christiana veritas, & pietas postulat: Sed amplius, cum diceret. *Non quod omnes fideles, aut posse, aut debere, spontaneos pro Christo Martyres fieri arbitremur, sed quo abiecto errore, qui male de Martyribus sapit, discant, qui volunt, & qui nolunt, ab his qui tanto animo egregij* (idest ex vulgi grege selecti) *pro Christo tam fortia, præclaraque audent, opus agi, non obtrectatione, sed honore summo dignissimum.* Horum autem, & in sacris historijs innumera est multitudo, vt in ipsius vita diximus, quorum vt Sanctus Eulogius loquitur, *O incomparabilis magnanimitas, ò fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanda Sanctorum, qui etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram eius, & inuitare ipsum ad bellum iubemur, vt hostem frigidum strenuus Agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conferenda certamina desidem. Et quamquam effuso cruore, consternatis membris, succumbat, feret tamen ad Sedem Patris captum ex hoste triumphum spiritus belliger, victoria laurea potiturus*. Quales proinde, quod dixi, innumeros tanquam gloriosos, cum Christo triumphantes, solemni veneratione colit Ecclesia, eiusdem iudicio relinquendum est vt discernat, quis Dei impulsu, ac debitis circumstantijs, quisque secus, mortem pro Christo vltro oppetierit. Quæ nimirum Spiritu Sancto veritatis certissimæ docta, nec falli potest, nec fallit, cum Sanctos Martyres nobis colendos proponit. Quod Albertus noster se velle non semel in hac Epistola professus est.

Nota V.

Nunc verò mille iam quadringentos triginta, & septem annos. Ex hoc æræ calculo, posset aliquis putare, authorem hanc Epistolam eodem anno scripsisse, cum ipse, licet contra suam consuetudinem, nullam anni quo scripsit notam huic Epistolæ subscribat, ei tamen exemplari, quod Vvaddingus describi curauit, præfigatur annus 1435. quod ego verius existimo. Nam in Epistola ipsa, significat sibi, cum illam scriberet, ferè quotidie apud Christianos concione publica differenti penè nulla otia fuisse, nullum à magno labore vacuum tempus, quo propositum opus prosequi posset, contra eos hæreticos, quorum in Italia plures tunc fuisse queritur. Hæc autem anno 1437. contingere non poterant. Nam eum sub finem anni 1435. anchoras prima nauigatione in Orientem soluisset: nec nisi 1438. redierit, constat ipsum ibi hæsisse per totum annum 1437. vbi non poterat, vt in Italia, quotidie ferè prædicare, Pontificiæ commissionis laboribus, & itineribus impeditus. Vnde existimo prius illud exemplar vetus, quod in Italia anno 1435. scribi curauit, postea Ierosolymis emendasse, & annum illum 1437. quo id fecit inseruisse. Inde verò hæc coniectura maximè mihi confirmatur, quod priori exemplari, sua, vt videtur, manu hæc inscripserit. *Hæc Epistola contra Martyrum vituperatores alium habet ordinem in Epistolis nostris, & ille seruetur, non iste*. Præterea in eodem ipso priori exemplari charta diligenti studio rasa est, & loco prioris

notæ

notæ diuerſo atramento ſcriptum, triginta, & ſeptem, ita etiam vt cum prioris notæ ſpatium omnia capere non poſſet, illud ſeptem extra lineam in margine poſitum ſit. Neque veroſimile eſt ipſum petijſſe Pontificis mandatum ad opus propoſitum Ieroſolymis ſcribendum, vbi rerum neceſſariarum longe minor erat commoditas, quam in Italia: ſed magis voluiſſe vt anno 1435 in Italia exiſtens, Pontificis, cuius obſequijs iam tum deſtinatus erat, licentia à quotidiano prædicandi munere liberaretur, vt operi tam vtili, & neceſſario conſcribendo vacaret, Pontifici verò, vt in vita dixi, id minimè viſum fuiſſe, cum eodem tempore illum, vt fecit, in Orientem miſſurus erat. Et ego his omnibus perſuaſus hanc Epiſtolam hoc loco inter alias illius anni 1435. collocaui. Cæterum omnia hæreticorum dogmata, & argumenta, quæ tota hac Epiſtolæ parte recenſet, abſolutè refutare voluiſſe cenſendus non eſt, ſed partim refutare, partimque bono ſenſu declarare iuxta ea, quæ in præcedenti nota diximus.

EPISTOLA XXXVIII.

PATRIBVS, ET FRATRIBVS REG. OBS.

ARGVMENTVM.

Accepta præcedenti Epiſtola Pontifex accerſit Albertum, eum in Orientem legaturus, qua de re cum præſens ageret, expoſuit quoſdam Fratrum ſcrupulos de maiorum Cœnobiorum, & argentei templorum ſupellectilis vſu, retulitque Eugenij Pontificis oraculum, quod per hanc Epiſtolam, eiuſdem Pontificis iuſſu, Fratribus intimauit.

Honorandi Patres, Deuotiſſimi Fratres.

POſt deuotam in Chriſto Ieſu commendationem, & cordialem ſalutem, fraterno affectu, vobis intimandum iudicaui, quod Sanctiſſimus Dominus, die 9. Iunij huius anni, dignatus eſt mihi reſpondere circa calices, cruces, paramenta, vtenſilia, & domos ipſas, quæ vel in magnitudine, qualitate, aut opere, videntur ſtatum noſtrum excedere, ait enim, quotidie inter fratres de his diſceptari, idque graui ſuæ Sanctitatis moleſtia, & proinde omninò velle, huiuſmodi ſcrupuloſis quæſtionibus, modum, & finem imponi: iniunxitque mihi, vt eius vobis mentem aperirem, & decretum tranſmitterem. Statuit, vt liberè abſque vllo conſcientiæ reatu fratres noſtræ obſeruantiæ, tam in Cœnobijs, quam in oratorijs, vtantur rebus prædictis, quantumvis videantur excedere in quantitate, qualitate, pretio, aut numero. Inſuper prohibet ne vllo prætextu diſtrahantur, aut deſtruantur, ſed in templorum vſum reſeruentur. Cupit tamen, & iubet, vt deinceps ea dumtaxat admittantur, aut procurentur in domibus acquirendis, quæ noſtro pauperrimo inſtituto congrua iudicabuntur. Hoc oraculo ſatisfactum vult omnium fratrum conſcientijs, diſplicebitque valde, ſi am-

amplius pro huiusmodi terminandis dubijs ad ipsum recurrerint. Hoc cupierunt nostri prædecessores sibi declarari, neque obtinuerunt. Debemus itaque nos lætari, quod adeò placidam ægris conscientijs medelam sua Sanctitas adhibuerit. Insuper omnibus Italiæ Vicarijs potestatem concessit, suos subditos absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, quæ vsque ad illud tempus vel commiserant, vel incurrerant exceptis falsificatione literarum Apostolicarum, homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione membrorum. Valete in Domino Iesu, & pro sua Sanctitate orate. Ex loco S. Spiritus extra Ferrariam 13. Iulij anno 1435.

N O T A.

PRomisi euidenti argumento monstare, quam parum fuisset, pro quo in Deum translato Poggius tam acerbè in totam Religionem inuectus est. Atque id hæc Epistola est: quis enim creder Religiosos tanti zeli paupertatis, vt de magnitudine ampliorum ædium, quæ à Patribus Conuentualibus ad ipsos transibant, & eorum sacra supellectili, adeò anxijs conscientijs Pontifici molesti essent, velle tantum terræ, vel tam amplum palatium, in colle montis Caroli possidere, vt adeo diram à Poggio vituperationem propterea mererentur.

EPISTOLA XXXIX.

RICHARDO TRAMONTENSI.

ARGVMENTVM.

Dum B. Albertus Venetijs suæ Hierosolymitanæ nauigationis necessaria prouideret, desiderabat Richardum inter socios habere, quem ex literis colligo studijs forsitan Patauij tunc incubuisse: Quare per duas Epistolas, quas hic exhibemus, illum hortatus est, vt ad se Venetias veniret, inde cum ipso Hierosolymam profecturus.

SCedula tùa, quæ mihi reddita est, dicit te, nescio quibus nexibus, detineri, ne comes gratissimus huius transmarinæ, & veræ Christianissimæ Hierosolymitanæ peregrinationis, nobis iungaris: verum alius quispiam aliud mihi de te persuasit, non te scilicet causa studij auocari; sed quadam diffidentia grauiorum sumptuum occurrere nequeas. Sed ò te ferreum hominem, qui primo quidem vlla occasione fragilium studiorum possis à feruore tam religiosi arripiendi itineris quouis pacto remitti, vt eunam vagientis Dei infantis conspicere

non

non deſideres, vt terram quam Dei Filius, non ſolum pedum veſtigijs informauit, verùm etiam pretioſi ſanguinis viuificis ſontibus irrigauit, & videre oculis, & oſculari labijs, & fœcundare moribus minimè appetas. Taceo magnos viros Hilarionem, & Hieronymum noſtros, quorum alter noluit eam ante diem extremum penitus non videre, alter verò, poſt multorum annorum longiſſimam moram, noluit in ea non mori. Immò verò noluit alibi mori: vetulas mulierculas tibi obijcio Hyſpanas, Gallicas, Alemannas, ac reliquas totius Chriſtiani orbis, quæ ſummis difficultatibus, laboribus, medijs mortibus à viſendis ſanctis illis locis quotidie prohiberi non poſſunt. Deinde quis non miretur te mecum venturum aliqua futurorum ſumptuum timida cogitatione ventilari. Nolo hic ſcribere quanta bonorum fidelium, ſine mea diligentia, pro complendo itinere ſtipendia nobis ſuppetant. Profectò ſtuperes, & gauderes charitate in nos perſpecta bonorum, ac maximè noſtrorum Ferrarienſium, tam magnorum, quam puſillorum, qui pondus omne dari aſſumpſerunt deſiderio fructus. Non quæro, ait Apoſtolus, datum, ſed requiro fructum. In hac hilaritate dantium, quidquid mihi pro Deo factum eſt, tibi præbitum æſtima, & veni, & rumpe vincula, & tolle moras, non territor penuria impenſarum, ſed prouocor amplitudine gratiarum, non ſolum quas habemus ab ore Summi Pontificis, ſed quas illis in locis à Chriſto Domino expectamus. Frater Iacobus Delphinus ſummopere te rogat, vt venias. Ego verò Vicario Prouinciæ huius pro te ſatisfaciam, & duos pro te vno ei tribuam fratres; ſi conſilium meum feceris, experieris animum erga te meum alium quidem eſſe quam hactenus. Veni ſaltem nos nunquam forſitan redituros vltimò inuiſere, & complecti. Nec verearis morbos, vt dicis, virulentos, quia vbi in tanta populi frequentia viuimus, & tu viues. Si ſoluemus tibi nauem tam longè venienti, quid times non ſoluturos, tam paruo nos ſpatio viſitanti! quid amplius tibi dicam non habeo, niſi quod ſi hoc renuas, quod offerimus, pace tua dixerim, te iterum, atque iterum ferreum hominem appellauerim, qui tanta humanitate minus dulceſcas. Vale à tuo propoſito, & vale. Ex Venetijs 7. Septembris 1435.

EPISTOLA XL.

EIDEM FRATRI RICHARDO.

Expoſui voluntatem tuam *Hieroſolymæ Sanctæ Patri communi* (1) Is procul dubio ægrè fert, te propter neſcio quam ſcientiolam tuam acquirendam, nolle nunc nobiſcum Hieroſolymam pergere, & dicit ſe non poſſe tibi licentiam vllam poſt ſe veniendi dimittere,

tere, sed secum proficiscendi, si vis liberè tribuet. Licentiam ergo aliunde tibi procura. Quod vero dicis de socio vno ex meis tibi pro comite itineris relinquendo, credo te scire non habere me socium, *præter vnum Antonium Cremensem* (2) Restaurus, & Angelus in Tuscia sunt. Laicus quidam ex nostris Bononiæ infirmus remansit, Clericus Hyppolitus, me volente, propter adolescentiam in Italia remanet, quem ad Vicarium huius Prouinciæ modo remitto. Frater Ludouicus Senensis non est mihi socius, nisi huius itineris, sed potius Pater. Et puto te intelligere, non posse me, nec debere de homine veterano, cuncta quæ vellem statuere. Quem ergo socium postulas? satius fecisses nostro consilio, & vocationi tuæ hilariter acquiescere; qui te ad omnia parata occisis vitulis, & altilibus indignum reddidisti, tam iucundè vocatus. Vale, & nos ama. Ex Venetijs 15. Septemb. 1435.

N O T AE.

Nota I.

Hierosolymæ Sanctæ Patri communi. Is fuit Iacobus Delphinus, in superiori Epistola nominatus, quem primum ex obseruantibus Terræ Sanctæ, seu Hierosolymorum Guardianum Eugenius Pontifex anno præcedenti constituit, & in eadem forte naui cum Alberto, & socijs illuc transfretabat.

Nota II.

Non habere me socium præter Antonium Cremensem. Paucos admodum socios hic nominat Albertus, cum alij quadraginta fuisse scribant, sed forte eos inter socios non numerat, qui negotio administri, & subdelegati Commissarij esse debebant: vt ipse hic indicat, de Ludouico Senensi loquens: aut cæteri post scriptam hanc Epistolam illi adiuncti fuerunt, seu potius in secunda missione ad Aethiopes, & Indos. Attendenda etiam sunt verba Epistolæ 44. ad Ducem Burgundiæ. *Adueniens multos mecum fratres adduxi*, quæ à secunda legatione rediens scripsit.

EPISTOLA XLI.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Iniunxit Pontifex Alberto à se discedenti, ne ex Italia abiret, nisi prius ad ipsum scriberet. Iam verò, vt videtur, omnibus ad nauigandum paratis has ad Eugenium rei nuncias dedit, benedictionem petit, & se rem fideliter acturum, & Apostolicæ Sedi sincerè obtemperaturum profitetur.

Me-

MEmor tuæ mihi nullo tempore contemnendæ iussionis, Beatissime Pater, audeo Apostolicas, sed pias aures, meis ineptijs confidentius appellare; dixissem potius importunius molestare, nisi non modo Apostolicas, verùm etiam pias aures præmisissem. Et si enim summo apice loci superioris, idest Apostolici fastigij, paruitatem humilium terreri oporteat; quia tamen celsitudini Christianæ sublimitatis, pietas ipsa comes indubitata ac fidissima vincta est, paruulos tanquam sub alis suis foueri non est iniustum. Licet ergo alterum ab scribendo me arceat, alterum tamen prouocat, præsertim diuncto pondere iussionis tuæ. Accipe igitur me promptulum, vt ita dixerim, paruulum tuum, Beatissime Pater, non solum pro maiestate te reuerentem, nec tantum tibi pro pietate confidentem, verum etiam pro iussione tua tibi obtemperantem: non enim me fugit, quamuis hominem imperitum, quid tu mihi præceperis, cum Florentia à tua Sanctitate discessi, ne scilicet ex Italia abirem, nisi prius meas literas ad tuam sublimitatem dirigerem, recessum meum tibi certius explicantes. Nunc ergo ago, quod iubeor, & peregrinationis meæ ad loca sancta transmarina profectionem tuæ eximerati penè iam cœptam, vel in promptu paratam esse significo. Tuum est autem, qui veri Pastoris Petri successione canonica sublimaris, nostrum iter confirmando tueri, benedicendo proregere, nostræ autem paruitatis erit subiectius, humiliusque parere. Quod quam promptissimè facere, omni quidem tempore cupiam, iube, & experieris, an renitentem pulsaueris? an verò submissè obedientem repereris? Sanè hoc tibi de mea exiguitate, obsecro, persuadeas, nihil mihi esse, ac fore vnquam acceptius, nihil optabilius, quam Sanctæ Sedi Petri, cuius tu vicem tenes, obtemperare. Ac ne in aliquo, vel paruo fidei sensu, contra Apostolica præcepta pereffluamus, nèque aberremus à recto tramite Ecclesiasticæ veritatis; iterum quod diximus repetamus. Vicem Petri te tenente, scripsi vicem, inquam, personæ, non Sedis. Nam & fidem, & sedem, & auctoritatem eandem omninò possides, etsi non personam eandem. Christus Dominus noster misericorditer de Cœlo eidem personæ tuæ Petri præbeat Sanctitatem, sicut illi eandem tribuit largiter potestatem. Opto te prosperè valere, in augumentum Christianæ Religionis, & Cœlestis gratiæ, vt tibi sicut potestate debetur orbis, sic re ipsa cuncti colla submittant. Ex Venetijs 1435.

EPISTOLA XLII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Incolumis Hierosolymam appulit Albertus, & rebus ibi per aliquot menses ritè cognitis, concepit ingentem spem vberrimi fructus, si ipsi per Pontifi-

cis voluntatem vlterius progredi liceret, per quem Florentia discedenti iussum est, vt intra annum in Italiam rediret: ergo vel multorum animas, vt sperabat, Christo lucrari, vel suam pro Christo tradere promptus, has literas, & Antonium Bononiensem latorem, Nuncium ad Eugenium destinauit, per quas petijt, vbilibet Christum, & Catholicam Fidem prædicandi potestatem, & facultates amplissimas, & necessaria adiumenta in ipsis literis explicat.

SPirans inflata Gentilitas, Beatissime Pater, de suorum magnificentia ciuium insolentius gloriata, ad memoriam posterorum scriptum reliquit, Alexandrum illum Macedonem Regum omnium, vel orbis, vel Græciæ, vt asserunt, præstantissimum abiecto cuidam homini præclarissimè respondisse: etsi te non conuenit magna recipere, Regem non decet parua præbere; postulauerat enim ille exigua quædam, cui cum permagna darentur, abnuit; se illis proclamans indignum. De Salomone quoque scriptum sæpius legimus, dedit Deus Salomoni latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris: quod in illo ad amplam largitionem, & magnificam quandam exhibendarum rerum profusionem pertinere veteres censuerunt: quam & ipsam in Reginam illam Saba, sapientiæ miram cultricem, largissimo contulit apparatu, sicut Regum liber testatur, vbi de Salomone apertissimè dicitur. Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba, omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo, exceptis his, quæ vltrò obtulerat, in munere Regio. Si hæc de Regibus, aut in sæculo vanis, aut in vera religione sanis, gloriosè dicuntur: Quid de illo credendum est, penes quem super omnes omninò Reges, & super omnem quoque sub Cœlo potestatem, summa potestas est constituta, qui claues habeat Regni Cœlorum, & à quo ritè ligatos in terris, ac solutos, ligari etiam in Cœlis, ac solui non dubitemus, qui Petri, imo verò qui Christi, et si rectius dicitur, qui Dei personam gerat: neq; hoc in nocte veteris instrumenti, vbi gratiæ parcior charitas, & auara benignitas, & contractior humanitas, angustis, & indignis limitibus terminata imperfectissimè loquitur, & dicit, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, sed in fulgentis diei noui testamenti claritate conspicua, vbi Euangelica sublimitas clamat, *Diligite inimicos vestros, benefacite eis, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Vbi Apostolico culmini dicitur. *Dimitte fratri tuo, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies*, vbi etsi non alterius cuiuslibet rei, charitatis tamen inuicem exhibendæ inuenimur continuò debitores, dicente Apostolo. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, vbi postremò, & de ipso Filio Dei legimus, *qui posuit animam suam pro nobis*, & de Patre scriptum inuenimus. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*. Vt ex his omnibus quanta nobis habenda sit largitas, nosceremus, prodigæ scilicet cuiusdam, & vt ita dicam, intemperantis sine vitio effusionis, ad largitionem amplissimam pertinentis. Quæ cum ita se habeant, Beatissime

Pater,

Pater, nequaquam ambigimus abs te petere, quæ non dico Regem ſæculi, inſtantiſſimè poſtulatum, ſed mundi totius Dominum, quem te iure æquiſſimo credimus, rogatum, aut negare ſit contumeliæ, aut non tribuere auaritiæ videatur. Peto igitur pro auſu, quem mihi in te Chriſtianæ, atque Apoſtolicæ largitatis beneficentia præbet, Vt qui me filium eximiæ Sanctitatis tuæ, cum abs te è Florentia poſtremum diſceſſi, ad redeundum in Italiam viſis poſt annum locis Sanctis coegeras, nunc me liberum facias ad quaſcumque orbis partes, quaſuis admodum remotiſſimas, ſiue fidelium, ſiue infidelium peragrandas, & ad quantumlibet barbaras nationes adeundas, & gentes extraniores conueniendas, eis vndecumque liberè ex noſtra Religione aſſumptis adiutoribus meis, & illis fratribus comitibus fretus, qui mihi negotio vel ſeminandi latius verbi Dei, vel ampliandæ, confitendæque fidei, vel dilatandæ paſſim gloriæ Saluatoris, vel publicandi diffuſius nominis Chriſti, aut vtiles, aut idonei, aut neceſſarij videbuntur: huic vero meæ, quantum arbitror, religioſæ petitioni illæ, ſi placet, adijciantur cautelarum conditiones, quas harum noſtrarum baiulus, mihi Pater, Ludouicus Bononienſis, cum quo mihi Religio noſtra communis eſt, vita comite, ad culmen tuæ Apoſtolicæ celſitudinis diligentius feret. Homo, verè dixerim, rectus corde, & in commiſſo fidelis, quo in integritate iuſtæ, & amicæ conuerſationis nemo eſt mihi notior, &, quod mihi magis in eo placet, qui ſit ab aſſentationis peſte, & hypocriſeos fictione remotior: hic cum per nouam de locis ſanctis prouidentiæ tuæ prouiſionem officio curandæ fratrum familiæ Hieroſolymis conſtitutæ nuperrimè ceſſerit, cui illum multos iam annos noſter ordo præfecerat, nunc ad Sanctitatis tuæ veſtigia oſculanda ſe confert, quem tibi commendare ſuperfluum puto, qui vltro rectorum hominum notitiam expetas, & bonorum ſemper contubernio delecteris. Tantum humanitatem ſublimitatis tuæ humilius obſecro, vt quæ te iuſtiſſimè poſtularit, vlla ei ratione non neges, præſertim quæ ſibi publica vtilitas vendicat, vt ſe habet, meæ paruitatis, mea quidem ſententia, poſtulatio; cui ſi animum inclinabis, feret, arbitror, tua nobis ſatisfactio fructus vberrimos. Spes enim quædam pergrandis ingentium frugum, & magni cuiuſdam futuri in externis regionibus fructus neſcio quo pacto, ſublucens in animo mihi ſuborta eſt, quæ me ab Italia reuocet, arceat, atque propellat: Vbi tot quotidie prædicantium labor, vtinam non inaniter, perſtrepit, vt ad nationes longe diſtantes proficiſci vehementius cohortetur. Vnde nullus Eccleſiæ Catholicæ, ac Fidei Orthodoxæ Diuinæ ſationis fructus accreſcit, deficientibus qui otioſos conducant, & fortaſſe, quod triſtius eſt, qui Dominum meſſis admodum rogent, vt regiones fieri albas ad meſſem, aut operarios in illam, tanquam miniſtros fideles, & idoneos, mitti velit: Hæc ipſa verò quæ flagito, à meæ Religionis Maioribus cumulo mihi hactenus fuiſſe conceſſa, tuæ eximietati aliquando coram expoſui, in quibus nunc tibi moleſtus non eſſem, niſi illa tua authoritas verbo me vrgens, poſt annum ad redeundum

in Italiam coegisset. Oro igitur, aut eadem pro gloria Catholicæ fidei inter Paganos, Hæreticos, & Schismaticos commoranti, quasi inter Scorpiones, & colubros incedenti ampliora mihi concedi, aut me ad veteres omnes mei ordinis siue licentias, siue permissiones, siue præcepta remissum, ab ea cohibitione, quam me in Italiam redire iussisti, vt auctior in alienis Prouincijs Diuinæ magnificentiæ honos inde perueniat, tua concessione laxari. Verum ne apud tuam Sanctitatem sim garrulus, impudens, & ineptus, vno tantum præclaro exemplo de magnificentia Christiani Principis exposito, finem facio. Theodosium illum Christianorum Principem nobilissimum, atque pijssimum accepimus, Maioribus nostris clarissimis referentibus, dicere solitum, illum se diem penitus perdidisse, in quo nihil beneficentiæ præbuisset: quamuis hoc de Tito, Vespasiani filio, nonnulli certius arbitrentur: quem delitias humani generis appellauit antiquitas. Opto, te Beatissime Pater, hoc ipsum de tua Sanctitate erga me arbitrari: vt vel sic tandem postulata concedas, nec te moueat petentis indignitas, aut postulatæ gratiæ magnitudo. Recordare potius huius rudis Epistolæ nostræ principium, vbi etiam infideles, & Christi veritatis ignaros diximus in suis Regibus tanquam præclarissimum statuisse, si pusilla, & prope nulla rogati, maxima tribuissent, nec quid mereatur is, qui aliquid postulat, sed quid illum deceat, qui daturus est, eos debere conspicere. Ego vero interim Petri fiduciam reminiscar, qui fragili pro Christo cymba relicta, non est veritus quod magnis donandus esset muneribus, à Domino liberius sciscitari. Ex Sancta Hierusalem Kal. Martijs 1435.

EPISTOLA XLIII.

SCIPIONI FERRARIEN. EPISCOPO MVTINEN. (1)

ARGVMENTVM.

Vt faciliorem, frequentioremque ad Eugenium Pontificem Antonius haberet accessum, per hanc Epistolam ipsum, eique commissa commendat. Scipioni in Aula Pontificia potenti, sed quia familiaris illi fuit, ipsum imprimis literario ludo à Scipionis Africani, Ethnici hominis, rerum gestarum oblectatione, ipsoque homine laudando dehortatur, cum quo nihil commune præter nomen habuit. Qua occasione in eos inuehitur, qui eloquentia, & eruditione abusi, se totos inani gentilium rerum studio dedunt, & eloquentiam suam, nacta minima occasione, in se ipsis mutuo lacessendis, mutuisque conuicijs, & obscœnis argumentis exercent. Monstrat quidquid in Duce Africano virtutis censebatur, id longè præstantius in Machabæis, in Dauide, in Salomone, in Patriarcha Iosepho, in Prophetis, in Apostolis, in Martyribus reperiri; quorum acta magis, quam ina-

inanem Ethnicorum damnatorum hominum gloriam legere, loqui, ſcribere, & imitari Chriſtianam eruditionem decet, Chriſtianas virtutes ſolidioris gloriæ, & honeſtatis eſſe Amicos, denique nominatim ſalutat, ad quos ob feſtinantiam latoris ſcribere non potuit, & prolixum reſponſum â Scipione poſtulat.

CVm in locis Sanctis, & transmarinis munere Christi plurimum valeo, non poſſum Scipionis mei, etiam in Caluario orans monte, vbi à Saluatore noſtro Martyrum vexilla, ſimul & Regia trophæa erecta ſunt, non recordari. Nec mihi parua videtur res, cum Scipio in mentem venit: te dico, meum quidem Chriſtianum Scipionem, haud verò illum Africanum, cuius te tantum geſta delectant, quam autem id ob cauſam, & rectène an perperam ipſe videris: fortaſſe quod cum eo tibi, qui à ſuis, & ſi non à noſtris tantus eſt habitus, idem nomen obuenit, quamuis diſpar cognomen. Verum vtrum ſit præſtantius, tuumne, an illius, poſt videbimus. Interim hoc mihi perſuadetur, nulla te potiore ratione ad illum ita vehementer affici, atque tanta in illius laudibus te, nolo dicere inaniter, tempora terere, & vt ab alijs terantur, ac ſi melius dicitur conterantur, ſedulò agere te, ſi tamen is es, qui erga illum hactenus extitiſti, niſi quia idem voceris, illiuſque tibi nomen, & laudi eſſe, ac fore, & ornamento putes. Nam vt pace tua dixerim, quæ alia ratio eſſe poteſt præter ſtultiſſimam cur tantum illi ſemper tribueris, niſi quædam ſimillimi nominis oblectatio? Quæ & ipſa qualis ſit, & quam deceat Chriſtianum, omitto.

Reſpondebis, indolem te potius ac virtutem animi, & ingentia illius facta diligere. *Ita verò, atq; rectiſſimè* (2) quaſi pagani hominis res geſtæ, & qui pecora, & monſtra pro Deo coluerit, tam amplæ, tam dignæ, ac tantæ habendæ ſint, vt pro eiuſmodi infidelium, & per hoc in tartaro perditorum ingentiſſimis, & clariſſimis, rectius fortaſſe dicerem, ventoſiſſimis, & iactatione Diabolica tumidiſſimis, turgidiſſimis, elatiſſimis geſtis rebus, Chriſtiani quidam contra ſe inuicem, & in Italia eloquentes, præter offenſam Dei noſtri, ſummo cum dedecore digladientur, & pertonent. Tacco læſionem exiſtimationis eorum, taceo exempla ad poſteros, & præſentes tranſmiſſa, atque relicta, nacta perquam puſilla occaſione ſe inuicem laceſſendi, atque grauiſſimis, ne dicam *immundiſſimis conuicijs* (3) inſectandi: quorum profectò veſaniam ita ſæpe abominatus ſum, ita exhorrui, ita grauiter, & moleſtiſſimè tuli, vt penè dixerim emori maluiſſem, quam in illa ſcripta, ſiue inania, ſiue maledica, ſiue crudelia, & (quod peſtilentiſſimæ iacturæ eſt, ac nefandæ corruptionis) turpia, fetulentia, obſcœna, vel forte incidere. O ingenia! ò eruditionem! ò indolem! ò exercitationem præclaram! ò denique tempus non Philoſopho, ne dum Chriſtiano otio dignum.

Noſtra omnia præclara ſunt, quid externa delectant? ſed religio, ais, me in illo delectat, cæteriſq;id genus hominibus mihi placet magis. Non eſt Religio ſacrilegium. Amor Reipublicæ?

blicæ ? Machabæi vincunt; quorum Eleazarus per media hostium agmina veterana, armatum regium Elephantem solus appetijt, nec timuit, cadente super se bestia trucidata, interimi, *vt liberaret*, ait Scriptura, *populum, & acquireret sibi nomen æternum*. Fortitudo ? quis Dauid fortior ? cui dictum in laude eius est. *Tu vnus pro decem millibus computaris*. Sapientia ? Salomon præstat. Noster Ioseph castimonia superat. Prophetæ veritatis notitia antecellunt. Rerum contemptu Apostoli vincunt; mortis victoria Martyres superiores existunt Sed immoror multis, cum res in aperto sit.

Ego verò iam vocor à Tabellario, tanta celeritate; quæ dictaueram, postulante, vt verè, mi Scipio, reuisendi, ac corrigendi, ac transcribendi, quæ primum assumpto calamo dictaui, tempus mihi non suppetat. Itaque si impolita est dictio, si subrusticè etiam ipsis apicibus scripta, festinantiæ tribues portitoris, qui me nimium vrgens, rescribere non permisit: verum quid ago ? placandus est mihi Scipio meus, iam mihi forsitan subiratus, contra Scipionem non meum, sed neque velim suum, acerbius, vt æstimat, disputanti: at verò fieri non potest, vt mihi Christiano, & amicissimo homini, pro infideli, & damnato succenseat. Quamobrem neque mihi restat conciliandus, qui de Paganorum conuicijs se læsum non putat, qui de me, vt ardentius loquar, est optimè meritus, vel ego de illo: & si non altero beneficio, saltem amore dumtaxat, quem erga illum sincerissimum gero, quem his paucis ideò admonendum putaui, vt ad Diuina potius inardescat.

Scipionem te igitur meum, non illum sanè Africanum, de quo spirans inflata Gentilitas, tanta, quamuis mortalia, atque inania iactitat; sed quod est longè incomparabiliter excellentius, Christianum imploro, non Romæ natum, sed Romana fide renatum, nec ob Rempublicam sæculi tutandam, sed ob religionem pietatis colendam, præstantius cognomen Christianum sortitum; non pulso Italia Hannibale, sed Diabolo ex animo profligato; nec domita Africa, sed carne subiecta; non denique forti animo patria ingrata contempta, sed mente constantiore, sçculo ipso nobis infensius obsistente calcato. Hçc est enim mi Scipio gloria solidior, hi prçstantiores tituli, hçc honestiora cognomina, hi nobis gloriosores triumphi, hæc gesta Christiani pectoris fortiora.

Te te, inquam, Scipionem meum, quem talem, vt dixi, Christianum, & credo, & opto, & spero, instantius imploro, rogo, oro, atque exoro, vt causam meam, quæ Christianæ Reipublicæ est, apud Sanctissimum Christi Pontificem Eugenium Papam, & mundi Dominum, diligentius agas, quam ad te perferet *Ludouicus Bononien.* (4) harum baiulus literarum, ætate Pater, cum quo mihi religio nostra communis est. Tibi verò, vt asserit, multo penè quam mihi familiarior. Quo fit, vt illum tibi commendare superfluum sit. Accedit autem ad Sancti Patris, & Pontificis Summi humiliter osculanda vestigia. Hactenus his in locis Sanctis, multos iam annos curandæ fratrum familiæ, maior Hierosolymis constitutus, quædam autem postulaturus, quæ mihi concedi à summo apice

Apo-

Apoſtolatus depoſco. Peto, mi frater, coneris conſpectui Beatiſſimi Patris illum inferre, quo tua cura, & tibi amicorum induſtria, non ſemel cum illo conferat, vt faciliori aditu, quæ poſtulo conſequatur.

Anguſtia temporis facit, vt amicis ſcribere nequeam. Meo igitur nomine, non graueris *Nicolaum Nicolum* (5) ac Poggium Floren. ſalutare. Leonello autem ex mea vel perſona, vel nomine aliquid exarabis, ſalutans præceptorem meum Guarinum Veronen. Franciſcum Mareſcalcum, Auguſtinum, nolo dicere Villanum, quamuis de Villa, ſed verè Vrbanum, Philippum etiam Bendedeum, ac reliquos omnes. Si qui verò ſint prælatorum, qui ad rem noſtram adiumento tibi videantur futuri, fac vt ſapis. Nolim autem abs te æquo animo tolerare, niſi tuam longiſſimam Epiſtolam ad me miſeris: ecce ſcripſi diutius quam rogaſti me, ſi non te fallit obliuio, & quod nolui tibi polliceri, roganti reddo, ſcio certiſsimè incultam Epiſtolam hilariter, & gratiſsimo animo acceptanti. Vale ex Sancto Sepulchro Domini Noſtri Ieſu Chriſti 23. *Martij* 1435. (6)

N O T AE.

Nota I.

Scipioni Ferrarien. Epiſcopo Mutinenſi. Hæc ſua manu ſcripſit Vvaddingus, in margine authographi noſtri, quod non ita intelligendum eſt, vt fuerit Epiſcopus, quando Albertus hanc Epiſtolam ad illum dedit 23. Martij, cum Vghellus dicat eum fuiſſe creatum Epiſcopum 30. Octobris eiuſdem anni, qui eum vocat Scipionem de Mainentibus Ferrarienſem, & à doctrina, & maxima eruditione laudat, profertque Epitaphium ex templo Ferrarienſi S. Franciſci à ſuis fratribus ipſi poſitum, in quo doctiſſimus, prudentiſſimus, optimus, & vir rariſſimus appellatur: Quibus dotibus procul dubio meruit, vt etiam ante adeptum Epiſcopatum, præcipuum aliquem locum in Eugenij Pontificis aula habuerit, quod ex his Alberti ad eum literis, non obſcurè colligitur: & ex alijs ad eundem de ambitu dignitatis, quas poſtea dabimus, apparet ipſum poſt adeptum Epiſcopatum ſingulari confidentia apud Eugenium valuiſſe.

Nota II.

Ita verò, atque rectiſſimè. Per Ironiam ſic dixiſſe ſequentia docent, & quidem adeò perpetuus eſt Albertus inſectator eorum, qui in Gentilium rebus æſtimandis, laudandis, & imitandis nimij videntur, vt præter hæc, & alia, quæ alibi notauimus, in Epiſtola ſuperiori ad Eugenium Pontificem timuerit Martyres noſtros, heroes appellare: ſi inquit, hoc nomen Chriſtianæ diſciplinæ ſanitas, & ſobrietas pateretur: Si enim eloquentiam quærimus, non deſunt nobis Chryſoſtomi, & Chryſologi multi tam veteres, quam noui. Si virtutum exempla, quæ in Ethnicis, vana, & imperfecta fuerunt, in diſciplinæ noſtræ libris innumera, ſumma, ſancta, & imitatione digniſſima reperiuntur. Nec ea Sancti Patres ex eis nobis aliquando deptomunt, vt ipſos gentiles imitemur, ſed vt pudeat nos pro Cœleſti, & æterno Regno non ſatis decertare, vel quantum illi faciebant pro terrena, & momentanea, vel pro ipſa naturali honeſtate virtutis, vel pro leui aura laudis, & va-

& vanæ gloriæ. Chryſoſt. hom. 17ᵃ in Matth. *Recogitate*, inquit, *Græcorum Philoſophos, & tunc ſcietis, quanto ſupplicio ſimus digni, qui leges Diuinas transgredimur, quando illi quidem pro deſtruenda deformitate humana tam multa fecerunt. Vos autem neque idem ſtudium tribuiſtis pro cæleſtibus.* Et S. Auguſtinus de Ciuit. Dei cap: 18. *Nobis proponuntur neceſſariæ commonitionis exempla* (Gentilium) *vt ſi virtutes, quarum iſtæ vtcumque ſunt ſimiles, quas ipſi pro Ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima Ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur. Quod ſi ea, ad hoc ipſum nobis neceſſaria, vel vtilia dixeris, caſtius tamen, tutius ex ipſorum Sanctorum Patrum monumentis, tanquam ex puris, decolatiſque fontibus hauriuntur, quam Ethnicorum libris, in quibus multa vanitate, multo vitiorum luto, & fœditate permixta ſunt.*

Nota III.

Immundiſſimis conuicijs, & infra *Turpia, fœtulenta, obſcœna*. Vide quæ diximus in vita Alberti, & in prima nota ad eius Epiſtolam ad Nicolaum Nicolum.

Nota IV.

Ludouicus Bononienſis. Hic non Magiſter Conuentualis, vt ſcripſit Rodulphus Toſſinianenſis, ſed Reg. Obſ. Frater laicus fuit, & ad magna negotia tractanda idoneus, & vltimus ex illis ſex, quos in vita Alberti diximus fuiſſe ſegregatos ad obſequia Pontificis, nec ſine fructu: multas enim graues legationes, & repetitas obiuit ad Principes Orientales pro diuerſis Pontificibus, & pro Duce Burgundiæ, ad Regem Perſiæ, quos qui voluerit in indice noſtræ Epitomes, vnico intuitu ſub ipſius nomine videre poterit. Quod autem Albertus in hac Epiſtola dicat ipſum in locis Sanctis, multos annos curandæ fratrum familiæ maiorem fuiſſe, hoc intelligo, quod Hieroſolymis Guardianus fuerit, quod fratribus laicis ſingularis in multis Cœnobijs induſtriæ concedi ſolet. Eadem enim phraſi vtitur inferius in Epiſtola ad Chriſtophorum Epiſcopum Ariminenſem, vbi de Nicolai Oſmenſis Guardianatu Hieroſolymitano diſſerit.

Nota V.

Nicolaum Nicoli. Hinc denuò confirmatur quod diximus in Scholio ad Epiſt. 25. Si enim verum eſt quod Pocciantius refert Nicolaum obijſſe anno 1430. pridie Non. Februarij quomodo iam ſexto poſt anno Albertus eum ex ſe ſalutari iubet? Nihil melius occurrit, quam Pocciantij notas corruptas eſſe, & pro anno 1430. imprimi debuiſſe 1436. quo ſi Nicolaus obijt Florentiæ pridie Non. Februarij facile id ignorare poterat Albertus Hieroſolymis, eodem anno ſcribens die 23. Martij eiuſdem anni. Quod verò Nicolaum, & Poggium ſalutare, Leonello autem, nempe Eſtenſi, ſcribere ſalutando Mareſcalcum, & Bendedeum, Guarinum, & Villanum roget, confirmat mihi imprimis ſuſpicionem, quam ſuperius expreſſi, hos nempe Ferrariæ fuiſſe, nam ibi eos Leonellus, per Scipionis literas rogatus, ex Alberto ſalutare poterat. Deinde viros nobiles fuiſſe, qui per Principem ſalutari iuberentur, Scipionem demum tunc Florentiæ cum Pont. fuiſſe, vbi Nicolum, & Poggium oretenus ſalutare poſſet.

Nota VI.

23. *Martij* 1435. Manifeſtus alicui videbitur error huius chronologiæ: nam cum conſtet Albertum menſe Iunij huius anni in Italia cum Pontifice tractaſſe de profeſſione Hieroſolymitana, & menſe Iulij Ferraria ad ordinis Patres, & menſe ſeptembri ad alios Venetijs Scripſiſſe, priuſquam proficiſceretur, non poterat fieri, vt ei uſdem anni menſe Martio Hieroſolymis, ad Scipionem ſcripſiſſet. Vnde Vvaddingus hanc Epiſtolam anno 1436. ſcriptam refert. Et ſic habetur in codice Capiſtranenſi: ſed attendenda eſt diſtinctio ſtyli veteris, & noui, quam ſæpius ante notauimus.

EPI-

EPISTOLA XLIV.

DVCI BVRGVNDIÆ.

ARGVMENTVM.

Is fuit Philippus Bonus Princeps eo tempore Christianissimus, & potentissimus, qui loca sacra Hierosolymorum frequentibus, copiosis, & opportunis eleemosynis sustentabat. Hæc ergo Alberti ad ipsum Epistola, tota, in actione gratiarum, & bonis apprecationibus versatur.

SI te putarem, Serenissime Princeps, pro tuis eleemosynis humana præmia præstolari, quantum salua religione fieri posset, humanas tibi laudes referre conarer. Verum quia te magis arbitror, retributorem Deum in cunctis tuis operibus, vt Christianos Principes decet, omni mente percupere, vanis mortalium adulationum assentationibus supersedeo: reddens tibi potius vices gratificationis, quas Sancta Scriptura, Sanctarum omnium actionum doctrix, atque hortatrix, per Apostolica ora misericordibus pollicetur; quam perditas aucupationes inanium rumusculorum, quas lingua quæstuaria, & palpans deceptio falsarum laudationum gloriosis sæculi hominibus frequentius turgida parere, ructareque solet. Confero itaque me, quod satius existimo, ad Diuinas literas, documentis omnibus grauiores, & per eas verè integrum, ac excellens laudis genus, tibi tutius exhibeo. Nam si Apostoli, quibus à fidelibus, omnia quæ voluissent, pro sua dignitate meritò debebantur Christianos illos tanto præconio extulerunt, qui bona sua eis impertiuissent, quibus erant cuncta communia, & inter quos, quamuis nemo esset, qui diceret aliquid esse suum, non erat tamen quispiam indigens inter eos, quia distribuebatur vnicuique, prout opus erat: quæro, qua laude dignus sit, qui suas diuitias tribuit tanto indignioribus (vt secundum mundi superbiam eos appellem) quanto pro Christo minoribus, & tanto egentioribus, quanto pro Christo pauperioribus? maximè cum illi, de quibus Scriptura loquitur, inter multos Christianos versarentur: nos inter plurimos Barbaros habitemus, illis quoque fideles promptè tribuerent, nobis infideles promptius auferant. Adde quia tunc Diuinus ignis tolerantiores illius temporis fideles procul dubio faciebat, licet à nullis vitæ adminicula præberentur. Ex quo fit, vt maioris sit meriti, imbecillioribus subuenire: sed neque illud parui momenti mihi videri solet, quod Paulus, & Barnabas, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini Nostri Iesu Christi, alias Ecclesias pro sustentandis fidelibus, qui Hierosolymis habitabant expoliauerunt, tu sponte tribuisti. Illis, & multi, & hilariter, & non parcè seminabant,

Mm ne

ne parcè meterent; nobis rari, rariùs dant sua suffragia, præter te vnum, præsertim in tanta copia: ego itaque nuper huc nouus officialis adueniens, multos mecum fratres adduxi, sed multo plures inueni, quibus penè omnibus (vt eorum verbis vtar) abeundum ex hoc loco erat, nisi reperissem sacrum locum Montis Syon, pijs eleemosynis tuis, à debitorum angustijs liberatum, quibus antea diutius premebatur. Insuper, & quæ nunc misisti amplissima pecuniarum subsidia, fidelis tuus Nuntius mihi fideliter reddidit. Pro quibus eximietati tuæ, cum omnibus fratribus meis, istis in locis degentibus, gratias agens, munus orationum nostrarum fideliter, libenter, ac liberaliter offero, optans te in Domino semper bene valere, vt non solum te aliquando in hac Sancta terra videamus, pro deuotione fidei vestigia Christi lacrymosius osculantem, verum etiam, ac multò magis, si ita Deus tandem aliquando statuerit, pro zelo augendæ Christianæ Religionis, felicius prælianrem, pacato in se prius, ac tranquillato nobilissimo illo Regno Francorum. Quod quidem quanta pro tuenda fidei, atque Ecclesiæ iactura sæpius facere solitum accepimus; magis quam vacare domesticis litibus, ac ciuilibus, immo plusquam ciuilibus bellis, de quibus si dicere velim, me tempus deficeret. Diuina te semper tueatur clementia, Domine præstantissime, ac merito illustris Princeps. Vale ex Sancto Monte Syon, pridie Nonas Octobres 1436.

EPISTOLA XLV.

FRATRIBVS ANTONIO, & LVCÆ ORD. MINOR. pro Christo Hierosolymis in Carcere constitutis.

ARGVMENTVM.

Hos duos Religiosos, in carcere pro Christo constitutos consolatur, & ad Martyrium constanter, fortiterque consummandum fortiter, & feruenter cohortatur, se ipsum, si opus esset, cruciatuum, & mortis pro Christo tolerandæ socium offerens.

Scriptum est, dilectissimi Fratres, spes quæ differtur affligit animam, lignum autem vitæ, desiderium veniens. Afflixit vos diutius, & vehementer excruciauit ardor pro Christo, & desiderium patiendi. Nunc quia desiderium veniens delectat animam, consequens est vt quantum pro Christo patimini, non quidem vt homicidæ, sed vt Christiani, vos ista res tanquam lignum vitæ delectet: propterea quod nihil est beatius, quam pro Christo diuturno tempore cruciari, pro quo passi contumeliam, veluti magna gloria digni habiti, læti, & alacres à con-

conſpectu Concilij ibant Apoſtoli gaudentes. Ecce habetis quod tanto deſiderio à Domino poſtulaſtis: nunc ſequitur, vt gaudeatis, alioquin aut præſenti rei, quam concupiſtis, contumeliam facitis, tanquam quæ non ſit, vt credebatis, felicior, aut vos imprudentiæ arguemini, quia rem abſentem, charam, & pretioſam, præſentem verò vilem, atque abiectam exiſtimaueritis: ſed abſit à vobis fortiſſimi Chriſti milites, vt vel parua cogitatio horum criminum vos conturbet: quia tantum prius exiſtimaſtis fructum Martyrij, vt pro illo carpendo, *impetum in hoſtilia caſtra fortiter, & animo ingenti feceritis* (1) & arreptum, ne diriperetur à vobis, patienter, & fortiter reſtitiſtis. Video & gratulor dilectiſſimi Fratres, quorum apprehenſam beſtiam, & PſeudoProphetam, ideſt mundum, & immundiſſimum Mahometum, et ſi vobis pertinacius reſiſtentes ambos, dextra leuaque tenetis, & Serpentem veterem, quem Iſaias Leuiathan, Iob Behemoth appellat, impetu feruoris Chriſti, vobis crudeliter repugnantem fugatis, quippe qui & Diabolum, licet antiqua ſuperbia furibundum, & aduerſantem Sathanam, qui de Cœlo magnus Draco, & terrificus cecidit, Dominus Ieſus iuxta Apoſtoli pollicitationem, ſub veſtris Sanctis pedibus velociter conteret, ò diem illam felicem, ò beatiſſimam horam, qua vos tundi, cædi, trahi catenatos, & nudos contigit, *ea præſertim via* (2) qua Chriſtus Crucis onere pergrauatus inceſſit. Ibatis, vt ferunt, mites, pacifici, capite demiſſo non quidem pauore, non verecundia, ſed Chriſti agni imitatione, nihil aliud voce, quam mutua, & fraterna cohortatione, Ieſum dulciter reſonantes. Agite ergo fiducialiter, quod fortiter cœpiſtis. Tantum à vobis abſit vt mutata Chriſti confeſſione, ſupplicio liberemini. Cauete humanas perſuaſiones ne tacentibus vobis iniuriam blaſphemantium Chriſtum, id eſt negantium, illum Deum, & Redemptorem, & volentibus impijs, veſtram, ideſt Martyrum carnem mercari, vos non Martyres, ſed mortales, atque carnales, in veſtram contumeliam, & Chriſti opprobrium, & in velamen oculorum Chriſtianorum, vel ſani ad nos, vel ſanandi dumtaxat corpore, ſed mente abiecti vllatenus reuehamini. Attendite vobis ne paratam coronam puſillo animo amittatis, nec vos terreat, quod nolentibus, fragilibus, & infirmis hoc feciſtis, quia iuſto, ait Apoſtolus, lex poſita non eſt, & quid iuſtius illis, qui vltro pro Chriſto mortem conſtantiſſimè expetunt? Renouantur in vobis antiqua miracula, non putabimini vos talia auſuros, nec à me quidem tantum negotium aggreſſuros, viciſtis opinionem, vincite mortem, & poſſidetis coronam. Et quamuis non dubium vobis adeſſe cœleſtia remedia, tamen admoneo vos fratres, & hortor, vt agones, & victorias Martyrum vtriuſque ſexus vobis ante oculos proponatis. Quod ſi viua præſentia meæ paruitatis vobis neceſſaria eſt; *ego ad vos, mundo reſiſtente, medios inter gladios conuolo* (3) non enim me vetat metus, ſed ne incenſo iam igni qui vel carnales, vel impios cruciat, oleum adiecisse blaſphemer, maximè vobis fortiter, & inconcuſſo corde perſeuerantibus. Valete dilectiſſimi. Chriſti pietas ſocium me vobis faciat

Mm 2 pœnæ

pœnæ, quem fecit comitem desiderij. Valete ex Sancta Domini Bethleem 10. Octobris 1436.

N O T AE.

Nota I.

Impetum in hostilia castra fortiter, & animo ingenti feceritis. Hoc est, vt explicat pro carpendo fructu Martyrij, vnde apparet istos Religiosos, Martyrij desiderio, fidem Christi Saracenis prædicasse: idque dissuadentibus alijs, vt in hac Epistola indicatur illis verbis: *Nec vos terreat, quod nolentibus fragilibus, & infirmis hoc fecistis.* Sed Albertus ipsorum patientia confirmatus, id Spiritus Sancti instinctui refert, illis verbis Apostoli: *Iusto lex posita non est*: & iterum. *Renouantur in vobis antiqua miracula*, quasi dicere vellet aliorum qui se vltro Martyrio exposuerunt, vide si placet ipsius Epistolam 37. contra vituperatores Martyrum, & nostras ibi notas. Et notanda sunt alia verba huius Epistolæ, *vicissis opinionem*, idest vt existimo eorum, qui temerè negant, vllum esse Martyrem, qui vltro se obijcit periculo patiendi Martyrium, *vincite mortem*, idest constanrer pergite, vt constet non temerè vos obiecisse, *& possidetis coronam.*

Nota II.

Ea præsertim via. Est Hierosolymæ vna, quæ via Crucis vocatur, per quam nimirum Christus Crucem suam in Caluarium baiulauit, & per quam, vt videtur, isti fratres bono omine ad carceres tracti fuerunt.

Nota III.

Ego ad vos, mundo resistente, medios inter gladios conuolo. Tum hinc sanè, tum ex ijs, quæ scripsit Albertus contra vituperarores Martyrum, tum ijs quæ Cayri ipsi acciderant, tum ex amplissima illa infidelibus prædicandi facultate, quam à Pontifice petijt, manifestum est quam ardenter ipse Martyrium sibi cupiuerit, sed æquè quam vbique prudenter: nam neque hic sine necessitate se obtulit, cauens etiam, ne accenso per istos fratres igni oleum inijciat, nec apud Pontificem defendit quoscumque se temerè morti obijcientes. Neque Cayri carceribus, nisi ad Martyrium se extrahi permisisset, nisi persuasus causam Christianitaris, & Eugenij Pontificis propositum ipsius Martyrio irritum iri: quod ipse tunc superstes postea feliciter perfecit, & tamen iusti Martyrij desiderio, his verbis expresso claudit Epistolam. *Inter catenas, & fustes mei nominis mementote, vt Christi pietas socium me vobis faciat pœna, quem fecit comitem desiderij.*

EPISTOLA XLVI.

FRANCISCO MARESCALCO,

ARGVMENTVM.

Mense Septembri anno 1435. *Venetijs Hierosolymam abiens Albertus, tunc vltimas in Europa ad Eugenium Pontificem dedit Mense Septembri, nunc*

Vene-

Venetias redux anno 1437. *primas has ad Mareſcalcum inde dedit, gratias agens quod iſte omnium primus reduci, per literas reditum gratulatus fuerit: cætera familiaria ſunt.*

VEteris, & quod eſt nobis antiquius, Chriſtianæ amicitiæ noſtræ ſinceritas, quanta erga nos ſoliditate ſtabilis, apud te nec minus fortis permaneat, Franciſce chariſſime, etſi ſatis mea de te fides, atque opinio me facile adducebat, hoc tamen argumento ſum factus certior, qui primas omnium ad me, ex Sanctis, & transmarinis locis nuperrimè redeuntem, diligentiſſimè ſcripſeris. Hoc non ſolum reliquos amicos, quod pace eorum dixerim, ſed me ipſum, qui poſterior ſcribo, diligentiore feſtinatione ſcribendi, & celeriore ſalutatione congratulandi, præueniſti, viciſti, ſuperaſti. Quo in officio, cum alios non accuſem, quibus forte poſt te, reditus noſter eſt agnitus, te ſummè laudo, & amplector, & in media hac Epiſtola, tamquam è corde medio reſaluto. Si tamen hoc verbum Ciceroniani illi tui, etſi non tui, ſaltem huius tempeſtatis admittant, qui de ſententijs non curantes, verba tantum expolita perquirunt, quos vt ſcis, ſoleo ludens, non quidem Rhetoricos, ſed *Brethonicos* (1) nominare. De quorum alternis, & mutuis digladiationibus, pro abiectis, & quod eſt admodum triſtius, pro perditis, & fœdis tam cauſis quam hominibus, tanta ad me nuper à grauiſſimis viris perlata ſunt, vt penè dixerim, non modò non rediſſe, ſed potius emori, quam talia audiſſe maluerim. ſed hæc alio tempore deploranda ſeruentur. Te verò vt dicere cæperam, reſaluto, & gratias ago amori in me tuo. Me autem negligentiæ in ſcribendo accuſo, quamuis noſtræ occupationes in cauſa fuerint, & ſpes quædam ad vos citius proficiſcendi, quam paulo dilatiorem effecit, & diligentia *huius Sancti Antiſtitis* (2) & amor ciuium huius egregiæ Vrbis Venetiarum, quibus niſi primum iuxta Apoſtolum aliquid gratiæ ſpiritualis impertiar, *me abire non patiuntur* (3) Quod autem Chriſto propitio ex tranſmarinis locis, atque ex Sancta Hieroſolyma, Italicis oris, tam inuiti, quam inſperati, alias deſperati, quod ad reliquos attinet, redditi ſumus, quæ res tibi valde iucunda eſt, quamuis multa in hanc cauſam ſcribere vellem, nihil aliud nunc dico, quam Deo gratias. Quod verò Scipionem noſtrum ſcribis factum Epiſcopum, quamuis paulo ante audiueram, ſiquidem, vt in laudem veterum Iſrael aut Iudæ Regum Scriptura commendat, per vias Dauid toto, ac recto corde ambulaturus eſt, dicere non poſſum, quantum exulto, ſin verò quod Deus vnus, verus, optimus, maximus, & ſolus auertat, via illi Achab impijſſimi Iſraelitici Regis, & via lata multorum magis placuerit, quantum eum diligo, tantum pro illo contriſtor & paueo. Niſi me modo labor dicendi ad populum auocaret longiorem Epiſtolam texerem, quod te certè ſcio percupere. Ex cauſa ergo da veniam breuitati, nihil dico de eloquentia: cuius ſi quam partem nos hactenus habere exiſtimaſti, debes Saracenica barbarie non parum arbitrari obliteratam. Commenda me omnibus, vt libet, & vt

ratio

ratio amicorum habenda suggesserit, atque imprimis Domino Episcopo, illustri Leonello, & *praeceptori communi* (4) Caeteri verò nominatos se putent, atque id amicissimè. Longior enim euaderet haec Epistola, si omnium, quos diligo, nomina recenserem: sunt enim permulti; imo verò omnes, maximèque amici, vel nostri ordinis, vel saeculi homines. Valeant omnes, tu vale mi Francisce dulcissime, vt in buccam venit, sic ad te scripsi celeriter, nec festinantiam scriptionis diligentia examinationis valui compensare. Quare si non est nitida Epistola, si non habet mixtam cum decore grauitatem, si redolet sordes negligentiae, debebis aequo animo tolerare. Iterum vale, & ad me tu, & alij saepius scribite. Est enim id genus exercitationis meorum laborum non parua, nec iniucunda leuatio. Ex Venetijs statim postquam tuas accepi idest 7. Idus Septembris 1437.

N O T AE.

Nota I.

Brethonicos. Oedipus non sum, vt abstrusi huius nominis sensum eliciam; nisi fortè dicere voluerit Brethyonicos, idest vnguentarios: nam Brethyon vnguenti crassioris genus est. Sed quid ad rem? forte magis quod sequitur. Erat veteris aeui in Anglia, Franciscanus dictus Guilielmus Brithonus, vir doctissimus, & variae eruditionis; cuius opera etiam viuente auctore, non solum in Anglia, sed etiam in Gallia, & Italia, multis magno erant in pretio, & etiamnum in Bibliothecis extare dicuntur. Is multum interesse dictitabat, vt quis cuiusque verbi propriam, & natiuam significandi vim intelligat. Nam licet methaphoris, aiebat, & alijs figuris possimus vti, tamen proprietatem sermonis ignotare non debemus. Quapropter librum scripsit, quem Vocabularium Bibliorum vocant; in quo multa vocabula S. Scripturae genuina significatione clariora reddidit. Ad huius fortè cognomen alludit noster Albertus, illos, de quibus loquitur, Brittonicos dicere volens, quasi magis dictionarios quam Rhetoricos: quemadmodum, si quempiam Grammaticum magis, quam Philosophum dicere velimus, cum potius Calepinicum, quam Cathegoricum nominemus, idest magis addictum dictionibus Calepini, quam Cathegorijs Aristotelis.

Nota II.

Huius Sancti Antistitis. Beatum Laurentium Iustinianum intelligit, tunc Episcopum Castellanum, ac postea primum Patriarcham Venetiarum à Nicolao V. Pontifice creatum.

Nota III.

Me abire non patiuntur. Hic inter alia loca elucet, quàm grata vbique fuerit Alberti praedicatio, & quàm indefessum ipsi studium praedicandi fuerit, qui post tam longam peregrinationem, & maris molestias, statim quasi è naue descendens, huic labori alacriter incubuit, vt infra. *Nisi me labor dicendi ad populum euocaret, longiorem Epistolam texerem*.

Nota IV.

Praeceptori communi. Guarinum Veronensem indigitat, non hic solum, sed alibi saepius, quod semel à nobis notandum fuit.

EPI-

EPISTOLA XLVII.

THOMASIO BIBIO CYPRIO.

ARGVMENTVM.

Saluum ſe Venetias rediiſſe, ac Thomaſij literas Rhodi recepiſſe narrat, ipſiuſque Catholicæ fidei integritatem inter infideles, hæreticos, & ſchiſmaticos laudat, & inter Aulæ Regiæ adulatores, quorum mores, & ſtudia perſcribit: ac Thomaſio, per ſui inde abreptionem, fugiendos ſuadet, & moras dehortatur. Animum laudat, ſed fructus impedimenta prætendit, & explicat, atque aulis omnibus communia deplorat, præſertim cum Principes, vt tunc Cypri Rex, adoleſcentes ſunt. Regem ex ſe amplecti iubet, cui omne bonum optat, & precatur. Libri cuiuſdam meminit, quem per Thomaſium, ad ſe in Italiam mitti rogat.

SAluos nos tandem, atque incolumes, vt optaueras, & rogaueras, Thomaſi chariſſime, ac ſpectatiſſime Medice *vigeſima, & prima die Auguſti* (1) portus, & Ciuitas ipſa Venetiarum, Diuinitate propitia, exceperunt, conſumpto feliciter maritimo itinere, quod quidem à nobis agi ex portu Cyprio Salinarum, vt ſcis, nona die Iulij cœptum fuerat: inter eundum verò, literæ mihi tuæ Rhodi redditæ ſunt: quibus adiuncta erant remedia, quæ à te antea poſtulaueram; in quibus literis, ex querimonijs tuis, de noſtro receſſu, amorem erga nos tuum, quamuis optimè nobis exploratum, apertè percepi. Reddo itaque tibi his paucis dilectionis vicem, petens à Domino, vt dirigat omni tempore vias tuas: tametſi te exiſtimem pro Catholica in te Romanæ fidei firmitate, inter multos patriæ tuæ, ne dicam hæreſeos, certè nefandi ſchiſmatis labe corruptos, diutius commorantem, ſicut lilium, vt dicitur, in ſpinis ſplendeſcere: Quo fit, vt licet tibi violandæ integræ fidei tuæ periculum minimè metuam; quod ſolidæ radici Apoſtolicæ eruditionis incumbis; tanquam tamen inter ſcorpiones, & colubros incedenti, officium beneuolentiſſimæ compaſſionis exhibeo, qui in tales incideris homines, immo qui inuitus cum talibus conuerſeris, & quod eſt grauius, ac longè moleſtius, quam eruditis viris, ac grauibus, ac moribus ſanis, fide integra, & veræ Religionis, atque inſtituto ſeruorum Dei fulgentibus careas, quorum me conſuetudine in Domino fruitum, & vel nouo, vel veteri colloquio, ſolatioque leuatum, ex tenebris Orientalium cæcitatum, ſi ad Chriſtianos ſchiſmaticos; ex perfidiæ fetulenta colluuione, ſi ad Saracenos; ex perditorum morum labe, ſi ad vtroſque te referas, me ad Occidentalem veræ fidei micantem fulgorem, nullis vnquam

quam errorum tenebris aduoluendum, admodum rediisse delectat. His tu, & mille maioribus molestijs, si curas diligentiùs, vt propè diem eruaris, atque euadas liber, rectissimè sapis: sin verò tardus es, pace tua dixerim, insipientiæ te accusem. Neque enim vides, quam moræ, quam negligentiæ, atque induciarum, quam denique cuiusuis metus afferas rationem, vt bonum securè, ac liberè degendæ vitæ amittas; nisi forte putas, tuo arbitratu, si diutiùs in patria tua steteris; vel græcam per te duritiem leniendam, vel infidelium vires, atque pericula vestris viribus succumbenda, vel voluptatem Cypriam, quæ tamdiu insulsa ista tua, id est, in Veneris domicilio dominans, muliebri leuitate, ac mollitia dissoluta est, in seueritatem, grauitatem, continentiam, siue Stoycam, siue Catonianam, siue Christianam potius conuertendam. Quæ equidem omnia desperata penè arbitrans, à te longè dissentio. At verò, inquies, ea vel sola causa me tenet, vt regios mores, & instituam, & regam. Hic verò ego, ò te felicem dixerim, si modo hoc assequi possis. Quid enim publicæ vtilitatis potest in rerum natura fieri salutarius, quam teneram Regis adolescentiam bonis moribus, optimis doctrinarum monumentis, & sanis consilijs instituere? vnde quam formatus, instructus, atque directus, ne dicam in omne hominum genus, certè in vnam vnius Regni amplissimam, Christianam Rempublicam vel benè administrandam omne studium conferat, vel in rectè administrata tutò quiescat, quo vt Christianis Principibus exemplo, & infidelibus possit esse formidini. Equidem adolescentis Regis egregij ab ipsa natura præclarissimam indolem probè noui, & cereum, vt dicitur, ingenium, si modo periti plastæ erudita manus illi adhibeatur. Rex præstantissimus, præterea pater eius etiam iam mortuus, ea laude est, quem dignè pro meritis, Rex filius imitetur. Sed mihi crede, grandis est versutia, non modo Dæmonum, verum etiam perditorum hominum, qui florentem ætatem, atque ob id in vitia præcipitem, & in qua malorum campus facinorum latissimè pateat, assentationibus circumueniant; & tecto, ac dissimulato periculo, honesto ad hanc diem adolescenti Regi nefandissima persuadeant. Solent eiusmodi, non magis homines, quam feræ belluæ, intra aulas præcipuè Magnatum, Regibus, ac Principibus, præsertim iuuenibus adulari, laudare non rectè facta, errata cuncta consulere, & tanquam pro studio honoris, ac salutis maiorum, aduersus rectissimos viros, sceleratissima gerenda ingerere, se se verò tanquam maiores natu præferre, qui genere, qui diuitijs, qui meritis in Regem, & suis, & maiorum suorum, tanquam præ cæteris longè præstantes, neminem omninò ferant, nulli præter se primas partes habendas putent: paribus inuident, maiores lacerant, minoribus rapiunt, aduersus omnes nituntur, resistunt, iactant, ambiunt, mirantur, insultant. Si qua verò est laus meritorum, si qua bonorum apud Regem existimatio, si quis honos, contra instant, assident, fingunt, peruertunt à latere Regis; quoad iustos ab eo omnes appellant, quoad boni vocentur in odium, in suspicionem, in exilium, in proscriptionem, in mortem. Hic est

mos

mos vetus noſtræ tempeſtatis : hoc antiquiſſimum inſtitutum in domibus magnatum : hæc eſt impudentia, quæ in domibus Regum mollibus protegitur veſtimentis , ne deprehenſa, non vilis, ſed obtenta auro, pretioſa putetur. Tu ſi inter hæc te putas multa poſſe mereri de perditis, à vero longè aberras. Itaque magis mihi amicè admonendus videris, vt niſi Chriſto propitio noua quædam ſpes tibi ſuboriatur inſtaurandæ iam euerſæ patriæ tuæ, pro qua Deum inſtantius oro & obſecro, tuæ potius, ac tuorum, tam æternæ, quam temporariæ ſaluti conſulas, quam aliorum quotidie impendentibus periculis inuoluaris. Sed de his ſatis. Commenda me maioribus, vt ratio poſtulat. Regem verò imprimis, pro amore, quem erga me gerit, meo nomine dulcius amplexare, cui non ſolum ſalutem, fidem integram, atque victoriam hoſtium noſtræ Religionis, vitam, ac mores ornatiſſimos, qui Chriſtianum Principem deceant, è Cœlo ab Omnipotente Deo vberius ſubminiſtrari feruentiſſimè poſtulo, ſed etiam pro ætate, pro malitia hominum, qui ſe magis, quam Regiam Maieſtatem tueri ſatagunt, more veri amantis, etiam quæ tuta ſunt, vehementiſſimè pertimeſco. Dominus illi adſit, amen. Amicos ſaluta, inter quos Paulus Peruſinus apud nos Princeps eſt, ſi tua opera efficere poſſis, mi Thomaſi, vt ſi non gratis, vel aliquo emolumento impenſo, ab Epiſcopo Ebronenſi libellum quendam paruulum habeam, in quo & acta cunctorum Conciliorum, & errores omnium nationum orbis enumerantur, profectò rem gratiſſimam mihi feceris. Eo enim valde indigeo. Cura tu maximè, ſi illum obtineas, vt ad me tutò, & quam celeriter in Italiam perferatur. Vale ex Venetijs Pridie Nonas Septemb. 1437.

N O T A.

Vigeſima, & prima die Auguſti. Nota hic diem, quo Venetias appulit, & quo è Salinarum Cyprio portu ſoluit.

EPISTOLA XLVIII.

CHRISTOPHORO EPISCOPO ARIMINENSI.

ARGVMENTVM.

Neſcio quis rumor ad Chriſtophorum perlatus ſit, quod Albertus libellum ſcripſerit contra fœdum Hermaphroditum Antonij Panormitani. Quapropter, cum Albertus, poſt ſuum ex Oriente reditum, Venetijs vocatus, apud Pontificem Bononiæ per dies aliquot moraretur, Epiſcopus illi per aliquem ſuum nuntiari fecit, ſe illius libelli copiam percupere.

Albertus ergo per hanc Epistolam illi respondet, se eo tempore nihil contra quemquam scripsisse, præter vituperatores Martyrum: contra quos Epistolam dedit ad Eugenium Pontificem. Aduersus Panormitanum autem hactenus nihil, præter familiarem Epistolam ad Marescalcum, & Bendedeum, quos laudat. Has, cum gratas Christophoro percepisset, vtrasq; misit, & simul hanc Epistolam, in qua rogat ab Episcopo precum suffragia: vt viuendo, scribendo, dicendoue non erret, rem Diuini verbi præconibus necessariam; in quo officio ostendit, sermonem doctrinæ quantumlibet splendeat, nihil ædificare, si vitæ sanctimonia associata non sit. Tota deinceps Epistola in prophanæ, conuitiosæ, fœdæ, & nefandæ eloquentiæ sectatores inuehitur, optatque si fœda facta non emendent, ea saltem occultè committerent, ne pernicioso exemplo, & impudenti scriptitatione, malum in plures serpat, prolixius ostendens eruditionem cum corporis voluptatibus coniungi non posse.

Ante *non multos dies*, vt præclarè nosti, cum *post reditum nostrum* (1) ex transmarina Sanctorum nostræ salutis locorum peregrinatione ad pia vestigia sublimis Beatitudinis Eugenij Papæ Sanctissimi meritò osculanda essem ascitus, aliquanto temporis spatio Bononiæ coram illo versatus sum, vbi redeunti mihi domum ab eo templo communi, in quo propter dicendi consuetudinem in omnium ore quotidie eram assiduus, semel forte accidit, vt homo quidam, sicut arbitror, tuus, idemque quantum mihi visus est, Presbyter Christi nobis occurreret, quædam mihi tuo nomine referens, quæ tibi modo explicanda constitui. Aiebat libellum, nescio quem, siue Epistolam quandam nostram te vehementius videre, legereque percupere: quam nuper, vt dicebat, aduersus perditum hominem, si non se ad meliora conuerterit, Antonium quendam Panormitam, ad repudiandum maledicum illum suum, vel potius impudicum, sceleratissimumque libellum, quem inscribit *Hermaphroditum*, edideramus. Huic ego è vestigio apertè respondi, nullos me hoc tempore libellos, sed neque Epistolam vllam aduersus quempiam edidisse, præter vnam, quæ contra Martyrum vituperatores ad Eugenium Papam delata est: hanc si velles me liberè daturum spopondi. Is, cum hæc ita narrarem, libera assertione firmauit, te gratissimo animo accepturum, si etiam quæ non peteres, nostro ad te studio deferrentur. Quæ cum ab illo audissem, facilè mihi, fateor, persuasi, non te rectè de nostro erga te amore, & prompto animi obsequio posse existimare, si non tribuerem postulanti, quæ non insipienter fortasse respuenti quoque audacter ingererem, non quidem ad te erudiendum, qui maiorum nostrorum delicata simila saginatus, non opus habes nostro furfure vesci, sed ad me corrigendum, si in aliquo à vero aberrare perspiceres: sin verò, munere Christi, me rectè sapere scribendo censeres, adderes pro tua charitate literis nostris, orationis tuæ saluberrimum patrocinium, vt viuendo quoque, sicut scribendo, ac dicendo rectè nunquam desipiam.

Ego præsertim, cui conferendæ popu-

populis, ac publicè diſſeminandæ Euangelicæ eruditionis onus ingentis operis impoſitum eſt. Quo in officio, vt veritas ait, *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Splendeat enim licèt ſermo doctrinæ, & ardeat, & ædificet, niſi vitæ ſanctimonia componatur, citiùs ſordet, languet, defloreſcit, emoritur. Accipe igitur Pater optime noſtram hanc iſti ſociam qualemcumque Epiſtolam, quam contra hoſtes Martyrum nuper edidimus, & pro me ora attentiùs, ita certò ſalueris, ita te poſſideat æterna ſuauitas, vt non modò pro Martyribus, quæ reliqua polliceor, verborum veritate perficiam, ſed antequam vita excedam, rerum imitatione conſummem.

Matth. 5.

In Hermaphroditi autem libelli nefarium authorem, quamuis longo mihi iam tempore voto fuerit, pro ſcelere turpitudinis eius, plurima detonare, ob negotium tamen, quod ad Chriſtianos populos quotidie diſſerendi habemus laborioſum, quia mihi non vacat, ſcias me nondum aliquid ſcriptitaſſe: extare autem adhuc ex noſtris vnam Epiſtolam, quam hoc fermè triennio, ante noſtræ profectionis initium, ad Ferrarienſes honeſtos adoleſcentes, & Chriſtianè educatos, ac liberaliter inſtitutos, Franciſcum Mareſcalcum, & Philippum Bendedeum amicos noſtros familiariter ſcripſimus, in qua, & cum altero eorum, qui eas partes mecum aſſumpſerat, nefarium opus abominor, & eis pariter exhortantibus, me quippiam aliquando ſcripturum videor polliceri. Quod ipſum iam effeciſſem, ſi non laborum meorum prædicta ratio reſtitiſſet. Sed aderit aliquando, ſi Deus dederit, aptius tempus, quo ſtylo poſſimus abominanda diluere, quæ ſumus in tot iam Italiæ Ciuitatibus lingua reſpuere, & delere conati.

At mallem equidem, & hoc mihi, fateor, eſt longè optatius, vt eo ſtatu rectæ degendæ & fidei, & vitæ, res Chriſtiana inſtituta eſſet, quò neminem eorum, qui veritatem tueri ſolent, oporteret aduerſus improbos, tam morum quam fidei corruptores, pro tutanda religione, libros aliquos cudere. Sed contra in hac temporum noſtrorum iniquitate, ita quidam pernicioſiſſimè literati, infructuoſo ſatu, mores improbos ſerunt, vt omnia tutamenta doctrinæ, pro armis expugnandæ veritatis, honeſtatis, famæ, legum, religionis, libertatis, & amicitiæ debere ſibi videantur ſummis viribus acquirenda contendere. Quo fit, vt is, qui veritatem tueri debet, debet autem eam, quoad poteſt, ſi modo id facere norit, ſi præſertim qui faciat deſit omnis Chriſtianus tueri. Qui ergo debet, & poteſt veritatem, fidem, & Religionem defendere, fit ſanè magno cum dedecore, vt eis virtutibus, immò Deo noxiè, atque obnoxiè ſit futurus infenſus, ſi non defenderit.

Atque vtinam, quæ coargui debent, leuia eſſent, & facile toleranda, fortaſſe pius aliquis ea potius diſſimulanda cenſeret: nunc verò, quod luctuoſum eſt, quis niſi iniuſtus æquo animo feret? cum apud pleroſque illorum, qui literis expoliti haberi volunt, vſque adeò præſtantia eruditionis flagitiorum labe permixta ſit, & tantis libidinoſarum ſordium ſpurcitijs ac fece corrupta, nec minore ſuperbiæ tumore cæcata, vt omnem ſtudiorum, artium, do-

ctrinarum, ac præsertim eloquentiæ splendorem, & copiam, tum rectè, & solùm videantur assecuti, si honesta omnia præceptorum documenta ad licentiam impiæ maledictionis traijciant, aut ad procacitatem detestandæ temeritatis traducant, aut denique ad magisterium nefandæ eruditionis, & fœdam luxuriem alternæ corruptionis conuertant.

Hi profectò ignari sunt, eruditionem, ac voluptatem, duas res repugnantes, nullo modo posse coniungi, ne dum apud Christianos, quos Deus haudquaquam in immunditiam, vt tuba illa Euangelij Paulus Apostolus apertè testatur, verùm *in sanctificationem vocauit*, sed ne apud Gentilium quidem quosdam præclariores, qui ex communi vulgi errore, in aliquam veritatis lucem emersisse, atque euasisse crediti sunt. Cicero, ne multos enumerem, quem isti sicut dicendi suauitate diligunt, ita saltem in hac sententia veritate imitarentur, in oratione pro Marco Cellio de cura studiorum diligentius loquitur, quæ vigilijs, ac sudore dicit elaborari, quæque non rectè acquirunt qui laborem fugiunt, qui obstricti sunt voluptatibus, qui amoribus seruiunt; non qui luxuriæ, qui conuiuijs, qui lasciuiarum libidine occupati, impeditique tenentur.

1. Thes. 4. 7

Neque cupiditates, & studia facile in eodem homine esse posse, nec fieri, vt animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, & copia impeditus, possit ingens illud, quod ab honestis viris in cogitando, dicendo, atque agendo fit, vlla ex parte sustinere, nec aliam postremò causam esse vllam, præter voluptatis appetentiam, fugamque laborum, cur tam pauci semper fuerint, & nunc quoque sint, qui in bonarum artium institutis, atque in hoc labore versentur, quamuis tam magna fuerint præmia eloquentiæ, tanta voluptas dicendi, tanta laus, tanta gratia, tantus honos. Obterendæ sunt igitur, inquit, omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo penè familiaris deserendus, Quæ res in hoc genere literarum, homines à labore, studioque deterret.

Noster quoque Hieronymus huic sententiæ congruens. *Literæ*, inquit, *marsupium non sequuntur*, *vigiliarum comites sunt*, *sudoris sociæ*, *ieiuniorum*, *non saturitatis*, *continentiæ*, *non luxuriæ*. Et vt ad altiora præcepta veniamus, Scriptura Sancta nos admonet dicens. *In maleuolam animam non introibit sapientia*, *nec habitabit in corpore subdito peccatis*: *spiritus enim disciplinæ author*, *effugiet fictum discipulum*. Salomon etiam, vt ostenderet nobis asperum esse studium sapientiæ, nec delicata, & mollia consectari: *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abstrahere à vino carnem meam*, *vt animum meum transferrem ad sapientiam*, *deuitaremque stultitiam*, *donec viderem*, *quid esset vtile filijs hominum*.

In regula Monach. de contempl. &c. tom. 9. pag. 198.

Sap. 1. 4.

Eccl. 2. 3.

Huiusmodi homines, amplectende Christophore, sanè maleuolè perditos, & fictè sapientes, sed verè corruptos, quos scio mecum, pro vitæ grauitate & abijcis, & aspernaris, vel huc vsque progressa malitia cohiberet: nam tum profectò aliqua ex parte, magna molestia leuaremur, sed peiorum comparatione parua sunt omnia, quorum caput est primum, impudentia malorum, quæ celanda committunt; ea nullo pudore palam

palam gerentes, atque docentes, ſi corrigere nollent, vtinam quoad poſſent, vel clam omnibus agere conarentur. Nam ſi ſe perderent, ſaltem ab alijs corrumpendis ſibi laudabiliter temperarent. Eſt enim nonnulla, etſi non integra, laus, vitia noſtra pudoris velamento protegere, quæ paſſim effuſa poſſunt cæteros ingentis iacturæ colluuione nefaria violare: obtecta verò, quamuis ſe deſperatius nefandiſſimis flagitijs dedunt, nequaquam alios maiore damnatione corrumpunt.

Solum enim crimen hæreſeos, cuius labes, quo ſecretius ſerpit, eo non tam morum, quam fidei ædificia demolitur, & fundamenta veritatis euertit, quo verò apertius auerſatur, faciliùs obſiſtendo obteritur: nec effugijs, vel inuolueris latentium tenebrarum obtegitur, nec abditis ſecluſi cubiculi confouetur, ſed lucis ſplendorem non ferens cæcatur, hæret, capitur, truncatur, perit, emoritur. Præter hanc, inquam, labem nefandæ hæreſeos, quæ damnabilius in ſecreto ſæuit, quam in publico noceat, nullum eſt crimen tàm nefarium, tamque tetrum, quod non longè veniabilius ſit, ſi quodam pudore naturæ occultius fiat, quàm ſi quadam, vt ita dicam, impudica impudicitia, atque aperta temerè procacitatis impudentia perpetretur, quoniam alterum quidem, etiam in his, qui vitioſi ſunt, ab ipſa ſpectantium verecundia, & à timore exiſtimationis, atque ab amore adumbratæ ſaltem virtutis manare cenſendum eſt, ne aut illos offendas, aut illam lædas, aut poſtremum perdas; alterum verò, ſola inſolentia laſciuientis ſtultitiæ ſibi vendicat: quoniam non niſi inſano furore intemperantis petulantiæ ducitur, quem pudor honeſtatis, & probitatis, à ſpurcitia turpitudinum minus arcet.

Hæc aduerſum noſtri temporis imperitiſſimè literatos, quia locus Epiſtolæ ita ſe obtulit, à me pauca pro tempore dicta ſunt. Quorum vitia, ſi virtutibus eſſent obtecta, vel potius profligata, multo magis vellem vitæ ſuę ſinceritatem, ac ſanctitatem defendere, & ſanè longè lubentiſſimè lubricas adoleſcentiæ vias morum emendatione protegere, quam inſanam, etiam nonnullorum prouectæ ætatis, in flagitijs licentiam, atque impunitatem reprehendere. Quæ teterrima duo peccata, quidam ſibi illorum abuſu male ſanæ eruditionis, & pollicentur, & vendicant. Verum de his hactenus, atque alias maximè, ſi hæc pauca noſtra te probare comperiemus.

N O T A.

Ante non multos dies poſt reditum noſtrum. Hæc Epiſtola, vt vides, nec tempus, nec locum, quibus data fuit, ſignatum habet, tempus tamen ex his primis eius verbis conijcere poſſumus. Albertus quippe, vt ipſe Epiſt. 47. refert, ex Oriente Venetias appulit die 21. Auguſti 1437. ibique prædicando detentus eſt, ſaltem vſque ad Nonas & ſeptimum Idus Septembris, vt patet ex Epiſt. 46. & 47. illis enim diebus literas ibi ſcripſit, ita vt quamquam Vvaddingus habeat, illum ſtatim poſt reditum, Bononiam ad Pontificem perre-

rexisse; id tamen, non sequenti statim die factum existimemus, sed accommodè intelligendum esse. Demus ergo eum, vel ipso mense Septembri, vel etiam fortassis Octobri apud Pontificem Bononiæ fuisse, vbi & quando Ariminensis Nuncium se excepisse in præsenti Epistola narrat, ante non multos dies, quàm eam dederat, ac tum reliquum erit, hanc dedisse mense Octobri, vel forte Nouembri eiusdem anni 1437. immo forsitan mense Februarij, vel Martij styli veteris: id quod alia hæc ipsius Epistolæ verba corroborare videntur: *Hoc fermè triennio ante nostræ profectionis initium*: etenim cum Epistola 30. ad Marescalcum, & Bendedeum, de qua loquitur, dederit 22. Aprilis anno 1434. consequens est, vt hanc non multo ante Aprilem dedisset anno 1437. stylo scilicet veteri, per ipsum vsitato, vt fermè triennium ab illa data ad huius expeditionem numerare possit.

EPISTOLA XLIX.

CHRISTOPHORO EPISCOPO ARIMINENSI.

ARGVMENTVM.

Albertus, cum ex Eugenij Pontificis imperio, Religionis statum in Terra Sancta cognosceret, reperit irrepsisse quædam, quæ sine selecto Præsule non facilè restaurari possent. Proinde suasit Fratribus, vt Nicolaum Osimensem, hoc est Auximanum postularent: & in Italiam redux obtinuit, vt Pontifex eundem Guardianum, vt vocamus, Montis Syon, ac totius Terræ Sanctæ Præfectum institueret. Sed cum Albertus abesset à Curia, alij quidam amore Nicolai, aliique odio reformationis, quam ab ipso verebantur, in eandem causam conuenerunt, & coloratis Argumentis persuaserunt Pontifici, vt absoluto ab eo munere Nicolao, alium instituerit, & ipse Nicolaus, vt non petitam dignitatem libenter abiecerit. Quæ Albertus Venetijs inaudiens duas scripsit Epistolas, hanc ad Ariminensem Pontifici familiarem, alteram, quæ sequitur, ad Generalem Ordinis Ministrum. Quibus petit, vt Nicolaus etiam nolens, & reluctans, restituatur necessario oneri, ac promeritæ dignitati. In priori hac, quid ab amico fidenter postulandum sit, quid securè concedendum imprimis; hinc petitionis suæ causas exponit, & necessitatem explicat. Contra nitentium aliorum imprudentiam, aliorum astutiam detegit, quibus clarius perspiciendis Episcopum ad Ministri Generalis Epistolam remittit, cuius ad eum exemplar misit. Nicolaum deceptum, & resignationem suadentium amicorum imprudentem iniustitiam demonstrat; quæ cum vera dilectione consistere non potest. Fructus Præfecturæ Nicolai recensens, ipsum eximiè laudat, idque agens, omnes ferè optimi Rectoris partes enumerat, eaque ex illo promittit, contraria vitia insectatur, & petitionem enixius vrget, accusationes diluit, & non ambientibus, sed fugientibus, & reluctantibus, sanctissimi veterum vsus exemplo, conferendas præfecturas disserit: ad quas quatuor homi-

num

num genera confert, & qui abijciendi, quique complectendi, in conferendis officijs ſint, prolixo, doctoque dilemmate demonſtrat. Humilitatem interim ex Maiorum perfectionis, propriæque imparitatis conſideratione naſci, eiuſque fructus quoſdam eximios, & neceſſitatem declarat, in eoſque ſui, inquit, ſimiles inuehitur; quibus, cum de virtute loqui, & ſcribere libet, exercere tamen non placet, ſed ab vtroque abhorrentes, ac tum ſcribentes, tum agentes, qui perſequuntur, & oderint, hos planè iam deſperatos eſſe, quibus dein conferenda regiminis munera ſint, clara diſſertatione concludit, & Nicolaum in hoc genere non vulgarem, ſed egregium eſſe. Epiſtolam denique prolixitatis excuſatione, ſed à cauſæ honeſtate, veritate, iuſtitia, & religione amplectendam claudit.

SOlet à veteribus, vir eximie, nullius maculæ loco poni, ſed virtuti magis aſcribi, ſi illa ab amicis liberè poſtulentur, quibus mos eſt, vt eſſe debet, ea etiam inimicis non poſtulata tribuere; tùm maximè, cum neque petentis ſinceritas, neque dantis bonitas, poteſt in alicuius delicti crimen, aut dando, aut poſtulando vocari. Verius, mea equidem ſententia, nihil eſt, quam, quod dicimus, & dicemus. Si quis ius ſuum, vel pietate motus alienum rectè popoſcerit, id à ſanis Iudicibus dandum eſſe dubitat nemo. Iuſtitiæ æquitatem, ſi cuius ſit, comprobetur, etiam non petenti tribui debere compertum eſt. Si vera eſſe iſta omnia quiſpiam neget, ſtultitiæ ſuſpicionem meretur: ſin verò omnes homines, vt par eſt, vera eſſe concedant, nauata opera noſtra eſt. Nam mihi per ea manifeſtiſſimè apertus eſt aditus, quæ voluero abs te, facile omnia poſtulandi, nec vlla iniecta deſperatio impetrandi. Quod enim cauſæ caput, non mihi cuncta conſequendi initium fiat? vbi & iuſtiſſima flagitantur, & non propria, ſed aliena commoda ſtudioſè quæruntur. Immò verò, vbi non terrenæ cupiditatis, ſed Diuinæ religionis emolumenta ſpectantur. Quæ ſanè duo ſanctiſſima in petendo libertatem, in acquirendo ſibi fiduciam vendicantes, ſine omnis mali ſuſpicione, ab humanitate miſericordiæ, & à iuſtitiæ fonte proficiſcuntur. Quæ cum ita ſint, abs te, cui iuſtitiæ adeſſe laus eſt maxima, & à quo æquitatis gubernacula moderari, magna cum mercede officioſa exactio, non vereor illa rogare, quæ cauſæ ſanctitas, & rectiſſima veritas, meritò tribuenda eſſe procul dubio perſuadent.

Igitur, humaniſſime Pater, ſi eſt aliquid pium, fructuoſum, ac perneceſſarium, quod mihi tua venerabilitas promptiſſimo animo poſtulanti, tanquam pro iuſtitiæ pondere, & pro amoris, & honoris erga te mei præcipua quadam viciſſitudine largiatur: Qua de re, ita te velim, non inaniter exorare, vt omnem curam, ſtudium, & diligentiam tuam, perficiendo honeſtiſſimo negotio adhibere non dubites. Quod vt apertè perſpicias, quædam mihi ſunt paulò altiùs repetenda, Sanctæ Hieroſolymæ, ac noſtræ ſalutis, & redemptionis tua celeberrima loca, cum valde gubernatore aliquo, & probo homine indigerent, illumque me authore, fratrum pars maior à Sancta beatitudine Eugenij Papæ inſtan-

ſtantius poſtularet, factum eſt, cum adhuc eſſem Bononiæ, vt vir bonus, & doctus, ac ſancta opinione ſuauis noſtri ordinis Fr. Nicolaus Oſmenſis, eiſdem regendis locis, ac fratribus gubernandis, ab ipſo Sanctæ Eccleſiæ Summo Paſtore præficeretur: hunc poſt diſceſſum meum quidam à ſuo honore, non niſi turpiter, ſunt conati depellere.

Quod ipſum eſſet aliqua ex parte ferendum, niſi huius priuationem damna communia illius Terræ Sanctæ, & proficiſcentium peregrinorum incommoda maiora conſequerentur: quæ profectò tam multa ſunt, vt eis ſubleuandis laborem tuum magno cum merito impertiare. Eſt enim hæc cauſa eiuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere debeat, quin ea, quo id fieri poteſt, apud Paſtorem Summum, & diligenter agatur, & agenda, atque inſtauranda ardentius procuretur. Nam quis non iniquo animo ferat, vt in eum hominem, qui præcipua virtutum fama, & meritorum laude claret, falſis accuſationibus erigantur iniuſti? inuidiam conflent, honore priuent? quæ res, præter communem iacturam Sanctorum locorum, mihi videtur maxima huius deformandi hominis cauſa, atque illius famæ plurimum detrahendæ; & ad extremum, magna cum contumelia ſpoliandæ ſine iuſta ratione dignitatis. Ad quam procul dubio deponendam, ſi iuſſus venit, vim iniuriæ perpeſſus eſt; ſi prouocatus, errorem; ſi ſpontaneus, timiditatem, atque puſilli animi leuem, inconſtantemque metum, quem ab aduerſarijs (vt taceam ab amicis) criminis loco haberi ſolere, exploratum habemus.

Verùmtamen quis ferat, ſi non peccanti auferatur is honos, qui non petenti delatus eſt? illos verò quis non abijciendos cenſeat, qui ad ea, quamuis onera, tamen per quam ſalutaria, turpiter deponenda, probum hominem prouocarunt? vnde damna incredibilis iacturæ ſuboriantur? huius accuſationes à quibus fontibus profluxerint *quis author*, *&* *caput* (2) earum extiterit, haud equidem neſcio. Quam autem ob cauſam nunc dicere omitto: ſed ſunt qui nolint eum, qui modo in regendis gubernaculis (quam ineptè taceo) eſt Hieroſolymæ ante triennium conſtitutus, ad Italiam ab Oriente redire. Sunt item, qui Nicolaum iſtum, quem nuper Eugenius Papa *maiorem* (3) Hieroſolymis grauitate ſanctiſſima inſtituerat, ab Italia ægrè patiantur vllo modo diſcedere, abire, propelli. Hæc duo hominum genera, negotium totum euertunt: nam ſanctæ beatitudini Papæ, velut ineptum Nicolaum abſoluendum proponunt: Nicolaum verò laborum metu, ne proficiſcatur, deterrent: & fit profectò, vt alij amore præſentis, alij abſentis moleſtia, ne dicam odio, in vnam ſententiam abijciendi ab officio Nicolai pariter coeuntes, & pium Sanctiſſimi Papæ animum mendacio circumueniant; dum veras rationes, vel potius paſſiones occultant, & metum inanem Nicolao incutiant, quem falſis rationibus terrere conantur.

Quas omnes profectò facilè hic modò diluerem, ſi contra eas, vel modicè dicendum cenſerem. Verum ne multa dictare compellar, mitto ad te alteram cum iſta Epiſtolam noſtram, quam ad Patrem communem noſtræ totius Religionis, ante paucos dies

dies pro Nicolao tuendo edidimus, in qua videbis rationes aduerſariorum nos apertiſſimè refelliſſe. Quibus tamen Nicolaus noſter territus eſt; non quia veras, qui contra ſentiunt, eas attulerint, ſed quia Nicolaus, qui per humilitatem in nullo gerendo negotio ſe æſtimat tanti, eas arbitratur haud dubium eſſe veras, præſertim quæ ab his profectæ videntur, à quibus non ſe ambigit diligi: atque equidem etiam credo, aſſentior illos diligere Nicolaum, eaque dilectione fieri, vt nè parùm quidem velint illo carere: ſed an ſapienter, an ſobriè, an iuſtè diligant, prorſus inficior, nulla enim in amicis diligendis ſapientia eſſe poteſt, quæ iuſtitiæ rationem non habet, iuſtitiæ verò æquitate caret, qui maioribus minora præponit, ac perinde nec moleſtiæ ſobrietas eſſe poteſt, vbi inſipienter iuſtitia, vel exceſſu præſtat, vel defectu inferior eſt.

At verò quis neſciat, bonum illud eſſe præſtantius, quod ſibi publica emolumenta rectius vendicant, quam aut priuatis vtilitatibus, aut non ita communibus anteponant: cum igitur Sanctorum locorum diligentior conſeruatio complures vtilitates, etiam quas communes, & magnas nouimus, antecellat, perſpicuè iniuſtus eſt, qui Nicolaum amoris iniuſti perſuaſione prohibuit, ne vel impoſitum publicæ vtilitatis onus, charitate, obedientiaque ſuſcipiat, vel ſuſceptum ignaui animi timiditate reijciat: quæ quidem omnia, non rectè noſtra ſupputatio comprobaret, ſi non cuncta præclarè quæ in officijs religioſè adminiſtrandis, cum præcipua virtutis laude, de homine honeſtiſſimo, & modeſtiſſimo dici ſolent, in iſtum Nicolaum apertè, & Chriſtianiſſimè quadrare viderentur. Verum pro iſta non improbandæ rationis parte, breuitatis cauſa, ad noſtram Epiſtolam te remitto, de qua paulo ſuperius mentio facta eſt.

Fructus autem publici muneris, à Nicolao noſtro, ſi Hieroſolymam proficiſcatur, ampliſſimos obeundos nemo ſapiens dubitet: cuius famæ odore allecti, ex noſtro ordine multi & boni, & ſancti viri, cum ipſo pariter commeabunt. Per eius prætere operam, temperatis ſumptibus, paulò hactenus effuſior vita, quadam frugi parſimonia commutabitur: is, ſicut decet religionem, ſanctiſſimis inſtitutis ſubditorum mores componet. Genus vitæ melioris ſua illic diſciplina conſtituet. Induſtria verò præcipua improborum morum præteritis corruptelis ſapientiſſimè prouidebit. Hæreticos, atque Schiſmaticos, quorum, maximèque Græcorum, Hieroſolymis permagna copia eſt, exemplo vitæ, atque eruditionis præſtantia, vt bono animo ſum, ad frugem, vt dicitur, bonam morum, fideique adducet. Infidelibus, ſicut res poſtulabit, nunc manſuetudinem, nunc veritatem, nunc conſtantiam exhibebit. Peregrinis autem Chriſtianis, pro vario conditionis genere, claris honorem, minoribus adiumenta, mediocribus conſilia præcipua tribuet. In rerum abundantia, temperantiam; in penuria, patientiam; in pace, gaudium ſanctum; in perſecutione, fortitudinem afferet. Animabus inferiorum ſuorum præcepta religionis, corporibus verò illorum curam diligentiſſimæ diſtributionis daturus eſt: in conuictu, quem communem cum

subiectis religionum superiores habere oportet, bonis humanitatem, honorem, ac præmia; malis iustitiam coercitionis, dulcedinem compassionis, exhortationem emendationis exoluet: sibi sanctimoniam religiosæ conuersationis, omnibus amorem, nulli regiminis arrogantiam aliquando præbebit. Quibus omnibus, sanè præstantibus rebus, nihil in vita melius pro locis Sanctis accidere potest.

Quid enim, aut vtilius, aut iucundius, aut honestius dici potest, quam vt illic, ob Sacramenta fidei, & homo integer instituatur, locetur, persistat; qui cùm ad suos, tùm ad se munditiem rectè degendæ vitæ, ad infideles veritatem vere credendæ fidei, ad credentes suauitatem opinionis, ad omnes fructus deuotionis, Deo authore, transmittat. Talis, mea sententia, esse debebit, qui ad regenda gubernacula Sanctorum locorum præficiendus est. Mihi verò pro sua virtute de Nicolao ea spes est, vt eorum, quæ diximus, aut omnia sibi adesse putem, aut admodum pauca defutura: quæ & ipsa, Christo propitio, in illo perficienda eo minùs despero, quo, si Hierosolymam proficisceretur, Sanctorum fratrum, qui illum sequentur, prudentia, consilio, charitate, ac præsidio subleuabitur: ipse præsertim, qui per humilitatem suam, sapientium virorum, ac Seruorum Christi, qui in via Domini triti sunt, consiliorum adiumenta minime asperna-bitur. In neminem se præferendi superbia eriget. In subditos benemeritos nequaquam subijciendi iactantiam ostentabit: quæ vitia, omnium sapientum iudicio, si insunt ei, qui præsidet, in omni genere dignitatis, oblitum illum tandem humanæ conditionis, ad impurissima nefariæ licentiæ conuertentes, crudelissimum Tyrannum efficiunt, qui non ob publicam vtilitatem prudenter inuigilet, sed ad solius sui insolenter nutriendas delicias superbè suspiret.

Quæ cum ita se habeant, humanissime Pater, & nimium in Domino venerabilis, te obsecro, te vehementer obtestor, per sacrum dogma nostræ Religionis, per professam regenerationis fidem, per repromissam meritorum coronam, vt tua sapientia, atque industria, pro causa Nicolai, immo potius Christi, is esse velis, qui saluti fidelium, & augmento religionis, in gubernatione Sanctorum locorum aduersus contraria sapientes, prouidisse videare: vtque id ipsum apud neminem efficias, oro, præter beatitudinem eius, qui verè Papa, Pastor, & Pater omnium, Christi in terris personam magna solicitudine gerit. Cuius eximiæ Sanctitati salubriter vellem persuaderes, vt *Nicolaum nostrum* (4) qui per errorem gerenda bona publici muneris, & obeunda communis vtilitatis officia prætermisit, pristinis negotijs administrandis, etiam inuitum restituendum existimet: ne multorum emolumentis priuatus error officiat; nec Sanctis locis aliena aut iniustitia, aut, vt mitius interpreter, stultitia noceat.

Quare propter accusationes, quæ in Nicolaum conferuntur, ab re præclarè gerenda, debet abduci nemo: quoniam illæ quidem sunt potius maledicta, quàm crimina, & conuitia magis, quam accusationes dicendæ sunt. Quæ si in alios conjecta sint, malam in partem haud dubiè accipi possunt, si ad Nico-

laum

laum referantur, nequaquam in bonam, quamuis ab amore, sed tamen stulto, manare videantur, quo cæcati quidam asserunt, ob id Nicolaum tanto onere leuandum esse, quod solitariæ vitæ otia honesta cum natura, tum vsu libentius expetat: quasi verò non omnes serui Dei hoc ipsum efficere debeant, & plurimi maiorum nostrorum, qui clarissimi habiti sunt, hodieque habentur, ei vitæ, quantum in ipsis fuit, penitus se dediderint, quorum tamen plerique regendis Ecclesijs, etiam inuiti, foras ab otio ad negotium prodire impulsi sunt; geminam suæ totius vitæ, & priuatæ, & publicę, tandem laudem reportantes: vnam quidem humilitatis, siue modestiæ, qui ad honores, libidine gloriæ inflammati, sponte non rapti sunt: alteram obedientię, qui vocati ad onera, immo iussi, pro charitate veniunt, non proteruè, non pertinaciter, non pugnaciter restiterunt.

Et ò Deus immortalis! vtinam huius contraria omninò consuetudo, sublata à Christiano more non esset. Multi profectò hoc præcipuo laudis genere, in Ecclesia Christi nostra ætate florerent, si non sanctissimum illum veterem vsum iam pene prorsus aboleuisse conspiceremus. Mos vetus erat, qui quos fructus vberes tùm pareret, nemo dixerit, vt illi gubernacula regenda susciperent, qui ad ea cogerentur inuiti: quod genus immortalis laudis in Basilio, & Gregorio Nanzianzeno, viris Sanctissimis, eruditissimis, eloquentissimis, & summis Gręcię, Ecclesięque luminibus: itemque in nostris, Gregorio, atque Ambrosio, doctrina quidem inter Christianos, ac Sanctitate dictorum paribus, & Latinæ linguę splendoribus enituisse memorię proditum est: & vt antiquiora repetamus, Marcus ipse Euangelista amputasse sibi pollicem legitur, vt Sacerdotio reprobus haberetur, quod tamen ipsum violenter susceptum, summa cum gloria, ad finem vsque vitę Alexandrię, atque in Aegypto administrauit, produxit, compleuit.

Ita cupiam Nicolaum etiam renitentem, tua opera Hierosolymę pręfici. Cogita, obsecro, ipse tecum quanta res sit, in qua pendere magnum pondus Religionis videatur; non sane priuatę alicuius, sed Christianę omnis, si quorum sint mysteriorum loca consideres. Quibus cum sapienti administratione regendis bonum aliquem pręfici oportere non dubium est: eum esse Nicolaum Osmensem mihi persuadeo, cui quis par sit inter nostros, non mihi venit in mentem. Quoniam etsi nemo inueniatur, cui in regendo conditio nulla probitatis desit, interest tamen quis, quo defectu laboret, & ideò habenda ratio est eius, qui paucis virtutibus caret, quarum defectus rei plerumque non multum officit, & eius, qui quamuis magnis virtutibus polleat, non minoribus tamen sceleribus se deuinxerit: item eius, qui nullo virtutis decore vestitur; cum tamen vitijs multis abundet: atque eius, qui morum omnium nitore, ac munditia pręditus, sed nullo penitus vitio subiectus est.

Horum ego quatuor hominum generum media duo, ab omni prorsus dignitate alienos esse debere existimo, quam si nondum sunt assecuti, eos nec admittendos, nec vt eam vllo modo acquirant, censeo permittendos, sin autem dignitatem

vllam palam corrupti iam tenent, tentandum esse, vt corrigantur. Quod si effecerimus, pręclare negotium actum est, atque id magno cum gaudio: quoniam quem hactenùs perditum molestiùs tolerauimus, emendatum casta exultatione lętamur. Is si postremò in sceleribus diutius perstare maluerit, haud dubium est, quin sit omninò à dignitate reijciendus, honore priuandus, gradu pellendus, gloria perturbandus. Restant duo genera reliqua, è quibus primum quidem summo affectu est amplectendum, efferendum laude, honore prosequendum.

Nam quis non magna veneratione suscipiat, attollat dignitate, locet alto fastigio, quem multis virtutibus fulgere perspexerit, etsi nonnulla desideret, præsertim, quæ cum desint, non magna in regendo iactura est. Neque verò nunc Stoica illa disceptatio, imò superbior potiùs ambitio, me ab ista disputatione deterret, qua constituitur sapientem in virtutibus non posse consistere, qui vel vna caruerit. Apud Christianos enim, à quibus omnis veritas manat, longe sapientior est explorata de virtutibus, & comperta distinctio: quoniam altera est summorum virorum conspecta perfectio ab eorum virtutibus, qui inferiores & extitere, & habiti sunt. Hi tamen omnes in numero sapientum meritò computantur, si præsertim ad finem vsque vitæ, in virtute versati, cœpto suo, & voto, & instituto, & decreto perstiterint, quæ tamen ratio, quo pacto stare possit, equidem haud video, si de sapientum grege pellendus est, cui quamuis virtutes reliquas habeat, vna desit. Sed hos cum sua insulsa sapientia relinquamus, qui iuxta Ieremiam Prophetam *Sapientes fuerunt, vt facerent mala, bene autem facere nescierunt.* Iuxta Apostolum verò Paulum: *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ierem. 4. 19. Rom. 1. 22.

Quarum illud genus sine omni vitio proborum est potius expetendum, quam vt exhiberi possit; quoniam quos imiteris paucissimos habet, & quos habet, vt eos sequare plus est, quam efficere possit communis hominum, & naturæ infirmitas. Præter Apostolos enim, & eorum nonnullos sanè simillimos, summos viros, reuera huius generis exempla apud nostros rarissima sunt, quanto magis apud cæteros omnes penitùs nulla. Quem enim reperias tam meritis, & virtute refertum, firmum, præstantem, qui nulli vitio pareat, cui honesta adsint omnia? qui nihil committat, nihil aberret, qui etsi non sceleste aliquid (nam hoc ferendum non est) tamen ineptum gerat, cuius tam fortis, & stabilis non aliquando laxata virtus, licet non deserta, remissius agit. Quæ non infirmitas, quamquam non euertat, non labefactet seuerum illud viuendi genus, & rigidum, & graue, & sanctum, fragiliore tamen concessu paulò facilius soluat, etsi non dissoluat. Quotus verò quisque effugere potest, ne sua aut facta, aut fama, aut ipsius sermo, tanquam labeculis quibusdam conuitiorum, maledictis, atque inimicorum infamiæ aspernatur. Quis denique est, qui omnem vitæ suæ cursum, nullo ætatis robore, nulla vi voluptatis, nullo æqualium conuictu, non cum laude duxerit? Maiores tantùm nostri, illi quidem viri sapientissimi, atque Sanctissimi, ijdemque perpauci, ex hoc genere extiterunt, qui summis immortalis

Dei

Dei muneribus inſtructi, atque ornati, omnem vitæ rationem, re magis quam verbis ſapientiſſimè, mundiſſimèque geſſerunt; qui nunquam vlla ex parte morum ſuorum continentiam abſoluerunt, nullam in conſilijs imprudentiam, in cogitatione ſtultitiam, in verbo inconſtantiam, in re gerenda negligentiam, in geſtu leuitatem, in moribus corruptionem, in poteſtate inſolentiam, in aduerſitate deiectionem, in proſperitate elationem exhibuerunt.

Sed hæc Sanctorum præcipuorum, tam rara, quam præclara inſignia, animo nobis colenda ſunt, quoad poſſumus. Ea non tam in libris, atque ſermonum laude, quam in moribus proficientes præbere debemus, ſi cui è nobis tantum munditiæ nitorem, ac tam ſublimem vitæ gradum Diuina pietas largiatur. Ad hunc nos grandem profecto Sanctitatis, atque inſignem meritorum ſtatum, etiam nunquam peruenturos, ſuſpirare, ac niti ſummopere, & honeſtiſſimum, & iuſtiſſimum, & plenum decoris eſt. Pars enim non ſanè inferior eſt, ad ſapientiam, & iuſtitiam capeſcendam, intelligere nos eſſe doctioribus, melioribuſque minores. Nam is ſaluber mentis noſtræ proſpectus, magno ſolet eſſe incitamento bonæ indolis animis, vt ſtimulati alienæ virtutis conſideratione elaborent ſtudioſè eas partes probitatis acquirere, in quibus ſe viderint magna laude paucis antecellere. Quas ſi etiam ſummo labore, & magno quodam annifu tandem conati aſſequantur, opere pretium eſt, vel tardè virtute maioribus, aut coæquari, aut comparari, aut conferri; his præſertim, qui non mediocres in quaqua re habiti ſunt, ſed illuſtres, ſummi, & ornatiſſimi. Sin denique ſumma diligentia, cura, & induſtria ſtudiorum, ac ſudoris, neque in ſapientiæ ſplendore, neque in meritorum vbertate ſimiles clarorum virorum euadere non poſſimus, non tamen paruus comparatus eſt fructus apud nos intus detumuiſſe ſuperbia, humilitate creuiſſe, qui noſtræ infirmitatis anguſtijs prægrauati ad eorum præſtantiam nequeamus attingere. Qui cum nobis reſtent omni tempore laudandi, venerandi, & admirandi, colendi eos ſimul nobis ſequendos, etiam non habituri illa, quibus excelluerunt, non ſine fructu, quem nunc diximus, ante oculos proponere debeamus.

Verùm quod digna mœſtitia lamentandum eſt, quoſdam ſimiles mei, noſtra ætate, loqui de virtutibus, quam facere plus delectat. Atq; interdum, ne audire quidem de eis, neque loqui, neque ſcribere, neque diligere iuuat: quæ profecto deſperati de ſe hominis, ac male de virtutibus meriti, extrema vitia ſunt. Quid enim durius dici poteſt, quàm non ad bonum illud vel ſuſpirare, quo careas, neque in altero diligere, quod te non habere compertum habeas? Ego, vt totum dicam, quod ſentio, non exiguæ ſpei hominem habendum ſentio, qui ea indole inſigni præditus eſt, vt quem ſibi nouerit virtute præſtare, diligere malit, perſequi nunquam, contraque peruerſi animi nefarium ſcelus eſt, illum & facto flagitioſo, & animo inſectari, cui ornamenta clarorum virorum ineſſe videas, à quibus ſis ipſe tuo vitio alienior; verum hæc de quarto hominum genere, plura fortaſſe, quam breuitas Epiſtolaris, &

tuæ occupationes desiderent: ex quo genere, quamquam ad regenda Christianorum gubernacula, siue ad conseruanda Religionum fœdera, aut paucos, aut admodum nullos reperire possimus; non propterea animo debemus excidere.

Repudiatis enim medijs, de quibus dixi, duobus hominum improborum generibus, & quarto in dignitate suæ paucitatis sublimiter persistente, auctore Domino, de ipso nobis genere primo, quamuis fragilium, tamen virtuosorum quidam occurrent, quos moderandis regiminibus assumere valeamus; nisi fortè quis ita desipiat, vt quos vllo, etsi exiguo, vitio laborare perspexerit, haudquaquam ad dignitatem aliquam debere admitti vllo tempore arbitretur. Quæ certè insanissima falsæ opinionis temeritas, omnem Sanctæ Ecclesiæ, & Christiani populi statum funditus euertit, atque peruertit. Nam cum sublimes illos quarti generis viros, de quo penè post Apostolos exempla sunt nulla, quoniam desunt, asciscere nequeamus, si fragiliores, sed tamen meliores abijciamus, superest, vt aut perditos homines mediorum duorum generum Christianis regendis præficiamus, aut penitus nullos. Quæ quidem non sanæ doctrinæ iniustiores partes, quam ineptæ, & stultæ sint, perspicuum est. Fit enim ex illis, vt si nefariè malos præficiendos putemus, Lupos Christi gregibus iniecisse; immo oues in ora Luporum contrusisse meritò iudicemur: sin verò nulli, neque ex malis, neque ex bonis in Christiana Religione præficiendi erunt, nutabit Ecclesia, peribunt Christiani fideliores, populi vagabuntur, quoniam nullo sapientiæ pulcherrimo ordine distincta Christi Ecclesia sine capite vertetur in monstrum: Christiani sine doctore complectentur erronea, populi sine duce prædæ patebunt, oues erunt sine Arietibus steriles, & sine pastore vagantes, quę morsibus, & internecioni dœmonum, Tyrannorum, atque Hæreticorum, tanquam luporum liberiùs expositæ interibunt.

Est igitur singulare consilium, quod & ipsum nobis maiores nostri sua sapientia pepererunt, vt abiectis ab re Christiana administranda palam facinorosis hominibus, eos instituamus, qui integri sunt ab his penitus vitijs, quę ab immanitate scelerum non abhorrent, fragilia verò, quę ex nobis aliquando etiam inuitis quotidie oriuntur, facileque dilui possunt, à melioribus geramus. Tantum in his virtuti pareamus, ne in vita nostra sit fœditas, quæ tolerabilis à sapientibus haberi non soleat; ne in gerendis temeritas, quæ magnopere noceat, ne vlla errata, quæ sopire queant sua damnabili prolapsione virtutem. Cœtera omnia facilia sunt, quæ sustineas, in quo insint, maximè si reliquarum virtutum decore instaurata, possint meliorum excusatione defendi, & tanquam magno ære compensata meritò tolerari.

Hoc ego in genere, vt ad causam redeamus, Nicolaum nostrum non modo talem esse existimo, qui enumerari cum cæteris debeat, verum etiam, quia consilio, & sapientia multum potest, qui possit facile multis ex hoc bonorum numero, meo iudicio, præstare. Equidem suauissime Pater, pro hac causa oraui te satis, & vereor ne longitudo mea aliquod tempus tuis negotijs

tijs

tijs, ſi me ſimul tam multa ſcribentem totum legas, pręripiat. Nam de moleſtia, quam tibi ingeſſerim, nihil dico, quoniam auidè cupienti ſolet ſermo, qui placet etiam cum verboſior eſt, videri parua tempora conſumpſiſſe. Cupiditatis autem, ac dilectionis erga me tuæ, pręter reliqua omnia argumenta, illud eſt ingens, quod etiam ex ſcripturis noſtris à me per Sacerdotem quemdam ex tuis illa volueris mutuari, quę ſunt multò quam iſta Epiſtola longiora. Quo mihi perſuadeo, te nulla literarum noſtrarum prolixitate poſſe terreri: maximè cum ea ad te ſcribuntur, quæ ſunt eius naturæ, cuius eſt, ni fallor, hęc noſtra Epiſtola. Talia enim per noſtram paruitatem ad te nunc literis perferuntur, quæ palam eſt, quod ea tibi religio, honeſtas, veritas, & iuſtitia iure optimo vendicant. Vale ex Venetijs XV. Kal. Iulias 1438.

NOTAE.

Nota I.

Chriſtophoro Epiſcopo Ariminenſi. Hic erat Chriſtophorus à S. Marcello Vicentinus, Eugenij IV. Pontificis primùm Referendarius, intimuſque familiaris anno 1431. Ceruienſi Epiſcopatu donatus, anno verò 1433. cum Bartholomæo Archiepiſcopo Spalatenſi ab eodem Pontifice ad Baſileenſis Concilij Patres Legatus, anno 1435. ad Cathedram Ariminenſem tranſlatus, quam cum annos nouem cum laude rexiſſet, Senenſi demùm donatus eſt: inter cuius Sedis Præſules Vghellus ipſum hoc laudat Elogio: *Hic cum Sanctiſſimus moribus eſſet, decedens meruit, vt per ſolidum diem in Cathedrali exponeretur, illumque, vt planè ſanctum, ſupplex Senenſis populus veneraretur.* Certè Albertus noſter tres Epiſtolas tanta reuerentia ipſi ſcripſit, vt virum optimum eum fuiſſe oportuerit, in quibus nempe ipſum Maiorum delicata ſimila, quaſi diceret, ſacræ doctrinæ medulla ſaginatum, vocat meritò præſtantiſſimum, homines maleuolè perditos, & fictè ſapientes pro vitæ grauitate abijcientem, & aſpernantem: virum eximium; & in tertijs, cauſam rei ſubditi, quem Epiſcopus commendauit, prius quidem expoſitam, totam tamen ipſius Chriſtophori Sapientiæ, & charitati commiſit, ſeque in ſingulis ipſius orationibus commendat.

Nota II.

Quis author, & caput. Quæſtuarium illum, ſeu procuratorem non Sanctum Terræ Sanctæ hic denotari credo, de quo poſtea plurima Albertus in Epiſtola ad Cardinalem Sancti Angeli, quam ſuo loco daturi ſumus.

Nota III.

Maiorem. Sic Sanctorum locorum Rectorem, & Hieroſolymitanum Guardianum vocat, non ſolum hoc loco, ſed alia etiam Epiſtola ad Scipionem Epiſcopum Mutinenſem, quam iam ſupra dedimus, vbi de Fratre Ludouico Bononienſi loquitur.

Nota IV.

Nicolaum noſtrum. Quantus vir fuerit hic Nicolaus, non obſcure in his literis oſtendit Albertus, at quis fuerit, nondum dixit. Ergo ne quis deſideret, erat hic in ſæculari vita Nicolaus de Romanis, Sacræ Theologiæ, & Iuris vtriuſque peritus, rebus magnis obeundis idoneus, quem proinde Gregorius XI. Pontifex ſibi à Secretis aſcitum in pretio habuit, & creauit Archidiaconum Vercellenſem, multiſque alijs pinguis emolumenti beneficijs dotauit, adiuncta facultate condendi

pro

pro suo arbitratu testamentum, cuius ille executorem scripsit Guardianum Cœnobij Auximani Minorum; quibus & libros, & alia legauit, seseque Regularis Obseruantiæ Sodalitio adscripsit, retento deinceps cognomine, non Domus, sed Patriæ; vnde Auximanus, vulgo Osmensis, ab Auximo, seu Osma Piceni Vrbe dictus est. Hinc pietate, scientia, & authoritate clarus, aliqua Religiosis vtilia doctè scripsit. Prouinciam S. Angeli laudabiliter administrauit, & cum B. Iacobo Piceno in Bosna laborauit. Obijtque Romæ in Conuentu Aracœlitano, vbi inter alios eiusdem Sodalitatis viros clarissimos sepultus, locum resurrectionis adeptus est.

EPISTOLA L.

GVILIELMO CASALENSI.

ARGVMENTVM.

Modestè primùm expostulat Nicolai remotionem ab officio, in quo non solum matura deliberatione Generalis, & eruditorum, proborumque virorum consilio, sed Summi quoque Pontificis voluntate constitutus fuit. Quod non absque instituentium, instituti que æstimationis periculo, & graui Terræ Sanctæ iactura fieri potuisse contendit. Ea deinde, quæ Osmensis idoneitati obiecta fuerunt, hominum ambitiosorum argumenta, quibus viros optimos officijs, quæ ipsi male appetunt, & peius exercent, pellere nituntur, in ijs per totam Epistolam refutandis est author. Quod quasi nihil agens, ac velut lusu quodam suauiter, fortiterque facit. Humiliter tandem orat Prælatum, & pro ipsorum vtriusque, proque Nicolai honore tuendo, pro Terræ Sanctæ non ferenda iactura, pro hominum vitandis iudicijs, pro reprimendis ex officio maleuolis, & boni conseruandi amore, Nicolaum oneri, & honori restituat: omnia tam dilucidè tam distertè, vt hæc Epistola nulla nota nostra, vel ad lumen, vel ad robur indigeat.

NOn possum esse, quod liberè fateor, quieto, & tranquillo animo, clarissime Pater, cum ex Bononia, recentibus, & frequentibus literis, & fama, & nuncijs quotidie mihi affertur Nicolai nostri Osmensis ab officio illo suo nuper facta demotio: quem tanto studio, ad prohibendam Sanctorum locorum in moribus corruptis calamitatem, Hierosolymæ regendæ præfeceras: ea præsertim grauitate, quæ non modo de virorum eruditorum, proborumque consilio, verum etiam, quod imprimis dicendum fuit, de Summi Pastoris, ac Principis mundi mente, & voluntate, qui Christi in terris personam gerit, sententia sinceriore profecta erat. Huius profectò, quamuis à magno onere absolutionem, vndecumque illa manarit, quia opinio famæ, & honoris eius vehementius læditur, non sine ratione grauiter fero.

Nam

Nam ſi inuitus à ſuo gradu depulſus eſt, quis non eum, quantum apud homines ſe res habet, magna iniuria laceſſitum putabit, quem multorum ſententiæ ante probauerunt; ſi verò volens, & ſciens ad abiectionem, vt fortè putat, inutilium moleſtiarum peruenit, non ſolum ignauiæ, ſed leuitatis, & inconſtantię, non dicam crimen, certè vel maculam non facile diluendam incurrit: Neque enim quiſpiam ad ſubeundas ſiue laborum ſarcinas, ſiue periculorum diſcrimina illum ante coegerat, quominus poſſet omnia facile, tum ſaltem abijcere, cum inuito, ac ferre nolenti, vel non valenti abs te illi imponebantur. Quod ſi feciſſet, nullus aduerſus eum iuſtè poterat commoueri, cuius officij vel minima notio nullum adhuc, ne oppidum quidem, attigerat, vt nunc Italiam penè omnem peruaſit: verùm, dixerit aliquis, alijs conſulentibus, aut prouocantibus hoc illum feciſſe: ego verò, audacter dicam, neminem ſapere, qui eis conſilijs aſſentiatur, vnde ſine fructu opinio leuitatis exoritur. Sed etſi aliqui ad hoc illum quouis conſilio concitarunt, eos dico de exiſtimatione huius hominis nullam, de conſeruatione verò Sanctorum locorum paruam rationem habere.

Quæ enim poteſt eſſe; in quoquam de Sanctis locis, niſi omninò inſulſa, ratio prouidendi, ſi pro homine religioſo, & docto, & frugi, ac ſancta fama celebratiſſimo ganeo aliquis, vt ita dixerim, & irreligioſus, atque effrenata mente immitis, aut conſtituatur, aut permaneat; quod ſi alium ſubrogandum religioſum virum putabis, is erit, quantum æſtimo, de quo magis publicæ vtilitatis diſpendium ſubſequetur; præſertim ſi è numero prædictorum extiterit, qui maior illis conſtitutus à populis in moribus, & fide inſtituendis, & ab Italia propellatur: ſin verò ignarus quidam illic futurus eſt, quæ ſequantur incommoda probè noſti, vbi à viro aliquo ruſticano, nec proficiſcentes fideles exempla deuotionis, nec cohabitantes inferiores præcepta Religionis, nec aduerſantes fidei noſtræ vel documenta, vel conſtantiam, vel tutamenta vlla penitus reportabunt; quod ſi poſtremò doctum aliquem miſeris, quis, oro te Pater, is erit in quo tot partes integritatis, eruditionis, modeſtiæ, famæ, & multarum præterea virtutum, vt in hoc vno Nicolao conueniant?

Sed ſunt, vt ad me perlatum eſt, qui dicunt Nicolaum iſtum in rebus agendis non multum valere, corpore verò eum gracilem eſſe, negotijs minus exercitatum, ad tolerandos labores perquam fragilem, otia potiùs quietis diligere: illic autem, & pro muris, & tectis Eccleſiarum inſtaurandis, & pro Saracenorum rabie comprimenda, homine viua, vt dicitur, & ardenti conditione, aſtuto, & pene dixerim vafro, aliquo opus eſſe. O obtuſam hominum cæcitatem! quaſi verò murorum, quàm morum ratio potius Chriſtianis, & Religioſis habenda ſit, quorum alteri ſi non adſint, non magna iactura eſt: Ibi maximè, vbi ſæpius à Barbaris, ſalua in nobis Religione noſtræ fidei diruuntur. Alteri verò, ſi de medio fient, nè muri quidem in ſublime porrecti, quamuis fulgentibus auro laquearijs, aliqua ex parte poſſunt prodeſſe. Religio enim fidei ſine morum ſingulari præſtantia, aut funditus ex mentibus Chriſtianorum

euertitur, aut, vt mitiùs loquar, colluuione nefandissima violatur. Nonne præterea lenem magis, atque humanam facilitatem, Christianam mititatem, veram sinceritatem, Cœlestem simplicitatem in Christiano homine, infideles homines aut admirabuntur, aut laudabunt, aut imitabuntur, quam aspera seueritate, & vulpina calliditate, & diabolica mendacitate deterrebuntur? in sua præsertim Patria, vbi & decernendi pro se, & vindicandi aduersum nos, ampla eis & libera facultas tribuitur.

Fragiles autem corporis vires mirum est quia iam vehementer quidam aduersus Nicolaum nostrum promoueant: quasi verò eum, non præceptorem, & Patrem Seruorum Dei constituendum Hierosolymis putent, sed vel militem, vel athletam, vel nautam aliquem, vel metallorum fossorem, exciforem lapidum, montium subuersorem, aut quempiam ex his, qui duro operi mancipantur, qui quoniam eis corporum permagna fortitudo necessaria est; idcircò Bubalorum, Boum, Porcorum, Aprorum, Ceruorum carnibus opus habent, qui armorum, & reliquarum rerum pondera vehunt, qui pugnis, & calcibus, & diuersorum telorum generibus, sua inuicem membra debilitant, qui remos trahunt, quorum latera ad clamandum, & ad dicendum sunt valida, & qui sub sudore, atque imbribus dormiunt. Hi si ita de Nicolao sapiunt, multùm desipiunt, quoniam, vt noster Hieronymus ait: *Religio nostra non athletam, non nautas, non milites, non fossores, sed sapientiæ erudit sectatorem.*

Sed etsi aliqua debiliore valetudine prægrauatus, necessaria itinera non posset incedere, mos ei patrius etiam sano erit, vel inuito seruandus, vt iumento aliquo, ac maximè asinario subuehatur; neque enim furor Saracenicus pateretur inter eundum pedestres homines Christianos remisso gradu, nisi magno cum periculo posteriùs remanentium, tardiùs euagari, qui ea celeritate fideles peregrinos conducunt, vel potiùs trahunt, vt vix eos Sancta loca tranquillè ad paruam horam patiantur inuisere.

Verùm esto Nicolaus noster insigni ignominia maculetur, si diligat otia, si tardus sit, ac remissus, si fragilior in rebus gerendis, num propterea, illa quibus præditus est, consideranda non erunt? virtutem animi loquor, prudentiam, vitæ sanctimoniam, doctrinam, religionem, quibus non muros sed mores in fratribus, in Christianis, in infidelibus instituere, componere, construere queat. Vidi ego plerosque eorum, qui Religionis, & Seruorum Christi censeantur nominibus, diligentiam erigendarum ingentium machinarum, & subuehendorum maximis molibus ædificiorum probe callere, qui verò noscet ad bene, beatèque viuendum, vel præbere formulam, vel præbitam conseruare, ac fouere, aut nullos, aut admodum paucos.

Sed etsi aliqua in re gerenda, siue ignauia, siue inscitia remissior fuerit Nicolaus, ita enim se habet humana infirmitas, vt sibi ipsa per sese minus semper sufficiat, vt à vero aliquando aberret, & inertia, & desidia sæpius superetur: si inquam Nicolaus talis futurus est, quæro primum ab his, qui in huiusmodi negotijs sapientes

sibi

sibi videntur, quis in officijs administrandis, non frequenter inutilis sit? nec tamen reliquis in rebus admodum vtilis. Ego præter Apostolos, & Apostolicos nonnullos viros, neminem arbitror extitisse: sed neq; esse, neque fore, qui in officijs administrandis vitio omni caruerit, vt neque per morem, atque vsum, & proprium, & priuatum, & humanum, neque per ætatem, neque per errorem, etsi non corrupto, saltem per quam fragili animo in rebus gerendis quidquam peccauerit; aut agendo, aut non agendo, quæ & agi non debent, & agi debent.

Ita ne igitur stulti erimus, vt quoniam sine vitio instituta religionis nullus administrat, præficiendum rebus gerendis vllum penitùs desperemus? minimè: immò verò cum abundant, qui scelerate, qui perditè, qui nequiter causam religionis tuentur, rem communis vtilitatis negligunt, publica emolumenta non curant, tunc maximè etiam fragiliores, dummodo non peiores institui debere censendum est; tantum absit notanda enormitas ab his quibus gubernacula regenda committimus: absit, inquinatæ vitæ, & famæ læsa opinio: absit intemperans animus, & corruptus, absint affectatæ morum sordes; absit contemptus, cum pro se, tùm pro alijs rectè degendæ, ac iustè regendæ vitæ; absit deinde neglecta cura, semper melioris quærendi; absit postremò nequitia præficiendorum, vllo modo penitus corruptorum. Hæc inquam omnia pro sacris locis longè absint, propellantur, abijciantur, tam ab his qui instituuntur, quam qui instituunt, & tum nullo cum metu illi instituantur, quibus etiam plurima desunt.

Nam hoc in genere omnem hominem decet, & Christianum maximè decet, magna cum spe bono animo esse, non defuturum Deum fidelium, qui, quæ desunt, & reliqua suppleat; qui minus rectè facta, si modo non sint scelerata, non imputet, qui aucto rectorum institutorum spiritu, fieri crudeliter punienda non sinat. Deinde, in quo satis Nicolaus ipse non fuerit (quod de corporis duntaxat viribus loquor) num à fratribus, num à socijs, num à subditis, vt Pater à filijs releuandus, iuuandus, fouendusque non erit? nam quid causæ est, vt minoribus præficiantur maiores, nisi vt illis in omnibus quæ agenda contingunt, obtemperandi prompta voluntas, istis autem honestis in rebus imperandi sit discreta potestas.

Equidem (vt quod sentio eloquar) penè nulla ratio est instituendæ religionis, quæ non ad prædictas causas facile deducatur, aut ab eis emanet, proficiscatur, deriuetur. Quæ profectò ambæ omnis veræ religionis causæ pacem pariunt, quietem augent, concordiam fouent, dum inter iustè obtemperantes, & rectè operantes, & rectè imperantes, diuisa pondera, grauiora onera, leuiora efficiuntur: nam quod maiores per sese efficere nequeunt, iubendo agunt: quod verò minores disponere nesciunt, obediendo consummant. Et fit profectò apud eos, qui mutua sibi inuicem suffragia exhibent, vt alternis, communibusque subsidijs ad calcem ea perducant, quorum exitus, & proprio, & priuato præsidio non patebat. Hoc est arbitror, quod Scriptura Sancta nos admonet dicens: *Frater qui iuuatur à fratre, quasi firma Ciuitas*. Et alio loco

idem Salomon ait. *Melius est duos esse simul quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli quia si ceciderit non habet subleuantem se, & si dormierint duo fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefit? & si quispiam præualuerit, contra vnum, duo resistent ei, & funiculus triplex difficile rumpitur.*

Quæ cum ita sint, suauissime Pater, prostratus vestigijs tuis, ea humilitate, quam mihi erga te omni tempore habendam professus sum; nec minore fiducia, quàm paternus in me amor tuus de te habere liberè sinit, te obsecro, atque oro, te instanter admoneo, primùm tibi cauendos esse contra Nicolaum nostrum talia subornantes, quoniam cum fallacibus argumentis nitantur, indigni sunt, quibus in damnum, & nec ferendam iacturam Sanctorum locorum fides adhibeatur. Deinde propterea quod non mihi modo, qui huius administrandæ promotionis auctor visus sum, verùm etiam tibi, ac multo magis Nicolao, alteri promouenti; alteri promoto hanc absolutionem turpissimam esse duco, prouidendum magnopere censeo, & diligentius occurrendum suspicionibus hominum, qui id factum, vt vulgo fit, variè interpretantur; non quo omnia de nobis hominum iudicia, etiam quæ falsa sunt, vitare possumus; sed quo illis sit, maximè nostra sapientia, silentium indicendum quæ iustè in nobis, vel leui occasione vel verisimili, ac probabili præbita coniectura carpi, ab aduersarijs posse videntur.

Postremò cura mi Pater optime pro tuo studio, pro tuo more, pro tuo instituto, atque officio, vt Nicolaus noster pristino honori, quamuis magno cum onere, etiam nolens, sed potius renitens, & pugnans restituatur. Quod vnum, si tua industria compleatur, taceo quam mihi rem gratissimam feceris, illa dico potius quæ profecto maiora sunt. Certè Sanctis locis præsidia permagna præstiteris, maleuolos à temeritate præpediendæ saluberrimæ prouisionis compresseris, Nicolao iustitiæ libram iustissimam exhibueris, bonorum tibi omnium, qui rectè sapiunt, & amorem, & laudem comparaueris, quibus sanè plus lætitiæ, Nicolai dignitas allatura est, modo recuperata, quam præbuerat ante suscepta. Vale ex Venetijs 1438.

EPISTOLA LI.

IOANNI CAPISTRANENSI.

ARGVMENTVM.

Redditam Capistranensi sanitatem aggratulatur, sed luget Nicolai Auximani ab officio Hierosolymorum Præfecti depositionem, seu potius Sacrorum locorum per id factam iacturam: optat virum bonum illi substitui, quod

quod ægrotus ipse Capistrano commendat, atque ipsi suam aduersus Martyrum vituperatores Epistolam postulanti promittit. Amicos suos Veronæ communes illis facit, & Gallicanæ Nationis ordinis tyrones quosdam illi commendat.

SAluto te, Pater optime, & de reintegrata valetudine tua plurimum in Domino gaudeo, sicut de ægrotatione doluisse Christianæ pietatis argumentum esse non dubitas. Molestiam dimotionis, vel potiùs depulsionis, iniuriarum atque dedecoris plenæ, Nicolai nostri Osmensis ab officio illo suo, certè fateor, molestissimè tuli: & nunc quoque acerbè fero: sicut non solum veritas, sed & charitas, & Christianus amor, vt mihi persuadeo, postulare videntur, quam huius hominis absolutionem, quam ipsa beatitudinis Eugenij Papæ summa solemnitate, quidam, quos noui, & quo animo, noui, non minus astutè, non dicam maleuolè, quam imprudenter, atq; impudenter subripuisse; quàm rectè impetrasse mihi videri solent. Quorum temeritatem commodis remedijs compressissem, si non me pectoris angustiæ, & huius anni crudeliorum frigorum ingentior tussis, mihi penè intercludens anhelitum, quadraginta iam dies impedimento fuissent. Vellem de hac re plura tecum conferre, & præter cætera huius negotij malefica, hæc duo teterrima lamentari; vnum, quod nec ad necessaria gubernacula Sanctorum locorum, & saltem posthabito Nicolao, siue abiecto, alius quispiam idoneus subrogetur: alterum, quod si quis deinceps pro Nicolao adhibeatur, vereor, nè talis futurus sit, de quo magna Sanctis locis iactura suboriatur; non solum à multis bonis præpediendis, quæ facilè prouenire permaxima potuissent, sed etiam, quod multo durius est, à malorum licentia effusissimè, perditissimè laxanda. Sanè illic, mea sententia, mala pene omnia, aut saltem permulta, à probo quodam homine, quem æstimaueram Nicolaum, honestè potuissent arceri, sicut illa bona sanè permulta, atque præclara laudabiliter prouocari. Epistolam nostram contra Martyrum vituperatores, sicut postulaueras, nunc emendatam, per harum baiulos ad te mitterem; si vel ego tantum scribere possem, vel, qui scriberet, aliquis mihi adesset. Faciam tamen, quamprimùm potero, vt ad te perferatur: maximè, si quo te loco continueris, & morari contigerit, me feceris certiorem. Veronæ, quo nuper audio te curasse debiliorem valetudinem tuam, sunt mihi amici quidam, sanè charissimi, & literati viri, quos si etiam tibi in amicos comparare volueris, non erunt opinor insuaues. Petes illos à fratribus, atque ad te ascisces, quos simul, oro te, Pater meo nomine salutans plurimum, Christiano cum osculo, dulcissimè complexabere. Fratribus, vt pro me orent, me commendare obsecro, non graueris, & filios nostros illos ex Francia benedicere, quorum alterum audio grauiter infirmari: sit manus gratiæ Christi salubriter super illo amen. Vale, & me ama, quia & ego te in Domino diligo, caussamque Terræ Sanctæ, pro augendo tibi cumulo meritorum, non æstimes relinquendam 1438.

EPISTOLA LII.

ANDREÆ LANCIANENSI.

ARGVMENTVM.

Vnum ex tyronibus Gallis, ante memoratis, nomine Marianum, corpore, & animo curandum Lancianensi enixè commendat: & nescio quæ munuscula ad ipsius tunc ægrotantis solatium mittit.

PErlatum est ad me nuper, frater in Domino dilectissime, filium quendam ex nostris, quem nobis Galliæ pepererunt, tua curandum diligentia, à nostris maioribus ad te missum, vt & in moribus Christianis, ac disciplina Religionis instituas: & bonam corporis valetudinem, qua nunc mala laborat, tua illi charitate procures. Quare his te paucis hortandum putaui, vt erga illum, cùm in salute corporis, tùm in animi institutione, nostro sis amore erectior, ea præcipuè tua misericordiæ vsus temperatura, quam indigentiorem partem hominis eius siue interioris, siue exterioris, consulta ratione potiùs pro tempore, & pro infirmitate illius postulare cognoueris. Dignus est planè hic bonus adolescens, vt illi præstes omnem humanitatem, non solum pro suo merito, & nostro hortatu, quos diligis; sed etiam pro tuo instituto, & nostro testimonio: quod ei de stabili Religionis proposito sincerissimum exhibemus. Nam is apud Cyprum, atque in ipso Rhodo, cum esset nobiscum, magni ex sua Gallia quidam illum molestius vellicantes, nunquam eum, non modo reuocare, sed ne parum quidem ab cœpto salutis itinere mouere, aut diuertere potuerunt. Restitit, contempsit, omnia sua Christo lætus distribuit. Quis ergo in eo colendo, atque curando, non se illi facilem præbeat? quamuis, aut leui aliquo animi vitio, vt solet accidere, aut corporis infirmitati subijciatur. Quem enim reperias in rerum natura, cuius etiam præstantissima vita non saltem minoribus flagitijs aspergatur, & cui minutiora peccata subtilius obrepentia, velut in cibo exquisitissimo muscæ fœdiores, maximè infestiora non sunt. Verùm hæc ex abundanti, apud te præsertim, qui & Christi gratia, & nostri amicitia flagras plurimum; quo mihi persuadeo, nulla eos ex parte abs te posse pacto aliquo deseri, quos iussa Christi, & iura nostræ amicitiæ curandos præcipiunt. Mitto ad te solatia charitatis, ad nostri adolescentis, & filij Mariani molestias releuandas, vt credens à nobis se vehementius diligi, labores valetudinis patientiùs ferat. Vale ex Venetijs 1438.

EPISTOLA LIII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Nicolao Oſmenſi in Italia relicto, Miniſter Generalis in Sacrorum Terræ Sanctæ locorum præfectura alium ſubſtituit, qui cum Pontifici non placeret, ei ad ſe venienti perſuaſit, vt officio ſe abdicaret. Ipſe Pontifex inſtituit Gandulphum Siculum, Regularis Obſeruantiæ virum. Iſti quoque, ſicut prius Oſmenſi reſtiterunt oſores diſciplinæ: atque ille maximè, qui clauum illius regiminis per plures iam annos indignè torquebat, ſeſeque in eo perpetuare nitebatur. Albertus, Sacrorum locorum zelo accenſus, hanc Epiſtolam ad Pontificem ſcripſit, ſuadens, & orans, vt ambitioſum illum amoueret, & clauum Gandulpho tradere cogeret: nec deſtitit, donec ita factum fuit, vt in eius vitæ hiſtoria narrauimus.

NVper, Beatiſſime Pater, ex quo Eremitam quendam cum noſtris literis, pro negotio conſtruendi, ſi Deus tandem dederit, celeberrimi hoſpitalis ad tuam Sanctitatem direximus, quem iam ad te credimus perueniſſe; *vir venerabilis Epiſcopus Caſtellanus* (1) me repente ad ſe aſciuit aſſerens literas Domini Arſenij, tuæ Sanctitatis nomine ad ſe eſſe delatas, quibus contineretur, debere eundem Epiſcopum, ſimul cum alio Epiſcopo Treueſino, ſuper negotio reformandæ Terrę Sanctæ cum mea paruitate conferre. Ac poſt competentem collationem, quemlibet per ſe noſtrum, ad ſe quamprimum renunciare, quid ſentiat; propterea quod mercatores ex Syria eum, qui nunc præeſt, poſtulauerint confirmari? Ego cum prædicto Epiſcopo Caſtellano, vt iuſſeras, quæ pro cauſa Terrę Sanctæ expedire cenſerem, ſimpliciter, & liberè contuli: nam Epiſcopum Teruiſinum, qui celeriùs hinc ad Eccleſiam ſuam profectus eſt, nec videre pro labore quotidie prædicandi, nedum alloqui potui. Poſt longam verò confabulationem, nolens mihi Caſtellanus Epiſcopus de ſuo ſenſu aliquid aperire, monuit, vt iuxta præceptionem tuæ beatitudinis, apud te ſenſa mea meis literis velocius propalarem. Quod ego, quamuis ſuperfluum putem, paucis tamen, vt tuæ beatitudini paream, curabo diligenter efficere. Ac principio quidem, proſtratus veſtigijs tuis, pluſquam dici poſſit admiror, quanam ex cauſa poſtulet literis ſenſum mei animi de reformandis Sanctis locis Sanctitati tuæ exponere, quem toties, coram pedibus tuis poſitus, apertius explicaui, videri ſcilicet mihi, vt probus quiſpiam ex noſtra Religione abs te locis Sanctis præficeretur: quoniam id fieri debere,

Terræ

Terræ Sanctæ calamitosa, non tam murorum, quam morum ingens, & ruinosa necessitas postularet: Tu verò, B.P. opinor, vt mitis, cum nolles alienorum non rectè factorum auditu pias aures tuas affici, non me interrogasti, quæ illa esset morum calamitas? Ego autem apud Apostolicum non sciscitantem nequaquam censui mihi aliena exaggeranda facinora, ne detractoris aduersus proximos meos impurissima labes nomini meo adscriberetur: præsertim cum his, quæ postulabantur, te facilè assentiri conspicerem. Nolui, fateor, cum non esset necessarium, cuiquam putari detrahere; sed ne nunc quidem contra quempiam, vel calami, vel linguæ laxabo prorsus habenas: tantum hoc dicam, ne impositæ mihi obedientiæ desim, illum, qui huc vsque Sancta loca Hierosolymæ regit, bene gubernandæ familiæ Seruorum Dei, vsque adeò esse aut ignarum, aut omninò nolentem, quorum alterum imperitiæ, alterum fragilitatis, vel malitiæ est; vt si illum censeas confirmandum, tanquam nauem desperato gubernatori, periculoso naufragio perituram, ita loca Sancta, & Seruorum Christi familiam inepto illi administrandam commiseris, tanto maiore iactura, quanto animarum, & morum, quam corporum, atque rerum damna luctuosiora esse non dubium est. Si horum causas scire voles, cum tandem iusseris, aut scribam, licet inuitus, aut coram tuæ cuncta Sanctitati exponam, & tunc videbis perspicuè, quæ mea fuerit modestia in alienis vitijs subticendis, quæ veritas futura in me sit in perditorum conuicijs explicandis. Interim quoad tua nos iussio magis vrgeat, per Romanæ fidei grauitatem, per Sedem, cui præsides, Petri, per dignitatem tui Principatus, per potestatem clauium Regni Cœlorum, te vehementer obtestor, vt veterem illum gubernatorem, tot iam annis sine reprehensione vllius insolentem, atque inter barbaras Saracenorum nationes, à censura tua tam longè remotum, sed non sine barbaris moribus diu versatum, à Terra illa Sancta amoueas, reuoces, & propellas: ac præesse fratribus ambientem, etsi non dignè punias, saltem ad Italiam reuoces, quamuis si seuerius ageres, in locum eum quempiam detrudendum, haud dubium, iustius relegares. Virum autem venerabilem nostræ Religionis *Gandulphum Siculum* (2) quem eisdem Sanctis locis religiosè administrandis verè vtiliorem, & salutari consilio paulò ante constituisti, confirmes, cogas, ac tueare: quamuis illum quidam, quos noui, & quo animo noui, de quibus quædam tibi referet hic perlator, nouo præstigiarum genere, ab officio depellere moliantur; sicut & Nicolaum Osmensem magno cum dedecore hactenus abijcere studuerunt. Nec apud te plus valeat B. P. emendicata, ne dicam redempta, ab illo mercatorum Syriæ supplicatio, quam Sanctorum fratrum iustissima postulatio, quorum tibi honesta desideria vir iste fidelis, ac nostrarum baiulus iustissimè explicabit: scit tua sincera Sanctitas, cum sis in Seruorum Christi cœtu penè à puero educatus, quantum inter se differant verorum Seruorum Dei sapiens, & exploratum de Religione iudicium, & sæcularium hominum stulta suspicio, carnalis prorsus mundanorum sententiæ non minoris insipientiæ tenebris

nebris obuoluta, vana vulgi, ac negotiosorum existimatio. Quorum tamen necessitatibus, quoad curationem attinet animarum, & in ipsa omni Syria, atque in tota Aegypto salutarius satisfaciet sapiens quilibet, sobrius, & modestus: qui etiam fratres sanctiore institutione nouerit gubernare, quam insipiens vnus aliquis, & ganeo furibundus, disciplinæ peritioris penitùs expers, & qui reliquos nescierit, cuius ipse exterioris est vitæ sanctimonia exortes efficere. Si præterea, quidem nescio, Episcoporum sententia à nostra dissentit, pace eorum, vetus tibi prouerbium replicabo: Vnumquemque sui doloris magis conscium esse, quam alieni, & neminem esse, cui non sit notior sua valetudo, quam alteri. Nam sæpe præter me vnum scit sanè nemo, etiam Physicus peritissimus, qua parte doleam caput. Pro hac certè causa risum esse rusticum quendam imperitiæ, vel potiùs stultitiæ vulgo referunt: quem cum Medicus defessum doloribus solicitè rogaret, quid plus doleret? Heus, inquit, sine vllo meo narramine Medicum non decet ignorare quid doleam? & eleganter sane noster Hieronymus: Legimus, ait, quendam apud Romanos nobilem cùm eum amici arguerent, quare vxorem formosam, & diuitem, & castam repudiasset, prætendisse pedem, & dixisse eis: & hic soccus quem cernitis, videtur vobis nouus, & elegans, sed nemo scit præter me, vbi me premat. Ita prorsus B. P. ingenium meum est, vt de aliena Religione ad purum, & sine vllo penitùs errore, neminem, quamuis religiosum hominem, credam rectè censere; cum sæpe contingat, vt de ea, in qua fuerit, ad extremum spiritum educatus, sapientem & probum virum à vero longius aberrare. Si ergo tua Sanctitas volet fieri certior, quid efficere debeas de homine, quem prouocaris, vt pro gubernatore in Sanctis locis diutius habitaturum confirmes, iube districtius, vt tua præceptione fratres omnes, qui cum eo ibidem versati sunt, tuo conspectui præsententur, atque eos coge ne mentiantur; sunt enim in Italia, qui eum redire nolint, *tanta est conuersationis eius suauitas* (3) Sunt item qui inimicitias furoris eius formident. Sunt deinde qui, nisi vocentur, ignauia quadam pigri, nec pro veritate, quamuis periclitetur, foras prodire audeant. Sunt præterea qui ei velint, vt cum eo inaniter aliquando lætentur, periculosius assentari. Sunr insuper quos mendacijs deceperit, ne vera cognoscant. Sunt insuper quos beneficijs deliniuerit. Sunt postremò quos, non dicam pretio, sed precibus ipsis redemerit, ne vera contra se dicant. Hi autem omnes, aut penè omnes, vera aduersus eum non liberè fatebuntur. Sed mala communis iacturę etiam perniciosæ tacebunt, dicentes: fiat tantum pax in diebus nostris: coge ergo omnes iurare ne mentiantur; immo adiura, atque interminare, ne mentiantur, sed quæ vera sunt, simpliciter, & apertè profiteantur: & liquido prouidebis quam sint vera, qnæ narro: Hoc autem de his, qui inde iam ad Italiam redierunt. Reliquis autem, qui adhuc Hierosolymis vitam amariorem cum suspirijs degunt, quo sint affecti mœrore ex eorum literis cognoscere poteris; quas iste nostrarum portitor illorum scriptas, & manu, & nomine ad te

afferet. In quibus quanta abs te diligentia curari se flagitent, eorum humiles precum instantiæ, per se clamitant. Hæc cum ita se habeant B. P. & illi Sancti viri, & ego peccator, cum eis pariter exoramus S.T. instantius omnes fratres, qui in Domino Sancta loca, ob passionis Dominicæ reuerentiam reformari satagimus, vt sicut instituisti animo, ita diligentius illa cures: quo possint, qui cupiunt, sub Sancto aliquo capite, quem elegeris in disciplina Religionis Christo vacare, in feruore Sanctitatis, & amore pietatis nostræ salutis illic acta Sacramenta recolere, atque in pace tranquillæ degendæ vitæ Domino quietius militare. Ex Venetijs 1438.

N O T Æ.

Nota I.

Vir venerabilis Episcopus Castellanus, & post *Episcopo Taruisino*. Isti duo Episcopi fuerunt, Castellanus quidem B. Laurentius Iustinianus, & prius Canonicus regularis S. Georgij in Alga: Taruisinus autem Ludouicus Barbus ex ordine S. Benedicti, prius Abbas Patauinus S. Iustinæ, vterque nobilis Venetus. Quos etsi religiosissimos, & magni nominis viros, à mercatoribus tamen Venetis in Syria persuasos, vt alium nobilem ciuem suum, quem alij amotum cupiebant, in Terræ Sanctæ gubernio perdetuare conarentur. Albertus sanè vel sciuisse, vel metuisse videtur. Vnde ipse Pontifici serio suadet, vt neglecto in re Religionis mercatorum Syriæ iudicio, vel affectu, auocaret potius ipsos proprij ordinis religiosos, qui hominis ineptum regendi modum præsentes experti sunt, & melius omni alio quantumlibet religioso, & integro viro sciebant, quid sibi in proprio capite dolebat.

Nota II.

Gandulphum Siculum. Vide quæ de bono hoc viro, ac tota re diximus, in vita Alberti.

Nota III.

Tanta est conuersationis eius suauitas. Ironicè dictum, cum asperitatem intelligi voluisset.

EPISTOLA LIV.

IVLIANO CARDINALI S. ANGELI. (1)

ARGVMENTVM.

Huic Principi de negotio Terræ Sanctæ longam Epistolam apud se exarauit Albertus, quam ob rationes mittere differt: propterea breues has mittit cum aliquo viro venerabili, cui rem fusiùs exposituro fidem haberi, & rem ipsam per Cardinalem curari rogat.

Lon-

L*Ongam ad te Epiſtolam*(2) exarauer am, Iuliane vir Illuſtris, quam necdum emendatam, partim pro feſtinantia perlatoris, partim alia quadam ratione, quam cum voles exponam, nunc mittere diſtuli. Interim breuem hanc ſcedulam, ſicut me præſentem pro tua ſoles humanitate, læta fronte ſuſcipito: nec minore hilaritate baiulum illius excipiens, vt ei in his, quæ honeſtè poſtulaturus aduenit, & tuæ claritatis vetuſtiſſimo more, & ſuæ virtutis merito, & noſtri erga te amoris, atque honoris rationem, te facilem exhibeas, oro. Eſt enim ea cœleſtis lenitatis interiùs Sancta vnctione perfuſus, quam per manſuetudinem, vt videbis, homo etiam illius exterior diſſimulare non queat. Quare dignus eſt, qui abs te audiatnr attentius, & cui quæ noſtro, & quæ ſuo, ac Seruorum Dei nomine explicabit, haud dubium vera eſſe concedas. Exemplaria ſanè literarum, quas *nuper ad Papam Eugenium ſcripſimus* (3) huic Epiſtolæ interclуſa, tibi nunc legenda, ſicut faciendum antea conſtitueram, mitto, vt vel paruam occaſionem habeas meditandi, quod ſint tibi, vt Patri, loca iſta ſublimia Terræ Sanctæ diligenter, pièque curanda. Vnde etiam ea pro ſuauitate, ac dignitate noſtræ illic actæ redemptionis ab importunis tuenda penitus arbitreris: quamuis meo iudicio, ſi per literas prouocari ad hoc poſſes, qui tua ſponte curris, concitatior certè, atque ardentior fieres, ſi quæ dictaueram, nunc ad te mittenda putaſſem. Verum dilationis, vt opinor, non inſulſa ratio eſt. Vale & exiguitatem meam vnicè dilige, qui te & digno amore complector, & alto cordis honore ac reuerentia proſequor, Domine eximie, & meritò honorabilis Pater. Ex Venetijs 1438.

N O T Æ.

Nota I.

Iuliano Cardinali. Hic fuit Cardinalis Iulianus Cæſarinus, Romanus, vir eximius, ac toti Vrbi ſuo tempore notiſſimus, pluribus, & magnis titulis doctrinæ, prudentiæ, aliarumque virtutum, & rerum pro Eccleſia in Oriente, & Occidente geſtarum meritis, verè magnus, quæ in eius vita celebrant Ciaconius, & qui eum Commentarijs auxerunt, alijque Sacri Hiſtorici. Is in Concilio Baſileenſi ſub Martino V. & Eugenio IV. PP. Legatus cum aduerteret eum cœtum multa in Eugenium, & Pontificiam poteſtatem indignè moliri, ijs deſertis in Italiam ad Eugenium acceſſit, & Florentinæ Synodo, Ferrariæ primum ſedenti interfuit, vbi præter egregiam operam Græcorum vnioni impenſam, Eugenius eum peculiarem Terræ Sanctæ protectorem inſtituit. Et hoc nomine Albertus hanc, atque ſequentem Epiſtolam de rebus Sacrorum locorum promouendis ad ipſum direxit, vt pro ſua hac authoritate, malis remedium adhibere vellet; & ille negotium ad Alberti votum, & maximam Sacrorum locorum vtilitatem, denique perduxit, eo modo quo in Alberti vita factum narrauimus.

Nota II.

Longam ad te Epiſtolam. Eſt quam præſenti immediatè ſubijciemus, contra Quæſtuarium, præcipuum Terræ Sanctæ malorum machinatorem.

Nota III.

Quas nuper ad Eugenium Papam scripsimus. Est quinquagesima tertia Epistola superius descripta.

EPISTOLA LV.

EIDEM CARDINALI S. ANGELI.

ARGVMENTVM.

Postquam Albertus primùm ex officio lustrasset Sacra nostræ redemptionis loca, semper deinceps exarsit zelo melioris in eis constituendi regiminis, & conuersationis regularis. Quæ, cum à bono capite plurimum dependere sciret, egit pro præficiendo Auximano, quæ binis iam productis Epistolis explicata sunt. Nunc verò, cedente Nicolao, substitutus est alius vir bonus, eiusdem Sodalitij Obseruantiæ, Gandulphus Siculus; at qui excludendo Auximano studuerunt; huic etiam constituendo obnisi sunt. Albertus ergo videns desiderium suum, hoc est Sanctissimorum Christi monumentorum, non tam murorum, quam morum restaurationem his artibus iterum præpediri, statuit necessarium tandem remedium, securim ad radicem apponere. Igitur probè gnarus turbarum fontem, & fomentum fuisse ineptum quendam Terræ Sanctæ Procuratorem, quem proinde Quæstuarium vocat, hanc Epistolam scripsit ad Iulianum Cæsarinum Cardinalem S. Angeli, & Ferrariæ nuper in Sacra Synodo constitutum Terræ Sanctæ Protectorem, vt homuncionem illum Sacrorum locorum ruinæ magis, quam rerum prouisioni aptum, amoueri omninò curaret. Totus est in describendis miseri nebulonis turpi vita, malis artibus, maioribusque malis, quæ Terræ Sanctæ locis, & Christianæ Religioni, inde timeri poterant, si remedium efficax non apponeretur: qua occasione cuiusdam Sinaitæ Monachi, & Sergij illius damnatæ memoriæ Magistri Mahometis Apostatarum exemplis demonstrat, nullum esse malum tam ingens, quod non pariat malorum Lerna, & mater ambitio; de quo plura, & pulchra Cyprianus de ieiunio, & tentationibus à num. 5. vsque ad finem. Sed tanti studij, & conatus Beati viri fructum si curiosus lector desideret, videat historiam vitæ ipsius supra Cap. 14.

POst priorem *superioris anni*(1) prouisionem, vir insignis, & merito præstantissime Domine, qua Nicolaum Osmensem Sanctis redemptionis nostræ locis, sublimis Beatitudo Eugenij Papæ præfecerat, iterum secundo eius eximia Sanctitas, calamitatem Terræ Sanctæ miserta, de altero gubernatore censuit prouidendum. Quamobrem nuper illi, vt scis, salutari consilio visum est, virum venerabilem nostræ

strae Religionis, *Gandulphum Siculum* (2) eisdem locis religiosè administrandis, Patrem omnium Hierosolymae instituere, quod & fecit; sapienter id quidem, & omninò Christianissimè. Verùm hunc probatissimum virum, Gandulphum nostrum, quidam, vt audio, nouis praestigijs ab officio depellere moliuntur, sicut & Nicolaum maximo cum dedecore hactenus abijcere studuerunt; quorum iniquis persuasionibus Beatitudo Domini Nostri Papae pene iam assensa videtur: nulla quidem nequitia corrupta, sed tantùm malitiosae illorum circumuentionis, absque omni vitio illius, ignara; nec tamen sine mendacio talium fallentium perniciosè decepta.

Quae cum ita sint, me peccare non credam, si fontem tibi erroris huius ostendero: immò verò de iactura silentij, apud te male mereri existimem, si malitiam decipientium occultauero; tibi praesertim, qui & obesse vlli non cupis, & prodesse potes, nec dubito, quin etiam velis. Verùm illa potior ratio est, propalandae à me tibi Sanctorum locorum iacturae, quod pro deuotione Terrae Sanctae quam habes, & pro affectu nostrae illic actae redemptionis; cum te Patrem fratrum omnium, in ea terra habitantium, vel potius peregrinantium, in Concilio Ferrariae commorantem flagitaremus, tu magna humilitate, & Sancta pietate, & vera charitate, patronum semper futurum humanissimè obtulisti. Indignum igitur censeo, si te lateat, vnde origo tam variae mutationis, & fons ipse turbulentissimus manat. Dicam itaque, pro tuenda veritate, quae mihi pro modestia vitandae procacitatis, & fugiendae detractionis visa sunt hactenus silentio contegenda.

Caput totius causae, in qua toties, & tanto iam tempore, Sanctorum locorum reformatio agitatur, penes quendam insolentissimum residet, quem Procuratorem Terrae Sanctae, sane non necessarium quidem futurum, imprudentes ante aliquot annos instituerunt. Hic est, de quo apud tuam eximietatem aliquando sermo est à me habitus, qui à puero gregarius miles extitit, vel potius de turba plebis vile mancipium, non integer ab his vitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Is cum valde iactandae potentiae insolentia semper fuerit elatus, atque hucvsque in comminando ferus; ad gerenda tamen, quę militis virtutem probarent, nemo ignauior, in stabulo quam in bello assuetior; amicitior tabernae, quam praelio; accommodatior sternendis animalibus, quam experiendis viribus, atque equorum frenis, imo coquorum verubus versandis, atque exhauriendis gulae partibus aptior, quam aut telorum ictibus excipiendis fortior, aut saeuis mucronibus in hostem ferendis audacior. Hunc tandem nequaquam Religionis amor, sed metus forte viuendi cum relinquere saeculum compulisset, religio quaedam à callidè fallente decepta, malè de illo habitura, excepit.

Mentior, si non vita illius nefaria testis est. Nam nullo ordini Clericatus insignis Sacerdotem non aestimat, nullo gradu sublimis maioribus subijci dedignatur. Stultus iam Senex, non Senes sapientes honorat, ignarus non eruditos veneratur, non patribus defert, Sanctimonia nitidos infamat, deuotos ridet, zelo Religionis accensos, fatuos vocat. Quos

verò

verò ſibi conciliari cupit, miris aſſentationibus decipit: quos ſuis vitijs iratos nouit, ſi fallere poſſe ſe putat, muliercularum eos lacrymis flectit: ſi non putat, vel clam eis eos carpit, vel palam eos, non deprehenſus, mendacio fallere ſatagit; deprehenſus autem negat. Nulli verus, ſapientibus multiplex, ſimplicibus ſagax, omnibus mendax. Huius, præter reliquas leuitates, Græcorum more, omnis magna Barba ingens gloria eſt, in veſtitu vanus, in inceſſu temulentus, in ſermone varius, procax, inconſtans. Gloriatur in neſcio quarum bullarum apparatu, quas vehementiſſimè ſibi auferri veretur, ne eis priuatus, ſibi vana, & diſſoluta pro voto vagandi, ac fallendi præripiatur facultas.

Eas, vt arbitror, à Concilijs, atq; ab ipſa Petri Sede, aut importunus extorſit, aut fallens ſubripuit, quibus tamen fretus, intra Gallias, atque Hiſpanias, Alamanniam, & Italiam, Vrbes, Oppida, Vicoſque omnes, Quæſtuarius impudens perluſtrans, ſolus quidem à fratribus, ſed comes diſſolutorum, eques pompaticus, Prouincias diſcurrit, domos penetrat, voluntarios expoliat, ab inuitis extorquet, cautos etiam faſcinare contendit, propriam pietatem ſimulat, qua vacuus eſt; alienam paupertatem oſtendit, quam falsò mentitur; Religionem Terræ Sanctæ mentibus ingerit, quam perſequitur; *neceſſitatem Sanctorum locorum iurat, quæ nulla eſt* (3) nam pro fratribus ſuſtentandis Chriſtiani Peregrini alimoniæ pluſquam ſatis Hieroſolymæ afferunt. Pro muris verò ædificandis, ſi tandem facultas detur, vnus ſolus prædiues in Italia pius ciuis ſumptum omnem erogare paratus eſt. Perſpicuè igitur irreligioſi hominis huius diſcurſus inanis eſt, vbi nulla alimentorum cogit neceſſitas, ſuperflua quærere: immò vbi inſatiabilis vrget cupiditas, egentium eleemoſynas vſurpare, pauperum vitam crudeliſſimo furto prædari, ſurripere, populari.

Quoniam ergo, Iuliane vir Illuſtris, Si Hieroſolymæ homo integer quidam præficiatur, aſtutus iſte circumforaneus, ab illo ſuo veteri vſu vagandi cohibendus eſt: &, quod ſatius eſt, penitùs abrumpendus, à delicijs verò voluptatis, quibus ſine reprehenſore effuſus inſoleſcit, arcendus, atque ad humilitatem obtemperandi, quam neſcit; ad viuendi certum ordinem, quem ignorat; ad aſperitatem Religionis, quam hactenus abiecit, compellendus, traijciendus, & tanquam inanis bellua furibundus, *Hipocratis vinculis*, vt dicitur, *alligandus*(4) Ideò, vt paulò ante dixi, rabula iſte inquietus, cauſam totam Terræ Sanctæ importunius vexat, inquietat, abrumpit; nunc illum muneribus corrumpens, nunc alterum mendacio circumueniens, modo fletibus duritiem ſe non cognoſcentium leniens. In compitibus impudens adſtat, inſolens aulas magnatum incurſat, importunus curias potentium frequentat, forum inquietus diſcurrit. Huic itaque plus monſtro quam homini, aduerſus Religionis, & honorem, & honeſtatem crudelia bella gerenti, quis bonus rerum æſtimator, & ſanæ mentis verus arbiter, non cenſeat, æqua iuſtitiæ lance ſeuerius occurrendum. Sed & hoc munus, Iuliane chariſſime, tuum eſſe quis neſciat.

Si igitur optas, grandiora tibi merita cumulari, ſi Sancta loca per huius

ius digno odio inſectandam inſolentiam decolorari non cupis, ſi vis noſtræ Religionis glorioſam inediam conſeruari; *habentes enim alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus*, ſi multorum Seruorum Chriſti feruentiſſimos animos æterna beneuolentia tibi cupis conciliare; qui hanc petulantiſſimam, tam vilis auaritiæ, quàm prodigæ effuſionis occaſionem, mira animi inſolentia aſpernantur; Te rogo, mi Iuliane Pater, te per noſtrę ſalutis pretioſa Sacramenta obſecro, & obteſtor, vt apud Beatiſſimum Eugenium Papam diligentius agas, quo iſtum inuerecundum, atque inſtabilem Helluonem ab illis ſuis vagis, ac varijs diſcurſibus æſtimet compeſcendum, qui profeſſione mendicus, ſitim quærit auro extinguere, qui Euangelicam paupertatem commaculat, qui Religionem fœdat, qui mentes vulnerat, qui ſcandala ſerit, parit mendacia, concitat iras, fouet ambitiones. Quid plura? ſi illum forte offendas, potentem quendam, atque potantem, ſed periculo occurſantium crapulatum è veſtigio iudices: qui aſpectu ipſo teterrimo, vinariam potius temulentiam ſpirat improbiſſimi cauponis, quam deuotam Religionis redoleat grauitatem.

Nam huius literis prouocatus is, qui nunc Hieroſolymæ prę́ſidet, ambit, ſuſpirat, veretur, ne ſibi vir probus quiſpiam ſubrogetur; quo metu territus redimit quotidie mercatorum Syriæ tam vilia quam emendicata ſuffragia, quæ pro ſe ex Oriente ad Pontificem Maximum deferantur; minatur præterea ille talis, per hunc talem, ſe tandem iratum hæc, & illa facturum, ſi quiſpiam fuerit auſus eum loco depellere. Veniat, inquit, Hieroſolymam licet digniſſimus, mittatur à Papa, viderit cui facile cedam. Nec ſatis eſt blaſphematori, vt optimè noſti, clariſſimorum Martyrum, Confeſſoribus Chriſti detrahere, & qui illos diligunt mendaciter infamare, atque aduerſus eorum, immo fidei defenſores falſa confingere, niſi etiam contra Chriſtianam Religionem prophanus, ſed de communi tandem fide ceſſurum ſuſpicionibus comminetur. Neſciunt, inquit, iſti qui me mea dignitate pelli procurant, quid faciat deſperatio. Atque, vt apertè intelligamus, quid dicere velit, breuem, & elegantem, ac verè ſe ipſo digniſſimam retexit hiſtoriam. Quam ſanè cum horrenda fidelibus, fugiendaque ſit, huic Epiſtolæ non insererem, niſi eam poſteris vtilem futuram exiſtimarem.

Ad fugiendæ ergo, vitandæque exemplum perfidiæ ſingulare, cui, nec raro quidem, par aliud æquari ſoleat, eam nunc tibi narrare verbis pauciſſimis pergam, vt proſpicere omnibus liceat, quovſque periculorum, quovſque ruinæ, quovſque cœcitatis, ac perfidiæ ſoleat imperandi cupiditas humanam mentem, ſtultam quidem, ac temulentam immergere, gurgitare, proſternere: cum eam ad mortalem, perituramque gloriam ambientem, honorum amor poſſederit. Accipe ergo breuem, ſed lugubrem hiſtoriam. In Syna, inquit, monte, quo lex diuinitùs data eſt, Græcorum vetus monaſterium extat, vbi ex Monachis, quos Caloyros vulgus appellat, quidam paulò ante fuit, vir ſanè, qui alterum ſe ipſo non facile inueniret deteriorem. Is à reliquis Monachis, neſcio quo exagitatus conuicio,

iicio, cum Christianam fidem penitus abiecisset, vnus ex Saracenorum militibus factus est, qui apud Arabes, Mammaluchi vocantur.

Cum igitur abnegatus iste acerbè subiratus, vicem inimicis Monachis statuisset rependere, obtinuit precibus à Tyranno Aegyptiorum, ac super Monasterium, vnde iam Apostata factus fuerat, magnam extruxit Saracenorum Ecclesiam, quæ communi vsu Syrorum, aut Moscheta, ant Chiniscia dici solet; Hoc eo animo homo perfidiæ in probrum Christi, & decus Christianæ Religionis effecit, vt qui iniuriam vindicare, quam obliuisci malebat; Arabum more, clamoribus, & maledictis, Monachis hostibus esset infensus; sicque factum est, vt ex hoc vno homine, aduersum reliquos Monachos, tanquam in magna Sylua ex parua Scintilla magnum conflaretur persecutionis incendium: quoniam inexpiabili odio eos, qui se hactenus cum eis Monachum lacessiuerant, mille molestiarum generibus impacatus iste statuerat insectari. En igitur, inquit, quo peruehat animum desperatio.

Nunc verò, mi Iuliane, quis sapiens, & intelligens hæc: vides enim quam obscura sit fabula, & vnde perfectum sensum, etiam perspicaces, ac sudantes elicere vix possumus. Sed tandem fortasse solis sapientibus, magnum post laborem, atque industriam, adiuncta etiam oratione, tanquam de Propheticis oraculis intelligere detur, istum ornatissimum hominem, tam elegantem historiam, non stylo, cuius est ignarus, sed aureo ore narrantem, & lacteis sermonibus recitantem dicere velle, se defecturum à fide, negaturum Christum Dominum, abiecturum Religionem. Atque vt sciat nos altiorem verborum eius intellectum aliquando assecutos, potuisse penetrare tanquam de secretis, & latentibus foueis, abditos sensus illius velut serpentes regulos ex abstrusis eruere conati, apertiùs quid sentiat proferemus.

Attendite, obsecro, diligentius ò boni fideles, quos sensus habeat iste Propheta. Hic enim est sapientia iuxta Apocalypsim Ioannis. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ: Audite me apertioribus verbis interpretantem, quid dicere velit. Hic est sensus eius qui habet sapientiam, scitote Christiani, me superbiùs regnare volentem, nec valentem, iam iam pœnituisse, quod vnquam fuerim Christianus, & perennem salutis fontem velle deserere, idest, credite me, propter honoris mei quamuis solitam in alijs Sanctis viris mutationem, baptismum planè respuere, communionem abijcere, Religionem mutare, non in Sacratam quandam, sed sacrilegam sectam perfidiæ, & hoc tenete, si non mihi meus restituatur, & confirmetur honos, me Apostatam perfidiorem futurum: etiam si paulo asperius agitato, dignitatem mihi tanti Principatus, quo nefariè abutor, curabitis auferre: ò Christianæ Religionis zelum, Iuliane vir insignis, qui torqueat digno supplicio tam superbæ ambitionis affectum, qui priuet in delicijs quiescentem, qui extinguat, exhauriat, necet, honorum longa suspiria, & periculorum ingentium perniciosa fomenta.

Nam quid est hoc aliud comminari, quàm se ipsum malefico illi Sergio similem profiteri? Quem siue

Nesto·

Nestorianæ hæreseos, siue Romanæ Ecclesiæ, vel vt alijs placet, Antiochenæ, sed Iacobitarum dogmatis Clericum, aiunt perdito illi Mahometo ex latibulis responsa de futuris, tanquam Diuina oracula solitum exhibere. Et quod mendosius est, non terreni hominis vlla fallacia, sed veritate cœlesti: cum dolosum eundem Sergium, ipse Mahometus Angelum Gabrielem, diuinitùs ad se missum, ex abditis ad se loquentem assereret, qui sibi reuelaret secreta, qui de futuris se admoneret, qui præberet populis præcepta salutis. Atque adeò homo impurus, eiùsmodi præstigijs, gentem in Arabia simplicissimam, prudentiæ exortem, literarum ignaram, & tantæ malitiæ nesciam, crudeli imagine Sanctitatis, tanquam imago bestiæ dolosæ deceperit, nullam sane ob causam, vt fertur, nisi quod dignitatem quandam honoris, ad quam superbius ambiebat, pro voto in Catholica Ecclesia, vel alio quouis loco, ipse Sergius nequiuit acquirere. Qua ex re vehementiùs indignatus, mari transmisso, in Arabiam se contulerit; vbi nefarij Mahometi, & imperiti vulgi institutorem, velut erroris improbissimi, spurcissimique fomentum se tandem præbuit, eo nostræ fidei magno dedecore, & Christianæ Religionis summa iactura, vt quod lugentes aspicimus, exempla quæ paria detrimenta nobis intulerint, non facile suppetant, quamuis ea censeas ab ipso penè orbis initio repetenda.

Nam non dico, quem dabis quondam fuisse, sed quem deinceps fore putabis, qui vnquam temporis, & vsquam locorum, tanta mala, & tantorum maximè annorum Christi Ecclesiæ importarit, sicut ille parricida, & proditor Mahometus, iam octingentos, & eo amplius annos, damnis lugendæ populationis Christianos affecit? nonne nostra hac tempestate, etsi flentibus oculis, & summo animi mœrore confectum videmus, vt abiecta Euangelica, atque Apostolica veritate, puritate, Sanctitate, grauitate, Saraceni, Turci, Barbari, Tartari, gentes profanæ orbem penè totum possideant? vbi sub lege sacrilega carnalium præceptorum quis enumeret turbas, aut turmas vulgarium populorum, vt taceam nobilissimas regiones, Regna, Prouincias, Persidem dico, atque Aegyptum, Syriam, Iudæam, Arabiam, Palestinam, & præter Occidentales oras, quæ adhuc in Trinitatis recta fide Christum Deum, & Redemptorem vel ore fatentur, omnes penè Aquilonis, & Orientis Africæ, idest Meridionales plagas vsque ad Hispanias fœda pollutio inquinatæ legis infecit.

Prætereo veteres, & pręclarissimas Vrbes, Babiloniam, Alexandriam, Carthaginem, atque Athenas, & in ipso toto corpore Gręciarum, ac totius orbis quot, & quantę extitere Christiana pietate sublimes, insignes, & ornatissimę Ciuitates, quę tamen & ipsæ in egregijs quondam ciuibus, abnegatæ, præreptaque pietate fidei, à veritate Religionis, impietati deditæ resciuerunt. Cuius profecto omnis deditionis, tam Vrbium nominatarum, quam maximæ partis, sicut breuiter descripsimus, orbis, vt ad propositum aliquando reuertar; tota & causa, & caput, & male iacta fundamenta ab ipsa appetentia principatus exorta sunt. Vnde in ipso perditissimo Sergio, de quo

sumus diutius quam putabam locuti, tanta & tam nefanda fidei detrimenta, tanquam de barbaro aliquo inferorum, & tanquam de semine diaboli duxere principium: quin & ipsum detestabilem Sergium miserę, quidem sed non miserandæ superbiæ cæcata ambitio tantum extulit, vt pro amisso fumo vani honoris, in occasionem tam ingentis gloriæ Deo præripiendę, immo iam præreptæ, & damnandarum funditus nullo numero animarum materiam se se dederit, quia dignitatem terrenæ sublimitatis, quamuis fugaci pernicitate labentem, cum damnis communibus, & priuata iactura impacato animo, vendicare non habitam, quam cum salute omnium maluit aspernari.

Hoc memorabili exemplo extollentiæ, atque ambitionis, Iuliane clarissime, si rectè sapere, quam insanire malimus, fundamenta nobis humilitatis tutissima iacienda sunt, & omnis est aspernanda gloria sæcularis; ne quos inaniter iuuat efferri, aut mundum adepti, aut amissi honoris perniciosa tristitia prouocati, ac mero venenatæ appetentiæ, & stultæ promotionis incensi, ad ea malorum genera deuoluamur, in quæ solet omnis mortalis gloriæ malè appetens, difficile tandem eripiendus, contrudi, vel fortassis nunquam eripiendus præcipitari. Nam quid est aliud dominandi libido, nisi gurges flagitiorum? quid principandi amor, quàm puteus immanitatis, & scelerum! quid oblectatio imperandi, nisi peccandi cum impunitate licentia? quid denique est voluptas subijciendi, nisi opportunitas sæuiendi? etenim qui gradus honoris erat hactenus Christianis penè omnibus oneris, ad communia tantum commoda, quamuis summo cum labore, sudoreque percipienda; nunc præter admodum paucos, factus est omnibus libertas satiandæ luxuriæ, prædandi facultas, & tumoris occasio.

Quamobrem vt ab hac labe periculosæ superbiæ, absque alijs vitijs liberarentur ex nostro ordine fratres, magnum, aduersum hoc præsertim flagitium, studium fuit Patribus, & religionis nostræ maioribus, ne ambitiosus iste, per cuius fabulæ occasionem tanta iam diximus, nos contra se garriat noua figmenta moliri: commentitia inusitata confingere, insolita decreta componere. Non nė iam olim in nostro ordine vetus mos est, vt quamuis præclari Prælati Hierosolymæ, atque in eius Sanctis locis præfuerint (nam de reliquis taceo) post tertium tamen euolutum annum, nouis illuc missis, veteres ad Italiam reuocentur; ne quod est humilitatis officium, nimio vsu dominandi, atque imperandi, in vsurpati veluti principatus tyrannidem conuertatur: quamuis non dominari dicendi sint, etsi diutiùs ex officio imperent, qui nulla superbia elati, & per Christi iustam mansuetudinem, mansuetamque iustitiam fratribus seruientes humiliter, atque obedienter minoribus præsunt.

Verùm, quia properamus ad finem, mi Iuliane charissime, hoc est præcipuum, quod apertè profiteor, vt scilicet hæc omnia mala, quæ diximus Hierosolymis, atque in Italia, ita se habeant, illius improbissimi quęstuarij detestabile studium esse in causa, atque ea tota, in cuius describendis pręclaris moribus, vel potius teterrimis morbis, ab ipso penè exordio, pars Epistolæ nostræ consumpta est; quamquam omnes

in

in eum reliquas eius partes conuerti, & velim, & poſtulem. Rectè etenim omnis in eum conferenda cauſa eſt, qui cauſæ totius caput extiterit, omnis, inquam, controuerſiæ huius de Sanctis locis, & malorum principium illius ipſius nimia, atque aſtuta cura, damnabili vigilantia, fraudulentaque opera ortum eſt, totumque illa infracta, ſed perniciosa diligentia, cum diſcrimine, dedecoreque effecit, qui quos putat ſe poſſe decipere, eos male ſollicitus conuenit, eos adit, pulſat, prouocat, diſcurrit, fingit, fallit, mentitur.

Supereſt ergo, Iuliane vir inſigniſſime, vt tuo ſtudio, & Chriſtiana pietate fretus, hunc, de quo mihi pro communi ad te vtilitate Sanctorum locorum ſermo iam prolixior habitus eſt, ex tanto temeritatis ſupercilio cenſeas deponendum. Quod nullo modo, quantum opinio mea fert, commodius efficere poteris, quam ſi eum illis quibuſdam literis, & bullis; falſis quidem, atque fallentibus, priuari procures: in quas tanquam in ſuæ fidei validiſſimum argumentum, & certiſſimum teſtimonium, atque, vt veriùs loquar, ſicut in miniſtras cupiditatum ſuarum, ſpem omnem videtur inanis gloriæ collocaſſe. Hoc ſi feceris, erit tunc operæ pretium, audaciam peſtiferi hominis à ſuæ voracitatis inſania depuliſſe, in cuius quæſtum inſatiabilem dolemus, vt de reliquis prouincijs ſileam, totam eſſe conuerſam Italiam. Erit iucundum deinde, Religionem noſtram turpiſſima per hunc egentium extortione vexatum, à dedecore fœdæ infamiæ & nominis nefandi eripuiſſe. Erit poſtremò ſuauitas innocentibus, Sanctiſſima illa loca iam eſſe tandem ab huius monſtri barbarici, & publicæ peſtis dominatu impio liberata, & pacis, atque honeſtatis, pudoris, & temperantiæ ornamento pacata, tranquilla omnia reddidiſſe.

Quæ ſanè, & cuncta, & ſingula monſtro illi, ſi velit, ſalutis parient ingentem occaſionem, Religioni noſtræ gloriam, virtutem parſimoniæ frugalitatis, & continentiæ laudem, latèque effuſæ famæ fragrantiam, & ſuauitatem Sancti nominis afferent. Tibi denique ipſi, egregiè & merito illuſtriſſime Iuliane, honorem & merita comparabunt: ſi, quod etiam in extrema Epiſtola te rogare non deſino, compreſſa auara immanitate huius ſceleratiſſimi Quæſtuarij, eum in occaſione cupiditatis atque luxuriæ, gulæ, impunitatis, iniuſtitiæ, vagæ excurſionis, diſſolutæ licentiæ peccatorum, & nefandi omnis dedecoris, ac magni diſcriminis diutiùs manere non patiaris. Quod vt facias te iterum atque iterum & oro & obſecro. Vale.

N O T Æ.

Nota I.

Superioris anni. Huic Epiſtolæ nullam in codice noſtro inuenimus temporis, vel loci notam ſubſcriptam: ſed ex his verbis clarum eſt ſcriptam, etſi non miſſam fuiſſe, anno 1438. Conſtat enim Nicolaum anno ſuperiori hoc eſt 1438. Terræ Sanctæ præfectura donatum, eam abieciſſe, & huius anni initio ſubſtitu-

stitutum fuisse Gandulphum; nec dubito Venetijs datam, vt alias duas præcedentes; vbi nimirum Albertus tunc disponebat secundam suam ad Orientales profectionem, vnde in codice Capistranensi subscriptum inuenio *Ex Venetijs* 1438.

Nota II.

Gandulphum Siculum. Alij Gandulphum vocant, & Albertus venerabilem, & probatissimum virum. Per B. Ioannem Capistranensem, à Iuliano Cardinale Protectore missum, Hierosolymis in officio confirmatus, & stabilitus est, illis in Europam remissis, qui eius gubernio reluctabantur. Deinde per Eugenium Pontificem Sedis Apostolicæ Commissarius per Indiam, Aethiopiam, & Aegyptum constitutus est. Extat apud Marianum Florentinum eius ad Pontificem Epistola, Hierosolymis in Sacro Conuentu Montis Syon data primo Februarij 1444. quam Vvaddingus tom 5. sub eodem anno descripsit num. 54. in ea narrat Constantinum Aethiopum Imperatorem, conuocatis Principibus, & Ecclesiarum suæ ditionis primoribus, decretum vnionis in Concilio Florentino editum, solemniter publicari, & ab omnibus lætanter acceptari fecisse; celeberrimam, & minacem legationem ad Sultanum Saracenorum misisse: quo iubebatur Tyranno; vt Christianos melius haberet, eorumq; Ecclesias, quas ante destruxit, refici iuberet. Legatum deinde Cayri honorificè, & reuerenter habitum, magno comitatu, Christi Præsepe Bethleemi, & Sacrum Sepulchrum Hierosolymis adorasse: Franciscanos eorum custodes, & cultores humaniter, & amicè habuisse, & ab eis vicissim susceptum, & recreatum, sui admirationem, terroremque per omnia Saracenorum loca circumtulisse, publicum præconium à Sultano exisse, quo omnibus ipsius subditis præceptum est, vt Christianos deinceps bene, & humaniter tractarent, omnia legationis acta & effectus, lectu sanè ob raritatem splendoremque iucundissima, describit & Europeorum Legatorum abiectioni, & nimiæ subiectioni opponit; simplici quidem, sed sincero, & candido stylo. Nos Epistolam ipsam descripsimus supra cap. 14. vitæ B. Alberti.

Nota III.

Necessitatem Sanctorum locorum iurat quæ nulla est. Ita sanè fuisse, cum Albertus hæc scriberet, facile credendum suadent ipsius grauitas, doctrina, Sanctitas, & intima rerum cognitio, postquam Pontificis authoritate, & iussu, cuncta ex officio perlustrasset. Sed longè diuersus postea factus est rerum status, & conditio. Quapropter Christiani lectoris conscientiam prouoco, & obtestor, ne ex hoc Alberti loco quidquam de modernis Terræ Sanctæ Religiosis, aut eorum Rectoribus sinistrè iudicet; dum non legerit ea, quæ de ipsorum necessitate, & sumptibus, nos peculiari commentario, de locis Terræ Sanctæ scripsimus, atque nostræ Annalium ordinis epitomæ inseruimus sub an. 1342. quæ non maiori voluptate, satiandæ suæ curiositatis; quam intimo dolore, & compassione calamitatum ipsorum, & admiratione incredibilium sumptuum, quos ipsos facere oportet, perlegar. Et ego huc transcriberem, si & rem actam agere, & notas in tractatus commutare non nollem. Tunc videbit pauperes Minoritas non absq; extraordinaria Dei prouidentia posse tolerare, quæ patiuntur, nec sine causa procurare, quamquam summis laboribus, tam multa millia aureorum, quæ singulos eorum præfectos erogare cogit Turcica rabies, & auaritia, Græcorumque Schismaticorum æmulatio, & inueteratum odium in Romanæ Religionis asseclas, & propugnatores. Certè B. Alberti argumentum de Peregrinorum subsidijs ita mutatum est, vt liqueat eos multo plus dispendij fratribus adferre posteriori æuo, quàm prisco illo tempore referebant emolumenti; cum Europæi Principes, Prælati, & viri nobiles, & pecuniosi faciliori accessu, & ardentiori charitate Terræ Sanctæ peregrinationem frequentabant.

NO-

Nota IV.

Hypocratis vinculis alligandus. Hypocratis vincula videtur describere S. Hieronymus apud Guallensem, de Philosophis part. 4. cap. 4. *Hypocrates adiurat discipulos suos, atque docet, & in verba sua iurare compellit, extorquet sacrum silentium, sermonem, incessum, mansuetudinem, habitum, moresque describit.* Rectè quidem, nec magis apta dissoluto, & indisciplinato Religioso, vt cogatur, quod S. Paulus ait; *omnia honestè, & secundum ordinem fa-cere.*

Censebit forte quispiam, nec B. Albertum huiuscemodi literas debuisse scribere, nec scriptas per nos publicari; sic magis consulturum vtrorumque honori, & famæ, tam personarum, de quibus scriptæ sunt, quam totius religionis, cuius filiorum imperfectio detegitur. Sed, quod Albertum attinet, vetus ista querela est, cui ipse abundè satisfecit alia longiori Epistola; seu iusto opusculo ad Paulum Romanum, de insolentibus corripiendis, quam suo loco proferemus, quæ nostro etiam facto tuendo, non parum suffragatur. Nam quo consilio ab ipso scriptæ fuerunt, vt illi dum viuerent, emendarentur, & occurreretur publicis malis, quæ per ipsos fiebant, & non minoribus, quæ iustè, & prudenter timebantur futura; eodem ego eas in lucem profero, vt si qui cæci sunt, videant, in quo æternæ salutis, & famæ periculo versentur, & resipiscant: quibus autem lumen, Dei beneficio, adhuc integrum est, caueant præcipitia, in quæ non hos tantum, sed alios multos tam homines, quam Angelos appetitus dignitatum, & imperandi perniciosa, damnataque cupiditas, proiecerit.

Et quamquam nec B. Albertum, nec me peccatorem lateant ipsorum nomina, cognomina, patriæ; horum tamen nihil ab vtrouis nostrum profertur. Sed quicumque hæc fecerint, non vt ipsorum consuleretur famæ, quam iidem ipsi turpissimis factis, publicè prostituerunt; quod nec Diuina de Sanctioribus etiam hominibus obseruat Scriptura; sed quoniam indigni sunt quorum execranda nomina per Christianorum ora pronuncientur, qui non Dianæ damnatæ fœminæ delubrum, sed veri, & boni Dei Iesu Christi, nostri Redemptoris, ineffabilis Incarnationis, Natiuitatis, ieiunij, prædicationis, miraculorum, passionis, sepulturæ, Resurrectionis, Ascensionis, & futuri ad iudicium aduentus, Sacratissima templa incendebant, & in cineres reducere minabantur; non iusta desperatione, quam prætendebant; sed impijssima ambitione, qua ipsi flagrabant, & iusto Dei iudicio, ad nihilum redacti, vel singulari misericordia ad pœnitentiam reducti sunt. Nec me mouet ordinis infamiæ timor, cui potius gloriæ est, id genus apostemata vri, secari, excindi malle, quam vt pestiferum virus in totius corporis viscera serpat. Cum ergo vniuersæ historiæ finis, & fructus sit malorum, bonorumque factorum exempla proponere, quo lector quæ turpiter, infeliciterque facta, in alijs reprehendit, caueat ipse; quæque sanctè, prosperèque gesta collaudat, ipse vicissim amplectatur; non minus in posteros, & Rempublicam peccat, qui hæc, quam qui illa tacet.

EPISTOLA LVI.

EPISCOPO ARIMINENSI.

ARGVMENTVM.

Id ipsum negotium Terræ Sanctæ huic Episcopo, apud Pontificem grato, Albertum commendasse existimo per nuncium, & has literas, vt vocant, credentiales, quas eidem nuncio ferendas tradidit.

Vt

VT me cognoscas grato arripuisse animo tuas oblationes; quibus te sponte futurum fautorem meum apud Beatitudinem Eugenij Papæ Sanctissimi, cum abs te abscederem, liberè obtulisti: ecce nunc sine vlla cunctatione, tanquam pro meo iure repeto, quæ tu sine auaritia, immo cum magna beneficentia, fueras ante pollicitus. Peto ergo à te, vt his, quæ tibi hic nostrarum perlator apertiùs explicabit, piam aurem præbeas, securiùs credas, benignè assentiare. Est enim vir talis, cui non solum nostro nomine, quamuis simus exigui, sed etiam suo merito te exhibeas fauorabilem, eo feruentius quo nihil præter communis vtilitatis honestissima commoda postulaturus aduenit. Vale ex Venetijs 1438.

EPISTOLA LVII.

FRANCISCO BARBARO.

ARGVMENTVM.

Christophorus donatus, vt olim Prætor Taruisinus Albertum cupiebat illius Vrbis populo prædicaturum; sic idem nunc Brixiensium pariter Prætor, multis & vrgentissimis Nuncijs & literis ipsum illuc etiam vocat. Albertus in ea re Francisci Barbari iudicium per hanc Epistolam petit.

VEtus mos amicitiæ est, Francisce mi suauissime, amicorum commissa diligenter celare: proinde quæ ad te scribo apud te permaneant, præter veros amicos, & idoneos homines, nemini propalanda. Prætor Brixiensis fascibus literarum me quotidie penè obruit, vt Brixiam me conferam, suppliciter postulans. Tu verò, quem plurimum diligo, quamuis mihi tuis literis hactenus persuaseris eundem accessum, cum post nihil scripseris, cuiusdam mihi, fateor, non leuis suspicionis scrupulum iniecisti; ne forte salubriore consilio sententiam priorem mutaueris, vel patriæ, ac temporum conditione perspecta, vel alia qualibet causa, quam tibi ratio consulta suggesserit. Ecce palam tecum, vt præsens, proloquor, quæ animo reuoluo; quia suspectum est mihi tuum hoc silentium, inter tot maximè strepitus literarum, quæ ad me frequenter mittuntur, quæque, vt æstimo, non te latent. Nunc ergo per Christianæ nostræ amicitiæ iura te obsecro, vt quid de nostro ad vos aduentu sentias, apud me amicè, simpliciter, & apertè loquare: & ego tunc, vt efficere posse me videro, tuo præsertim adiutus consilio, melius aliquid statuam. Voti mihi erat longissimam ad te, & plenam amicitiarum Epistolam exarare. Sed per occupationes quotidianas mihi vix hæc pauca vacat scribere. Vale ex Venetijs 1438. 6. Idus Maij.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

CHRISTOPHORO DONATO PRÆTORI BRIXIENSI.

ARGVMENTVM.

Reſpondet non certa pollicitatione, ſed certa ſpe Brixiani eundi, cum ablata fuerint impedimenta, quæ ipſum hactenus retardarunt: idque exemplo, & adductis verbis S. Pauli.

SI futuri fructus in quoquam ex populo Brixienſi ſpes nulla me prouocaret, ſolus in me, vir egregie, honos, & amor tuus, hunc quem tantopere poſtulas, ad vos proficiſcendi laborem me ſubire cohortarentur; immò verò penè inuitum, & repugnantem impellerent, vrgerent, & violentiùs cogerent, non modo præceptum Dominicum, quo nobis dicitur, *omni petenti te tribue*; Verum etiam religioſum officium tuæ diligentis inſtantiæ, quo factum eſt, vt tanto iam tempore, & tam frequentibus nuncijs, ac literis me nullius momenti hominem, pro ſerendo vitę ſemine ſuper colendis agris Brixienſium cordium deuotione pręcipua accerſieris: verùm dixerim inhumanum omninò hominem, vt taceam ruſticanum, atque agreſtem, & ferum, quod ſi facere ſatis tibi commodè queat, huic Sancto ardori tuo vlla ex parte deſit. Quare, vt ab ea labe me liberem, tibi me promptum exhibeo; nulla quidem certa pollicitatione, ſed ſpe quadam egregia. Neque hoc velim mireris, quùm ob ingentia pleraque impedimenta, quæ hoſtis ille neſarius noſtræ ſalutis nobis veterno vſu ſuo parare ſolet; mos iſte apud nos hactenus inoleuit, vt nulli Ciuitati acceſſum noſtræ paruitatis audeamus promittere; ſed ſpem animi volentiſſimi omnibus aperire. In quo vtroq; facto, ne nos quiſquam non rectè facere arbitretur, Apoſtolico, quantum mihi videtur, regiminis gubernaculo, vt in altero cautiores inuenti, non ſit in verbo noſtro eſt, & non, ſed eſt in illo ſit: in altero verò comperti beneuoli, etiam quod efficere non valemus, nos ardenter velle, eos qui cupiunt admoneamus. Itaq; vir illuſtris, præſcripto quidem inſtituto, quantum ab illa indubitatæ ſponſionis fide nunc me apud te tempero, tantum in alacritatem piæ voluntatis me totum proijcio: qui ſicut penitùs venire non ſpondeo, ita non prorſus inficior, interim *Omnes ſine intermiſſione oremus, humiliter obſecrantes, vt tandem aliquando proſperum iter habeam, in voluntate Dei veniendi ad vos; deſidero enim videre vos, vt aliquid* cum Paulo Apoſtolo *impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, ideſt ſimul conſolari in vobis, per eam,* quæ

1. Cor. 1.

ad Rom. 1.

quæ inuicem est fidem vestram, atque meam: nam vt aliquem fructum habeam in vobis, sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adbuc. Verum quoniam à Domino gressus hominis diriguntur, rogemus vt viam nostram dirigat, atque in vobis vberiores fructus, ingentis fœnoris compensemus. Vale ex Venetijs 6. Idus Maij 1438.

EPISTOLA LIX.

EPISCOPO CYPRIO EBRONENSI. (1)

ARGVMENTVM.

Albertus è Cypro in Italiam anno superiori soluens, accepit ab hoc Episcopo librum Pistoriensi in Thuscia conuentui consignandum; scribit ergo se in Italia incolumem esse, sed in Etruriam nondum migrasse, nec adhuc baiulum inuenisse, per quem librum mitteret Pistoriam; missurum tamen, vel se laturum, cum se obtulerit occasio, petitque alium librum ab Episcopo ad se mitti in Italiam.

EX tua Cypro hactenus recedentes, tandem, Christo propitio, sospites peruenimus ad Italiam. Qua de re, scio te mecum Deo nostro gratias cumulatè referre; dicamus igitur & nunc semel pariter Deo gratias. Librum tuum, quem Pistoriensi Conuentui assignandum, cum abirem à Cypro, abs te accepi, necdum misi, nec eum illuc attuli, propterea quod neque ipse in Thusciam sum profectus, neque per quem tutò deferri posset, adhuc nobis quispiam fidelis occurrit. Quiescat tamen tuæ mens Reuerentiæ securissimo somno, quoniam ita fideliter omnia complebuntur, vt apud te nil certius esse debeat. Inter multa præterea multorum in nos officiorum præclarissima merita, quibus es de nobis optimè meritus, quoniam ea nobis munificè, & humanissimè præstitisti; illud esset sanè præstantius, si tuo studio, & cura libellus ille tuus, qui *de hæresibus* (2) aliquando apud me fuit, ad me ad Italiam celerius perferretur. Valde enim, fateor, illo indigeo, essetque mihi, supra quam dici possit, admodum opportunus: nunc maximè, *cum nobis multa erunt de vnitate fidei conferenda cum his Græcis* (3) quos iam ad Italiam pro fideli concordia Romanæ grauitatis suscipienda *aduenisse lætati sumus* (4) Pro libello autèm ipso præter augmentum erga te nostræ dilectionis, quæ solet acceptis beneficentiæ muneribus cumulari, si quam voles tibi temporariam vicissitudinem exhiberi protinus ordinabo. Vale ex Venetijs 1438.

NOTAE.

Nota I.

Ebronensi. Est Hebron Syriæ Ciuitas, olim Episcopalis, Patriarchæ Hierosolymitano immediatè subiecta, nunc Pagus: cuius rudera indicio sunt frequentius Vrbem quondam fuisse habitatam. *Miraus in not. Episcopatuum*.

Nota II.

De hæresibus. Videtur hic idem liber esse, quem superius Epistola 47. per Thomasium Bibium è Cypro ad se in Italiam mitti rogat, in quo nimirum, vt ibi loquitur, acta cunctorum Conciliorum, & errores omnium nationum orbis enumerantur.

Nota III.

Cum nobis multa erunt de vnitate fidei conferenda cum his Græcis. Hinc satis constat Albertum, non solum in Oriente, sed etiam in Italia Schismaticorum, etiam Græcorum, vnioni suam operam impendisse, multa cum ipsis in Concilio, & extra ipsum conferendo.

Nota IV.

Quos iam ad Italiam aduenisse lætati sumus. Ergo hæc Epistola data fuit post diem nonam Februarij anno 1438. quo die Græci Venetias appulerant, & antequam fiebant collationes de vnione, quæ priuatæ imprimis cœptæ sunt, circiter ab Idibus Aprilis, publicæ verò ab 8. die sequentis Octobris, propter quas, Albertus illum libellum Ebronensis tantopere desiderabat. Cumque Epistola Venetijs data fuerit, iam constat Albertum Græcis venientibus obuiam iuisse, fortassis in comitatu Cardinalis S. Crucis, & Marchionis Ferrarien. quos Pontifex Venetias misit, vt illos cum honore Ferrariam ad Concilium conducerent.

EPISTOLA LX.

BERNARDINO SENENSI.

ARGVMENTVM.

Anno 1439. *mense Iunij, erat in vltima dispositione Græcorum vnio cum Ecclesia Romana, sub vnius Romani Pontificis vnici Ecclesiæ vniuersalis capitis obedientia, voluit Pontifex, quo maior esset solemnitas, & lætitia, vt præcipui Italiæ concionatores eam quotidianis sermonibus publicè habendis celebrarent, iussitque Alberto præsenti, vt Bernardinum nominatim vocaret, quod per hoc Epistolium facit*.

GLoria ingens Domini Dei nostri exhilarare debet faciem corporis nostri, per sobrium mentis gaudium. Accipe rationem: Græci qui hic sunt ex veteri perfidia sua, ad simplicem Romanæ fidei grauitatem celerius conuolarunt, cuius boni, vt sis particeps, Pater optime

time, & videas quæ magna ſolemnitate conſtituenda ſunt, *Iubet Sanctiſſimus Dominus noſter* (1) vt quaprimum ad pedes Sanctitatis ſuæ te conferas; rediturus Senas, cum voles, ſi primum nonnulla coram eius Sanctitate grauiter firmabuntur, quæ per Prædicatores omnes Italiæ fieri cupit in conſeruationem exortæ lætitiæ. Vale ex Florentia 8. Iunij 1439. hæc de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri breuiter ad te ſcripſi.

N O T A.

Iubet Sanctiſſimus Dominus noſter. Non fruſtra vocatus eſt S. Bernardinus cui prædicanti Spiritus Sanctus verba dictabat. Nam etſi Græcanicæ linguæ, ante, & poſt ſermonem tunc Florentiæ habitum, prorſum ignarus, ita tamen Græcorum auribus eleganter græcè dixit, vt illi crediderint eum linguæ ſuæ peritiſſimum fuiſſe.

S C H O L I O N.

Hoc loco codicis Capiſtranenſis reperi ſequentes Eugenij Pontificis literas, Alberto iam ſecundùm in Orientem profecturo datas. Quas quoniam Vvaddingus inter alias huius expeditionis literas Pontificias non habet, nobis viſum eſt eas hic inſerere, idque ſatis opportunè: etenim cum hoc eodem anno 1439. pridie Non. Iulij decretum vnionis Græcorum à Græcis, Latiniſque ſubſcriptum, in publica Seſſione Concilij Florentini, vtriſque præſentibus, publicè lectum fuiſſet, & Græci iam die 21. Iulij abirent; Armenique in via ad Concilium venientes, ſe etiam Romanæ fidei conformaturi, & Eugenij Pontificis obedientiæ ſubiecturi eſſent, ardentiſſimo Eugenij bono zelo, & in omnes charitati id ſatis non fuit, niſi omnes omninò Orientalium nationes, & Schiſmaticorum Sectas, ad eiuſdem fidei vnionem in vnum corpus, ſub vno capite, vnoque Chriſti in Terris Vicario, coniunctas videret. Miſſis ergo ex regularis obſeruantiæ profeſſoribus, ad alias nationes, multis Minoritis, Albertum noſtrum ad Iacobitas, Cophtos, Aethiopes, & Indos deſtinauit, cum literis apud Vvaddingum relatis, ac prætetea ſequentibus, quas ille non vidit.

E P I S T O L A L X I.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI Venerabili Fratri Ioanni Patriarchæ Iacobinorum Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn ambigimus quidem, Fr. chariſſime, quæ hic ad laudem Omnipotentis Dei, & totius vniuerſalis Eccleſiæ gaudium geſta ſunt, tuæ quoque fraternitati, fama vulgante, eſſe iam cognita. Nos

ramen pro affectu, & officio nostro, hæc ipsa tuæ fraternitati insinuanda censuimus, vt nostrorum in Domino gaudiorum fieres particeps: cum enim, disponente Deo, in Beati Petri Apostolorum Principis Sede Sancta, S. Romana Ecclesia, licet immeriti, consederimus, ipsiusque Apostoli Successores simus, cui à Domino collata est potestas ligandi, atque soluendi, debemus profectò felicia Dominici gregis, quem regendum suscepimus, incrementa fratribus nostris vbique terrarum annunciare, vt tanquam fideles serui, ex Domini sui successibus secundis gaudeant, vt nobiscum vnà Omnipotenti Deo gratias referant. Tuæ itaque Religioni, Frater charissime, cuius nobis merita singularia multorum sunt relatione comperta, significamus Græcam, Latinamque Ecclesiam periculoso, ac diuturno abs se inuicem dissidio separatam, Deo tandem miserante, in vnionem, concordiamque redijsse. Aduenit namque ad nos, sua sponte, & à nobis admonitus, charissimus in Christo filius noster, Ioannes Paleologus, Romeorum Imperator illustris, vnà cum venerabili Fratre nostro Ioseph Patriarcha Constantinopolitano, & loca tenentibus trium Patriarcharum, & Archiepiscopis, Clericis, ac Monachis, & nobilibus plurimis, nobis suppeditantibus sumptus necessarios, Concilij Oecumenici celebrandi gratia, & cum longissima, diligentissimaque præcessisset disputatio, tandem Romanæ Ecclesiæ fides ab omnibus mira concordia, & ritè comprobata, ac certissimè suscepta est. Verum hæc omnia planius, & melius fraternitati tuæ dilectus filius Frater Albertus, ordinis Minorum, vir magnæ religionis, & casto zelo fidei feruens, referabit; quem, huius rei gratia, ad fraternitatem tuam duximus dirigendum; decretique côpiam ostendet, quam secum defert, vt vberius in Domino gaudeas, quem etiam commendamus fraternitati tuæ, & illum, ob Dei, B. Petri, nostramque reuerentiam, suscipias in omnibus commendatum. Sanè illi plurima commisimus secretius cum tua fraternitate tractanda, pro honore Dei; populorumque nobis subditorum perpetua salute; cui, hortamur in Domino, vt in omnibus fidem adhibeas, tanquam nobis ipsis, atque in his, quæ rationabiliter suggeret, fauorabiliter annuas. Nuntiamus id quoq; pro abundantiori gaudio fraternitati tuæ, cum Imperatore memorato legatos etiam aduenisse Trapezuntij Imperatoris Valachorum, Hiberorum, Ruthenorum, & omnium omninò græco ritu, & more viuentium. Expectamus autem in breui adfuturos & Armenios, qui veniunt parati ad obtemperandum Romanæ Ecclesiæ per omnia. Cum itaque venerabilis frater, tanta cernas Diuinæ pietatis indicia, non dubitamus mentem tuam, Christiana pietate flagrantem, ad referendas nobiscum Deo gratias, ex omnibus medullis cordis esse conuersam, & id cupere omnibus votis, vt Ecclesia Catholica toto terrarum orbe diffusa, vna sit, idem sapiat, idemque sentiat, atque sub vno Pastore grex vnus fiat, & sub varietate linguarum concors sit omnium fides, vt omnes, vno spiritu, & vno ore glorificemus Deum, & PatremDomini Nostri Iesu Christi. Data Florentiæ anno Incarnationis Dominicę 1434. VII. Kal. Augusti Pontificatus Nostri anno nono.

EPISTOLA LXII.

MATTHEO BISSARRO.

ARGVMENTVM.

Albertus sub anni superioris finem, vel initio præsentis, soluit Venetijs pro secunda sua profectione in Orientem, & ex via scripsit hoc anno 1440. *literas plures, ex quibus prima mibi est ista ad Bissarrum, in qua gratias agit pro beneficijs ab eo, & alijs in Creta acceptis, & se ac socios, inter medios gladios pro fide proficiscentes, eorum precibus commendat. Socios suos laudat, & Presbyterum ipsi à Bisarro commendatum.*

QVia pondus negotiorum vrget me pauca ad te loqui, volo exigua charta non exiguum, sed magnum & antiquum in te amorem nostrum tibi significare, palam profectò contestans, illum, si crescere potest, solo ardore virtutum tuarum erga te quotidie augeri. Quamquam autem egregium adiumentum nostri itineris, quod ad nos ex tuis impensis, ac reliquorum fidelium apud Cretam, allatum est, tanquam opus misericordię me delectet, tamen flagrans charitas, & animus quo ista omnia à te fiunt, mihi sane plus placet. *Non quæro*, ait Apostolus, *datum*, *sed requiro fructum*; Restat mi Matthee charissime, vt tu nos, & qui nos diligunt, in ipso iam procinctu periculorum, ad ardua fidei profectutos, ac verè medios inter gladios conuolantes, feruentibus orationibus iuues. Quod vt facias, cum omnibus mei ordinis, & reliquis vtriusque sexus Sanctis fidelibus, hoc magis rogo, vt tibi cæteris plus curæ sit. Comes nostræ peregrinationis, præter cæteros super humanam opinionem idoneos, Presbyter Ioannes fide & magnanimitate vincit restimonium tuum, quod illi apud me hactenus verum ac sincerum præbuisti. Amicis autem nostris, quum plurimi sint, quibus scribere nequeo, post charam in Christo salutem, hanc scedulam communem facies, in quibus Baptistam nostrum de Valmaran, & illum doctum Ognibonum non putes postremos, Reliqua quæ circa nos aguntur, ex dulcissimo meo Fratre Antonio Cremensi, vt soles, audies: Vale, & pro me ora attentius. Ex Candia Cretæ Kalend. Martij 1440.

EPISTOLA LXIII.

FRATRI BARTHOLOMÆO IANENSI (1)

ARGVMENTVM.

Excusat se, quod sæpius non scripserit: itineris sui rationem, & ingentem spem magnas res pro fide, & Ecclesia Christi consummandi aperit, etsi id pro

pro ſua humilitate parce admodum, & quaſi nolens volens: promptiſſimum ad Martyrium ſuſtinendum animum profitetur, mille mortes pro eis tolerandas, feliciſſimas vitas vocans. Preces apud Deum fundendas petit, & literarum baiulum Bartholomæo commendat.

PRouocatus hactenus dulcibus querimonijs tuis, quibus te literas meas valde deſiderare ſignificabas, ſcripſi ad te ſuperiore menſe Martio, ex Candia Cretæ, non quidem admodum longam Epiſtolam vnam, ſed verè abſque vlla diligentia tumultuariè, celeriterque dictatam: vrgebat enim nos anguſtia temporis, qua cogebamur vel nihil, vel ineptum aliquid, quo ad elegantiam attinet, ad te ſcribere. Sed malens apud te videri amicus, quam diſertus, elegi, quantum arbitror Chriſtianiſſimè, potius illa, qualiacumq; ſint, ad te dictare, quam nihil, quæ & ipſa neſcio, ſi ad te vnquam peruenerint. Nunc verò vt magis gaudeas, niſi pro peccatis meis, nobis Chriſti dextera ſubtrahatur, ſumus in dies *ex Rhodo Carras, vel vt vulgo dicitur, Cayrum* (2) iucundiſſimè profecturi: tanto Diuinæ miſericordiæ fauore adiuti, vt ne illud quidem cupere potuiſſem. Nimis eſſet longum ſingula proſequi, præſertim quia hic ſecreta ſunt valde noſtra conſilia, nec etiam propter improbos, niſi ore ad os, cum amicis tantum & Deum timentibus, ſecurius conferenda. Magna nobis eſt ſpes ſub protectione Diuini fauoris, egregia quædam pro gloria Chriſti, in augmentum fidei & Orthodoxæ, Catholicæque Eccleſiæ conſummandi, qua in re probè gerenda, *ſi quis mille perpetiatur mortes, quis, niſi non Chriſtianus, eas non potius dixerit feliciſſimas vitas?* (3) Itaque tantummodo ora, mi frater in Domino dilectiſſime, atque orari facias inſtantiſſimè, vt pro præſidio nos foueat Chriſtus, rem cauſam ſuam agat, euentu proſpero, atque in finem, nec abs ſpe cadere ſinat nos famulos ſuos, quorum eſt animus de munere eius non ſolum pro augenda fide, nullo labore terreri, ſed etiam, ſi opus fuerit, iucundè occumbere. Si proſperum faciet Dominus pium deſiderium noſtrum, conabor, cum rediero, ex ordine ad te cuncta ſignificare. Tu verò vaca interim diligentius, vt plenè fias & lingua & literis græcus, qui fide Romanus es; ſi ad me ſcribere voles, mitte huc Rhodum literas ad ciuem quendam Venetum, Ioannem Martini, per quem, quàm eſt amiciſſimus, nobis tutò cuncta reddentur. Hunc baiulum noſtrarum, Antonium Belucam libenter excipies; optat enim à me, de te edoctus, te habere amicum. Is venit Conſtantinopolim, ab Imperatore vocatus, nec paruæ authoritatis eſt apud Græcos, profecturuſque forſitan ad Italiam, tibi in aliquo vtilis eſt futurus. Reſcribe ad nos cum omni diligentia, *quo in ſtatu res fidei cum Græcis ſit* (4) & tibi ſoli credemus, quoniam apud nos pro affectionibus varia à pleriſque feruntur. Et hoc in fine petimus, vt quàm celeriter illud efficias. Iſte autem portitor tibi adiumento erit, vt tutò ad nos literæ perferantur. Vale, & me ama, neque orare deſinas, quouſque reſcribam, *ex Rhodo XV. Maij* (5) 1440.

NO-

N O T AE.

Nota I.

Fratri Bartholomeo Ianensi, alias de yano de quo Vvaddingus; *Græcis autem, vt ad Concilium venirent, non segniter aut frigidè persuaserunt Fr. Bartholomæus de yano vir doctissimus, & pijssimus, & Fr. Albertus Sarthianensis, ad hoc ab Eugenio missi*. Dum autem Albertus hanc Epistolam scripsisset, erat Bartholomæus Constantinopoli, vt Græcos in fide, quam in Concilio professi sunt, fortius confirmaret: sed Vvaddingus non immeritò lamentatur, quod multi tales missi non fuerint, qui Marci Ephesini peruicacissimi Schismatici præstigijs occurrerent, & falsas eius, perniciosissimasque suasiones refutarent, quibus ille post mortem Imperatoris, Græcos iterum ad vomitum reuocauit.

Nota II.

Ex Rhodo Carras, vel vt vulgo dicitur, Cayrum. Non immediatè per mare, ex Rhodo ad ostia Nili, sed per viam terrestrem Hierosolymitanam, ac inde per desertum Syriæ ad Aegyptum, vt narrat Vvaddingus tom. 5. ad an. 1439. n. 39. & satis intelligitur ex literis Pontificijs huius missionis, & commissionis B. Alberti, per quas Hierosolymam expresè destinatur, cum specialibus literis Eugenij Pontificis ad Cophtos, & eorum Prælatos Hierosolymæ congregatos. Nicomedus etiam Aethyopum in S. Ciuitate Abbas in literis ad Pontificem, sequenti Octobre Hierosolymæ datis, apud Iustinianum in actis Concilij Florentini. *Cum ad nos*, inquit, *deuenerunt Nuntij tui ob causam fidei, magnam ex eis consolationem accepimus*: nec insolens est iter Cayro in Rhodum, & ex Rhodo Cayrum, per viam Hierosolymitanam: nam & Albertus ipse in sequenti Epistola ad Eugenium narrat Legatos Aethyopum ad Concilium, quos Rhodi expectabat, per eam viam profectos fuisse: fuitque rebus deinde in Aegypto, & Aethyopia gerendis necessarium, nedum valde oportunum, vt Orientalium nationum, & Sectarum homines, Hierosolymæ commorantes, & per Syriam, & Palestinam dispersos, cum quibus ante biennium de fide & Ecclesiarum vnione tractauit, ostensis nunc ac declaratis decretis vnionis Græcorum, & Armenorum in bono proposito confirmaret, eorumque fauore & auxilio ad ipsorum Principes & Patriarchas facilius & fructuosius progrederetur, sciretque omnem rei dispositionem, antequam accederet, vt Vvaddingus factum fuisse narrat. Nec refert quod Albertus hoc loco neque Hierosolymæ, nec alterius mediterranei loci mentionem faciat, qui non totum iter describere, sed duos eius extremos terminos, Rhodum & Cayrum indicare voluit.

Nota III.

Si quis mille perpetiatur mortes pro fide scilicet, & Ecclesia obitas, *non dixerit felicissimas vitas*, & infra, de se, & socijs loquens. *Quorum est animus non solum nullo labore terreri, sed si opus fuerit iucundissimè occumbere*. Hæc, præter alia multa, quæ pro occasione sparsim notamus, manifestè demonstrant, quantus fuerit zelus Alberti pro fide, Ecclesia, & salute animarum: quantus animus, quam ardens desiderium fuerit pro illis Martyrium occumbendi.

Nota IV.

Quo in statu res fidei cum Græcis sit. Hoc est, postquam ex Concilio Florentino redierunt in Patriam. Nec mirum est de hoc dubitare Albertum, Ephesinus enim, infensissimus Latino-

rum

rum inimicus, poſtquam rediJt, ſtatim omnia turbabat, vt exiſtimo ſignificare Albertum, cum adiungit. *Quoniam apud nos pro affectionibus varia à pleriſque feruntur.*

Nota V.

Ex Rhodo XV. Maij. Albertus præcedentem Epiſtolam in Creta dedit Kalendis Martijs: vnde colligo hanc ſcriptam ab ipſo fuiſſe, non redeundo ex Aegypto, & Syria, ſed eundo ex Italia, & ipſa Epiſtola id ipſum confirmat; dum non res geſtas narrat, ſed ſpem gerendi præbet; ſequenti vero menſe Decembri, Rhodum reuerſus, ad Eugenium Pontificem inde ſcribendo res iam in Aegypto geſtas narrat.

EPISTOLA LXIV.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Albertus rebus pro voto in Aegypto peractis, in Italiam rediens, hanc Epiſtolam ex Rhodo ad Pontificem dedit; per quam & ſui itineris, & rerum geſtarum rationem, pro temporis & otij anguſtia, breuius reddit: reliqua in locum, & tempus, opportuniora reſeruans.

De toto ordine noſtri itineris, ad Sanctitatem tuam integrè ſcribere, Beatiſſime Pater, etſi ad multa legenda, quod libenter facis, eſſet tibi admodum liberum tempus à ſummis negotijs, quibus quotidie occuparis, ipſe tamen celerrimus nauigiorum à nobis receſſus, præter alia quæ me vrgent, impedimento mihi futurus eſſet, ne cuncta neceſſariò ſcribenda complecterer. Ac primò quidem, quod attinet ad referendas Domino Deo noſtro vel mediocriter gratias, pro clementiſſima illius erga nos cura, proque miro exitu hucvſque negotij, quod dextera manus eius verè perficit, pro ſpe denique non inani, ad quam corda noſtra prouexit atque euexit maximorum futurorum per hanc occaſionem bonorum, quibus iam facta bona materiam itidem ſpei exhibent commodiſſimam; Sane ad id vnquam faciendum nullo tempore erimus ſatis idonei; ad explicanda verò omnia diligenter, quo & continentia partium prædictarum, & pericula ingrediendi ad Saracenos, & difficultas egrediendi ab eis, ac poſtremò labor inter eos latendi, tuæ Sanctitati notiſſimi fiant, certe pro his omnibus, & Epiſtolam longiorem, & tempus mihi aptius deſiderare debetis: igitur quod anguſtia temporis in præſentia ſolum tribuit, tantummodo neceſſarijs breuiter incumbamus. Sciat itaque tua Sanctitas, Eugeni Papa Beatiſſime, poſt fratres, quos ad te ex maximo illo Cayro ante præmiſeram, in quibus Dominicus Senenſis, tuus antiquior filius, prior eſt, nos Domino protegente, *pridie Non. Octobris* (1) huc Rhodum veniſſe, vbi & nunc ſumus, cum legatione ſolemni magni illius Patriarchæ Iacobinorum, ad

quem

quem anno ſuperiore nos miſeras. Caput verò legationis prædictæ eſt vir quidam Andreas nomine, quem magno cum periculo, pro rabie Saracenorum, vix tandem ex Cayro, veluti ex fornace ferrea Aegypti, & tanquam prædam ex ore immanis belluæ eripuimus, hominem non parui apud ſuos loci. Quod verò ad noſtros, tu ipſe iudicabis, cum ad te ille peruenerit. Hic cum ſit Abbas centum & eo amplius Monachorum, vetuſtiſſimis illis Monaſterijs curam impendit, quæ Sanctos Patres & ædificaſſe & inhabitaſſe, atque in eiſdem eos diem ſuum obijſſe affirmant; Antonium dico, & Paulum, quos Principes Monachorum extitiſſe tradit antiquitas. Inter multos autem ſuos, ac penè dixerim inter omnes, hic ſolus eſt auſus laborem ad te veniendi, & diſcrimen arripere, alijs ſupra modum verentibus furibundam inſaniam infidelium, quibus ſi palam fieret negotium fidei, ſolam crudeliorem mortem adiunctam omnium Chriſtianorum Aegypti eſſent & venientibus & remanentibus illaturi. Qui eorum metus non mihi videtur à ratione penitus abhorrere, cum inter infideles Paganos continuò habitantes, ſic eis de re ſua familiari, de liberis, de parentibus, de vita corporis, de fide denique, & ſpiritu ipſo quotidie dimicandum. Hunc verò Abbatem, quem vocant S. Antonij, tantum ſupra cæteros audentem, ſolus ardor, vt dicit, fidei ad te trahit, & vrget, vt ſuo labore, & opera præclara, illa ſequatur vnio, quæ non modo Iacobinos, verum etiam Regem illum Aethyopum, quem Regum omnium aſſerunt potentiſſimum, cum Iacobinis ipſis pariter complectatur. Cui quidem nominatiſſimo Regi, cum Patriarcha Cophtorum, qui & ipſe Iacobinorum in ſpiritualibus caput iam diu ſit, omnium procul dubio vnionem, quam cum Romana Eccleſia Patriarcha prædictus ſit habiturus, iſte Abbas à Rege màximo Aethyopiæ probatum iri non dubitat: quod cum viderimus, per ſapientiam Chriſti, Eugeni Papa Beatiſſime, eſſe confectum; da, oro te, gaudium, quod huic lætitiæ prę ponendum exiſtimes: nam quæ eloquentiſſimorum hominum tunc præconia, quæ voces laudum, quæ præcordia ipſa, aut quis Sanctus affectus de tantis bonis dignè poterunt exultare? ea prædicare, atquè extollere? Etſi enim Græcos, atque Armenios, Regemque Trapezuntiorum ad Sedem Petri rediſſe tuis temporibus, tuaque iam ope, opera, & induſtria, propitio Chriſto, ſummè lætandum ſit, totum tamen, quod cum venia prædictorum, iam cum Romana Eccleſia vnitorum, dictum eſſe maluerim, exigui valde momenti res eſt, ſi eam velis ad concordiam Regis Aethyopum, & populi illius, vt de Salomone legimus, veluti arena maris innumerabilis, comparare: cuius ob ſingularem libertatem, ob vaſtiſſima Regna, quæ tenet, & quibus imperat, ob copiam gentium ſubiectarum, ob bellicam virtutem, ob ſummas quoque diuitias, tanta potentia eſſe refertur, vt omnis ei obiecta reliquorum nunc imperantium Monarchia, Tribunitiæ poteſtatis nomina ſortiantur, niſi quæ de illo à ſuis referuntur, fabulæ ſint, & vana iactatio. Quem & ipſum centum Regum Patriarcha ille ſuus vocat Imperatorem, è quibus XIII. Paganorum Deo & ſibi marte ſubiecerit, ſed de hoc alias diligentius.

Nunc

Nunc verò, Beatiſſime Pater, iuxta propheticam vocem, ***ad te iam veniunt Legati ex Aegypto***: quorum iſte Abbas Andreas, vt diximus, caput eſt. Verum vt apertius intelligas quonam etiam modo Aethyopia præueniat manus ſuas datura Deo, ideſt tibi, qui pro vero Deo, cum reliquis Eccleſiæ Patribus, & præpoſitis, & mortuis, & viuentibus, Deus in terris es, quemadmodum de præſidentibus dicitur, ***Dijs non detrahes***, & ***applicabitur ad Deos***, ***& ego dixi***, ***Dij eſtis***, & ***conſtitui te Deum Pharaonis***, vt igitur ſicut dicere cœperam, hæc intelligas B. P. diligenter quæſo attende; ob ſummum metum Saracenorum factum eſt, ne ſcilicet illis fidei negotium proderetur, vt iſtius Abbatis qui mecum eſt, comes itineris nobiſcum, ex Cayro Rhodum, per Damiatam, qua perreximus, proficiſci nequiuerint. Fuerat autem inter nos conſtitutum, cum eſſemus in Cayro, vt Abbate mecum proficiſcente, reliqua omnis ſocietas, quæ ad Sanctitatem tuam ſecum ventura eſſet, in duas diuiſa partes, duabus ad nos vijs ſeſe Rhodum totam tandem conferret, ne ſimul omnes, atque eadem via, eſſemus nimia multitudine Saracenis conſpicui. Harum duarum partium primam ſtatuimus eſſe debere hominum ex Aethyopia venientium, vt & Patriarcha in ipſis, ad tuam Sanctitatem venientibus Aethyopibus, ſicut eum habent, Prælatus Aethyopiæ videretur, & tua Sanctitas de rebus Aethyopiæ haberet, cum quibus Aethyopibus, vt cupit, conferret. Ex his autem omnibus, ordine inſtituto, per iter Hieroſolymitanum, ſex Aethyopes venturos ad nos Rhodum expectabamus: ſed vi ventorum in Cretam traiecti, nos præceſſerunt, vt iuxta propheticum vaticinium, Legatos Aegypti præueniat Aethyopia: altera pars Iacobinorum ex Cypro ventura eſt, ſine quibus, quoniam iſte Abbas ex ipſis eſt, hinc ad tuam Sanctitatem abire non poſſumus. Cum ergo iſti venerint, vt diligentius ordinauimus, tum quamprimum, Deo propitio, adiunctis nobis ex Creta etiam Aethyopibus, ad S. T. legatio præclara peruentura eſt. Tu verò interim B. P. Apoſtolicis nos benedictionibus proſequendos, vel potius aduocandos, tutandoſque exiſtimans, etiam orationibus tuis adiuua, vt ſtudia tua, noſtros labores præeuntia, hoc Sancto concordiæ Seminario, in fide ac moribus optimis, toto terrarum orbe læto ſatu conſperſo, ea bona præclariſſima pariant, quibus & infidelium blaſphemantium perfidia conuertatur, & Schiſmaticorum rebellantium cœcitas auferatur, & hæreticorum oblatrantium ſuperbia ſubijciatur, & Iudæorum malignantium durities molliatur, & quod prius dicendum fuit, Chriſtianorum verè Catholicorum, ſed malè, ſed ſuperbè, ſed inuidiosè nimium diſſidentium ſimultas periculoſa, per viſcera Charitatis Domini Dei noſtri concilietur, conflata in concordiam Chriſtiani pectoris ſempiternam. Dominus Deus optimus, B. P. cuius vicem geris, in terris te, ac Sedem Petri tueatur, augeat & conſeruet, in gloriam ſui nominis, & augmentum Chriſtianæ Religionis. Amen. Ex Rhodo Kal. Decemb. 1440.

N O T A.

Pridie Non. Octobris. Cum Albertus praecedentem Epistolam XV. Maij Rhodi, eundo scripserit, & nunc referat se Pridie Non. Octob. Rhodum redijsse, iam constat ipsum intra quinque vel verius quatuor menses, legatione sua in Aegypto perfunctum fuisse: nam literae, quas ipsi ad Pontificem deferendas Patriarcha Iacobinorum dedit, scriptae sunt 12. Septembris apud Iustinianum in Actis Concilij pag. 352.

EPISTOLA LXV.

DVCI BVRGVNDIÆ.

ARGVMENTVM.

Philippi Boni Ducis Heraldus, ex Hierosolymitana peregrinatione rediens, Albertum in Rhodo rogauit, vt quae in Oriente ad obsequium fidei gessit, Duci perscriberet: sed Albertus maluit res arcanas ipsius Heraldi Heraldicae fidei nuntiandas, quam volantis folij fortunae committere, quod in aliorum manus venire posset: ideò rogat Principem, vt Nuncio fidem praebeat, magnam de Philippo famam insinuat; & veterum Francorum res pro fide, & Ecclesia strenuè gestas, ipsi imitandas auguratur, & prolixiorem Epistolam opportuno tempore se daturum promittit, quam tamen nondum vidimus, etsi Albertus dicat se illam in chartulis dictatam habuisse.

CRebra fama bonitatis tuae, Philippe Illustris, & testimonium virtutum tuarum, quod tibi apud me neque pauci, neq; contemnendi testes, fideliter, & sincerissimè saepe perhibuerunt, atque in dies perhibent, me, penè dixerim, compulerunt inuitum, ad scribendum libentissimè tibi non modo haec pauca, verum etiam *Epistolam quandam longissimam* (1) honoris, & dilectionis erga te meae, ea quidem narrantem, quae & te clarissimum Principem, & me exigui momenti hominem decere putaui. Quam Epistolam nostram, quia celeritate profectionis nauigiorum, nec dum ex chartulis nostris eruere potui, in quibus fuerat primò dictata, ideò illam modo non queo penitùs ad te mittere: sed erit, Christo authore, vt haec nostra dilatio, meliore foenore compensetur. Nunc itaque quod solum festinantia ingens, & variae mihi occupationes concedunt, his te paucis rogo instanter, vt huic iuueni, nostrarum portitori, & histrioni, atque Heraldo excellentiae tuae, de Sanctorum nostrę redemptionis locorum peregrinatione deuotius redeunti

deunti, vt mihi ipſi, pleniſſimè, & ſinceriſſimè credas de his, quæ me primus omnium vehementer rogauit, vt ad te ſcriberem, quorum quidem egregiorum pro Chriſti Eccleſia & fide geſtorum partem illi tibi referendam commiſi: pleniorem verò rerum narrationem ad Chriſti, atque Eugenij Papę Sanctiſſimi gloriam & laudem maximè pertinentem, nam eius ſtudio quæ pręclara omnia, & eo authore quę digna, geſta ſunt, afferendæ tibi Epiſtolæ noſtræ, de qua ſupra dixi, cauſa maiore, & conſilio grauiore reſeruo. Donet tibi interim, ac ſemper, de Cœlo Deus Omnipotens, Philippe clariſſime, Sanctos illos tuæ Illuſtris Proſapiæ Patres, & reliquos Chriſtianiſſimos, omnis clariſſimæ Francorum familiæ Principes, magno omninò, & ſummo æmulandę virtutis ſtudio imitari, *qui viri fortiſſimi* (2) vt ad memoriam poſterorum digna celebritate hiſtoriæ proditum eſt, ſummo ardore fidei, & deuotione Religionis accenſi, omne vitæ ſuæ, quamuis longiſſimum tempus, inſignia Dei bella gerentes, tutandę S. Eccleſię, & Chriſtiano augendo pręclaro populo conſumpſerunt: horum ſi tu mores immortalis glorię fueris promptè complexus, pręter conſcientię ſanctimoniam, dabit tibi Dominus Euangelica pace florere, & ſubactis tibi, atque omni Gallorum ampliſſimo ac vetuſtiſſimo Regno inimicis nequiter aduerſantibus, de fidei hoſtibus perpetua laude triumphare. Opto te in bonis proſperè agere, & à cladibus malorum Dei miſericordia liberari. Vale Illuſtriſſime & Chriſtianiſſime Princeps. Ex Rhodo ſumma celeritate, & currentiſſimo calamo, vt inepti ipſi apices proteſtantur, cum iam laborioſi nautę, è portu egreſſuri, atque à litoribus funem ſoluentes, alterutro ſtudio ſibi inuicem conclamarent, ſub celebritate Paſchali, & die Sancto Prothomartyris Stephani 1440.

N O T AE.

Nota I.

Epiſtolam longiſſimam, & infra, *pleniorem verò rerum narrationem reſeruo*. Hæc & quæ ſequuntur, tum hic, tum in ſequenti Epiſtola ad Leonellum Principem Ferrarienſem, ampliorem parturire videntur notitiam rerum ab Alberto noſtro in Oriente geſtarum. ſed neutram vidimus, niſi fortè eadem ſit vtrique mittenda, quam ſecundo loco ad Leonellum dabimus. At illa nec longiſſima eſt, & vſque adeo rerum narrationem non refert, vt potius tota verſetur in excuſationibus omnia reticendi, ne ſcilicet res ſuas ſcribendo, ſe ipſum laudare videretur. Multas Alberti ſchedas, & lucubrationes interijſſe, vel adhuc alicubi latere, ex hoc, atque alijs Epiſtolarum eius locis conſtat, & forte plures fuerunt, quarum non meminit.

Nota II.

Qui viri fortiſſimi. Extat craſſum volumen Hanouiæ typis Vechelianis anno 1611. impreſſum, in quo congeſtæ ſunt, diuerſorum ſcriptorum hiſtoriæ, de rebus Hieroſolymis, & alibi, in Oriente per Francos, contra Saracenos, hoc titulo, *Geſta Dei per Francos*; ſed caueat lector ne per Francos hic intelligat ſolos illos, quos nos

Gallos appellamus: multa quidem illi fecerunt, præsertim S. Rex Ludouicus, sed multa etiam alij Principes, populique Occidentales ferè omnes. Quos Turci & Saraceni communi vocabulo, Francos vocant, vt in eodem volumine satis declaratum est.

EPISTOLA LXVI.

LEONELLO PRINCIPI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Non minus Burgundus cupiebat, quam Leonellus ex Alberto rescire res, quas in Oriente gesserat. At ille in rebus suis referendis retentissimus, quod id propriæ laudis appetentiam saperet, parauit potiùs Epistolam contra hoc ipsum vitium, quam dum nondum mittere poterat, hanc quasi præambulam misit, per quam ex altera vtilitatem, & sibi, & alijs prouenturam exponit.

TVlit animus nuper, Leonelle Christiane Princeps, aduersus vanissimam laudum appetentiam, qua frequenter, atque in omni penè rerum à nobis gestarum narratione, leuissime nimis vtimur, aliquid vtiliter ad te scribere; super qua re longissimam ad te dictaui Epistolam, ea præsertim ratione, quod cum res quasdam egregias, & priuatas, & publicas, Domino authore, etiam præclarissimè nos gessisse contigerit; haudquaquam sit hoc vllius de nobis modestiæ testimonium, si nos eas, tanquam gloriæ appetentes, admodum celeriter, quamuis rectissimè, referamus. Magna contra ex parte erit in audientibus, & legentibus, sopita suspicio, si ad notitiam hominum gesta nostra, alijs potius referentibus, perferantur. Quo penè semper, & fides maior, & authoritas amplior, rebus nostris accessura est; quamquam autem propriarum rerum, de quibus loquimur, idest quas ipsi gesserimus, fidelem narrationem, rectè, ac sinceriter à probis, & Sanctis viris, posse fieri non dubitem; nequaquam tamen velim sine ratione factum à me existimes, vt hac de re mihi placuerit longius disputare: sed meum, vt arbitror, castum propositum, cum fuerit consummatum, hoc est si, vt gero animo, quamuis fortè mediocriter, dum tamen, & verè, & sapienter illud expleuero; erit mihi præter reliqua commoda maximum documentum humilitatis, atque in effusis laudibus continentiæ. Apud te verò quoddam falsæ æstimationis effugium, & ne tu mihi succenseas, etiam remedium singulare, quoniam ad te scribens, & quæ gessi, Christo propitio, annum iam integrum malens tacere, quam proloqui, ea nunc noluerim (vt forte vehementissimè cupiebas) ex ordine recitare. Si præterea, qui certè sunt, aut suarum laudum insolentia summa leuissimi, aut in proprijs, quæ fecere, narrandis ardentissimè cupidi, & iactantissimè arro-

arrogantes, habebunt, ſi volent, ea noſtra diſputatione, vnde ad grauiorem ſeueritatem traducti, à petulantia peſtifera gloriæ vanioris de ſe ipſis ſeu vera ſeu falſa narrandi, per contemptum deteſtabilium laudum, liberentur. Prædictam verò Epiſtolam noſtram, contra ſuarum laudum arrogantes, iam pene perfectam, nunc edere potuiſſem, ſi non maxima ſcriptorum penuria, & celer valde nauigiorum receſſus hoc effeciſſent, vt illam ad te in præſentia mittere non potuerim. Etſi enim dictata ſint omnia, anguſtia tamen temporis non ſuppeditat facultatem, vt ea ad te, cui inſcribuntur, mittenda ab integro politiùs reſcribantur, quod attinet dumtaxat ad venuſtam formam pulchrorum apicum, & elegantem faciem literarum, vt tandem in chartis papyricis, atque his incompoſitis obcluſæ ſententiæ, tanquam ex medijs ſpinjs ereptæ ſuauiores roſæ, ſertis iucundioribus inferantur. Hæc cum ita ſint, Leonelle chariſſime, tu longiſſimam, quam ſum pollicitus, Epiſtolam patientiſſimè expectabis. Hac interim vicaria noſtra ſchedula, veluti nobis præſentibus recreatus: cui pro amore erga nos tuo, & reditus noſter voto & abſentia noſtrâ moleſta eſt. In literis autem noſtris eloquentiam non requiras, quam cum nullo tempore neque profeſſi fuerimus, neque eam ſiue volentes, ſiue debentes potuerimus exhibere; nunc tantum id maximè verum eſt, quando ex nonnulla, quamuis inuita, cum infidelibus moleſtiſſima nobis conſuetudine, ſtridoreque barbarico, ſordes vel aliquas in elegantia contrahentes Saracenicum magis, & tumultuoſum clamorem, tanquam caninam, vt aiunt, facundiam, quam Romanam eloquentiam ſapiamus. Putato igitur, & hanc, & illam Epiſtolam, quæ ad te peruentura eſt, ſine multa latinitate, partim quidem de noſtro itinere ſimpliciter differentem, quæ gloriam nullam redoleat: partim verò, ac multo magis leues appetitores ſuarum laudum, tum beneuolè, tum acriter arguentem. Vale, & me, vt ſoles, ama, amicoſque ſaluta, quibus & has communes facies, & Patri Epiſcopo, ac Præceptori communi me commendabis. Ex Rhodo die Sanctiſſimo Prothomartyris 1440. commendo tibi harum baiulum, in his, quæ illum iuſta poſtulare, iuſto iudicio comprobabis. Iterum vale.

EPISTOLA LXVII.

EIDEM LEONELLO.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt longa illa, quam in ſuperiori pollicitus eſt, contra appetitores vanæ laudis, per quam docet, quantopere cauendum nobis ſit, à narratione rerum, quas ipſi geſſerimus; primo ne maleuolis, elati animi indicio, calumniandi nos occaſio præbeatur, ſecundò vt ex aduerſo, modeſtia no-

ſtra

stra omnibus innotescat, tertiò exemplis Philosophorum, quartò exemplo S. Pauli Apostoli, & Christi Redemptoris, quintò documentis Euangelij: propter quæ dum author noster, res suas consultò reticet, silentij sui peculiares causas adducit. Narrat tamen parcè, quæ celare non poterat: venire se in Italiam, ducta legatione Aethyopiæ, & Aegypti Iacobinorum ad pedes Eugenij Pontificis, vt Romanam fidem edocti, in vnum Christi Catholicum ouile compaginarentur: ex quo quanta causa gaudij Ecclesiæ prouenerit, explicat, eamque Eugenio Pontifici acceptam refert. Tum de Rege Aethyopiæ, eiusque nominibus, & potentia, ac de Patriarcha Alexandrino Iacobinorum, Aethyopiæ, & Aegypti. Ad caput reuersus, iterum excusat, quod res a se gestas non scribat, ea addita ratione, ne in contumeliam Sedis Apostolicæ, primo alios mirandis nouis compleuerit, quam Eugenium Pontificem cunctorum, quæ gesta sunt, fecerit ante participem.

SOlet mihi sæpe videri, Leonelle Christiane Princeps, eam *narrationem rerum, quas ipsi probè gesserimus* (1) vel semper, vel pro tempore sunimopere nobis, si sapere velimus, esse cauendam: maximè verò, quo ad recta ratio aliud fieri debere persuadebit, ne maleuolis inuidiosa æmulatione, quærentibus occasionem calumniandi, eandem minus cautiores, tum nostra non necessaria gestorum narratione, tum etiam quibusdam malè elati animi vanissimis indicijs tribuisse videamur. Hoc cum fecerimus, proculdubio præclarè sequetur, vt ipsa nostra de rebus gestis, & stylo, & verbis, per sapientiam compressa loquacitas, ab insolentia iactationis abrupta, summam quandam compositi ac sapientis animi moderationem, atque modestiam ipso nostro casto silentio, & Sanctæ taciturnitatis testimonio proloquatur. Huius præclari generis, ab insolenti laude temperantiæ, cuius Philosophos penè omnes, veluti animalia, vt dicitur, gloriæ extitisse Christiani cognoscimus, exemplum egregium, & nulla è mentibus nostris obliuione delendum, in Apostolo nobis Paulo præbitum est. Qui Diuina sapientia, summa eloquentia præditus, in rebus gestis, ac gerendis, omnium victor, vas electionis, claro cognomine appellatus; vt erat tamen, ob insigne mansuetudinis, in nulla re intemperantis animi, omni quidem tempore de se ipso, non solum humilia, sed penè abiecta, & vilia sentiebat: Ea proinde animi lenitate, arte mirifica, in illo fiebat, vt patrator factorum memorabilium, quæ semper duratura nunquam exciderent, intra mentis arcanum contruderet, quæ maxima ac cœlestia cognouisset. Cum autem illum publica vtilitas compulit confutandæ hæreseos, atque ædificandæ Ecclesiæ filiorum, quos in Christo genuerat, tum solum & primum sese commendans, ea quæ annos quatuordecem abdita etiam charos latuerant, mysteria sublimia patefecit: sed hoc ipsum cum quanta modestia fecerit, quis cæcus non videat? purgat enim se laudantem, excusat, refellit, optat, veretur, & ante laudationem quidem suam, quamuis pernecessariam, tanquam concilians indignabundas auditorum mentes, *vtinam*, inquit,

inquit, *sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me*. Post laudationem verò, in qua pseudo-Apostolis semetipsum longe prætulerat, *insipiens factus sum*, ait, *ego enim à vobis laudari debebam, sed vos me coegistis*. In vno sagax, in altero solers, in vtroque modestus. Verum dixerit forsitan Sciolus quispiam astutior, quam sapientior iacturam permaximam veritati huiusmodi virtutum nostrarum silentio prouenturam. At ego aduersus hanc vocem sententiam meam confidenter, atque audacter pronunciauerim, nequaquam scilicet sobrijs Christianis esse verendum, ne res illustres ad sensus hominum, & ad animos eorum non perferantur; si nos eas ob insigne humilitatis, & ob pudorem Christianæ verecundiæ tacuerimus; cum religiosæ virtutis natura præstans magis ita se habeat, vt quo eam plus per modestiam occultaueris, eo plus illa se efferat, plus assurgat, odoris Sancti, & integræ famæ communi eam conspersione latè vulgante; quantoque magis in illa insit diligentia latebrarum à gloria sæculi, tanto, Deo reuelante, & studijs hominum facientibus, palam est: etenim salutaris occultationis mitiore ac pia opera, allectæ hominum mentes tanquam diuinitùs prouocantur, ea potiùs omni studio propalare, ad quæ tutè, vt ita dixerim, *secretanda* (2) niti maluerimus. Si ista non credis mi Leonelle Frater, præter infinitam molem innumerabilium exemplorum, Saluatoris tibi testimonia concrepabunt, ingerentur documenta, tonitrua pauenda terrebunt: Qui & ipse præter id primum, quod ab anno ætatis suæ duodecimo ad trigesimum vsque latuit: propter quod, pleraque suæ sapientiæ non aperuit, propter quod dignus habitus à populis, Rex fieri noluit, propter quod Dœmones illum laudantes compescuit, atque vt huius generis infinita prætercam, quæ & ipsa omnia humilitatis nobis documenta fuere, quis Christianorum non videat, normam nobis fugiendæ iactantiæ præbitam esse: quandoquidem & fragiliores suos fideles admonuit dicens. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, & nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, & *cum oraueris, non eris in angulis platearum, sed intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*. Apostolos quoque, qui & ipsi omni Ecclesiæ perfectionis Principes erant futuri, cum adhuc essent infirmiores, ea quæ, ipso iubente, supra tecta palam erant toto orbi dicturi, ante tamen eos in aure docuit, vt emortua prius per mansuetudinem lenitatis, & per sobrietatem laudationis, vana iactantia, altiore dogmate, quam Pythagoras ille præbuerit, per humilitatem primum bene tacere, post bene proloqui nossent, & vtili nimis silentio, vtiliore castæ eloquentiæ sermone suis motibus moderari perdiscerent. Quæ cum ita sint Leonelle suauissime, quamquam mihi ad te scribenda plurima cogitanti se ingerant, quæ ingentem gloriam suis auctoribus valeant comparare, nihil tamen eorum diligere magis statui, quæ ad narrationem rerum plenissimam pertinerent, quam vt nos noscas sospites ad Christianos Catholicos iam redisse. Quod ipsum & tibi gratum esse non dubito, & id ipsum, ego ex causa quam postea dicam, plusquam dici possit optaueram. Reliqua verò penè omnia,

quæ

quæ annum iam integrum ab Italia abſentes geſſerimus, conſulto prætereo. Nam ſi velim cuncta, aut ſapienter, aut eloquenter, cum tamen neutrum queam, tibi ex ordine recenſere, quæ & acerbi noſtri itineris difficultas, & acti per nos negotij, Chriſto duce, atque authore, amplitudo poſtulare videantur, vereor primum, ne id gloriam quandam inanem ſtultæ iactationis redoleat, maximè apud eos, qui ignari quemadmodum Chriſtianæ mentis intentio in rectè factis referatur in Deum, æſtimant ſobriam in ſcribendo rerum geſtarum laudem, tanquam aucupium quoddam propriæ excellentiæ hominum conſpectibus callidius exhiberi. Accedit deinde quia non Epiſtola nobis erit, ſed penè dixerim longa hiſtoria retexenda, ſi omnia proſequamur, quæ præclarum factum tam integræ cauſæ deſiderare cognoſcimus. Poſtremò ipſi exigui temporis permagnæ anguſtiæ nos prorſus excludunt, ne ad te cuncta dictemus: tametſi nobis facile perſuadere poſſemus, aut obtrectatores non iniquo animo ac maleuolo laudes noſtras, ſi quas mallemus dicere, interpretaturos, aut te ipſum, ſiue quicumqne hæc noſtra lecturi eſſent, longitudinem quantamlibet gratiſſimo animo accepturos. Hæc cum ita ſe habeant video mihi id tantummodo commodius faciendum, vt egregiè geſta nunc propè cuncta prætercam, quæ alio loco ſine vllius faſtus ſuſpicione, ex me ipſo præſente, aliquando forſitan ſecurius poteris audire; quæque vel Deo inſpirante, vel fama vulgante, vel re ipſa manifeſtante, vel alijs poſtremò narrantibus, tibi atque cæteris notiſſima erunt, præſertim ea tibi ex parte ſignificante Alberto illo tuo Ferrarienſi, qui quam mihi pari nomine eſt valde ſimillimus, tam me iucundo cognomine longius antecellit, vſque adeò, vt non exiguo vocabulo mihi videatur, vt vocatur *Dulcillus*, *vel ſi latinius dico, Dulcettus* (3) ſed maiore quadam compellatione dulciſſimus ſit habendus. Cum quo me ſpero celeriter ex Rhodo, quæ prima Cycladum eſt, & vbi nunc ambo ſumus, ad Italiam reuerſurum, *quamprimum ille legationem ſuam è Syria ad Eccleſiam deferendam expleuerit* (4) nos verò noſtram ex Aegypto ad Sedem Petri tulerimus. Ex ipſa autem, quam nominauimus, vetuſtiſſima Prouinciarum Aegypto optamus vehementer hunc Principem huius noſtræ legationis, quem ex nomine Chriſtianorum Aegyptiorum nobiſcum nunc ducimus, Eugenij Papæ Sanctiſſimi ſpecioſiſſimis iuxta Apoſtolum pedibus, ſumma cum exultatione ſubſternere: Virum ſane inter ſuos non exigui loci, quem Abbatem & Patrem dicunt magni numeri Monachorum, eius procul dubio Monaſterij in quo veterem illum Anthonium Aegyptium Monachum, Principem maximum Monachorum, notiſſimum orbi terrarum, maiores noſtri & vitam longiorem duxiſſe, & diem ſanctiorem obijſſe commemorant. Hunc nos, quanto cum periculo, tanquam prædam ex ore Leonis, ab illa Saracenorum, quę ab Incolis Cayra dicitur, famoſiſſima, & vetuſtiſſima Vrbium, eduxerimus, quoniam pene nihil geſtorum tibi ſignificare propoſui, & hoc vnum de induſtria, & illa, vt iam dixi, quaſi cuncta prętereo. Finem dumtaxat rerum omnium tibi noſſe ſufficerit:

cerit: ob id, ſcilicet, illum veniſſe nobiſcum, quos Pontifex Maximus huic negotio deſtinauerit, vt ex perſona magni illius Patriarchæ, ſui, ac omnium omninò Iacobinorum, miſſo eodem Romam pro legatione S. Concordiæ, ſicut & vnico conſilio & publica inter nos conuentione ſimul ſtatueramus, etiam Regis Aethyopum, & cunctæ Aegypti erga communem fidem cauſa ventiletur: in quam cum in plurimis, maximiſque articulis impingentes, à regula fidei periculoſè valde, atque obſtinatè aberrent, eadem tamen cauſa, cum Romana primùm grauitate, diligenter diſcuſſa, fructus ex ea tandem pacatæ diſcordiæ, cœleſtiſque vnionis, Eccleſia Chriſti, & Cœlo ipſo æquo iure exultante, proueniant. Iuuat me Leonelle iterum atque iterum præ lętitia tam illicibili, ſi de Sanctis loquamur mentibus, deque Diuinis ſuauitatibus caſtiſſimæ voluptatis & repetere, ſi modo non te tœdeat legere, & exarg erare, quod dixi futurum, ſcilicet vt & Eccleſia Chriſti, & Cœlum ipſum, ſuppreſſa priſca diſcordia, ac noua aucta concordia, æquo iure, ideſt ſinceriter, & non inepta iucunditate, exultet: nam ſi hoſce æterni odoris iucundiſſimos fructus noſtra ætate in Eccleſia Chriſti, non dicam contingere, non guſtare, ſed tantum eminùs ſpectare contingat, quis vllis verbis integram fidelium lętitiam explicauerit? quid iucundius, quid lętius accidere poteſt? quam abiecta antiqua ſterilitate, videre Diuinas arbores fęlicibus radicibus latè virentes, cœleſti pluuia rediuiuas, ſpiritu vitali amęnas, ſuperna fœcunditate feraces, fructus Diuinæ ſationis, & Apoſtolici cultus, quibus ſumma auiditate Chriſtus veſcatur, vberrimos edidiſſe; quæ prius aridæ, fœdæ, ac ſteriles, æternis adurendæ parabantur incendijs, & Diuino, eodemque vltrice, ſecandæ ferro, ſolis aptæ videbantur ſtruendis infernalibus rogis. Nunc verò, quæ voluptas præſtantior dici poteſt, quam reſtinctis veteribus odijs, intueri in Eccleſia pacificam charitatem, atque ab antiqua illa, & male decrepita nongentorum, & eo amplius, vt ferunt, annorum diſſenſione, & maximę hæreſeos ſimultaté, in amplexus priſtinæ quidem, ſed &, quod eſt longe ſuauius, Euangelicæ amicitiæ, & Apoſtolicæ neceſſitudinis iam rediſſe. Equidem hoc loco, mi chariſsime Leonelle, ipſa ſpe frugum, veluti ſuauiſsimæ rei recordatione commotus, pro qua laborum meorum grauiſſimam perpeſsionem ignoras, quod ad me attinet, vocem lętitiæ erumpere conantem compreſſerim. At verò pro Eugenio Beatiſsimo, reſiſtente mundo, libera voce, ſublimius acclamauerim: ò Pontificem pręclariſsimum, & veri Paſtoris Chriſti, nec minus Petri imitatorem: qui ſummo ſtudio pauendę ſolicitudinis, mille diris mortibus, etiam in vltimas vſque terras, errabundas oues pij Paſtoris exquirit. Verùm inter hęc omnia, vt ad finem cito pergamus, & tibi, quam ſupra pollicitus, rationem exhibeam; opto, quamprimum fieri poteſt, ad Italiam remeare: cuius honeſti mei, vt arbitror, deſiderij, pręter reliquas omnes, atque eas permultas cauſas, illa pręcipua eſt, quod mihi videor apertè perſpicere, necdum Deo noſtro pro meis ſceleribus placuiſſe, *vt vel illi exhiberer, per Martyrÿ gloriam* (5) iuxta Scripturam S. holocauſtum medullatum,

Vv ac

ac suauissimum: vel vt Sedes Petri statuerat, pro Catholica fide augenda, in Aethyopiam transmigrarem, ad Regem illum Aethyopum, potentia, vt ferunt, ac diuitijs, vtinam etiam recta fide, omnium præstantissimum: Quem nos quidem vulgo, & vsu penè quotidiano, *Presbyterum Ioannem appellare solemus* (6) Sui verò hoc de illo nostrum nomen ridentes, cum pro gloriæ ac potentiæ magnitudine, & pro honoris exhibitione Constantinum communi dignitatis nomine vocant; veterem illum Romanæ Reipublicæ Principem iactatione potentiæ referentes, qui prior Christo ex Augustis, vt memoriæ præbitum est, post Philippum, fidei baptisma suscepit. Atque adeò illi quidem in suo illo Rege videntur vetustatis memoriam reuocare, & ostentare vires; vt licet Rex ipse eorum, exempli causa, siue Iacob, vt iste qui modo Aethyopiæ præest, siue aliud quippiam nomine proprio vocitetur, præter vsurpationem Romani nominis, atque terroris etiam; cum non vereantur Regem Regum, velut imperantem omnibus orbis Regibus appellare, quæ sanè superbissimi nominis varia iactatio omnimodis execranda est, ac detestanda fidelibus, cum tantæ gloriæ clarissimus titulus, neminem præter Christum decere, & ratio persuadeat, & fides edoceat, & rectissimus ac vetustissimus vsus ostendat. Quem quidem Christum nostrum, Ioannis Apocalypsis diligentissima perspicacitas, pro summæ illius gloriæ maiestate, sapienter distinguens, Regem illum solum cunctorum Regum, & Dominum dominantium, subacta omni omninò sæculi potestate merito statuerit nominandum. Istum ergo Regem Aethyopum, vt ad propositum redeamus, qui centum Regum Imperator esse refertur, è quibus tredecim Barbarorum duro marte subiecit, Constantinum per dignitatem, vt prædiximus, dicunt; quamuis nomen aliud in Baptismate sortiatur: quæ mihi differentia tam minus admirationis afferre probatur, quam magis cum doctis viris de his rebus loquendum sit. Neque enim tu ipse es nescius, doctissime Leonelle, & nunc vsque apud Romanos Cæsares, atque Augustos, penes quos summa rerum est constituta, & olim apud Aegyptios, siue Pharaones, siue Tolomeos, siue nunc quoque Soldanos vocari solitos, quamquam eorum quisque, & modo, & hactenus, propria non dignitatis, sed personarum nomina sortirentur. Itaque & nos quidem eiusmodi vsus cum reliquis non ignari, potentium congruas appellationes, pro tempore & pro sublimitate gradus, damnare non audemus; nisi cum quisque superbi nominis insolentia, nimium se extulerit. Atque hac mente ea locuti sumus, quæ de Rege illo Aethyopum superius diximus. Quem cum nequaquam aliquando viderimus, sua tamen permulta in Agypto didicimus, ab his qui se illum vidisse, & sua omnia nosse profiterentur. Verum de illo hæc hactenus. Nam de Patriarcha illo suo, cum quo fidei causam agentes, sæpe & multum locuti sumus, si fortè vel breuiter aliquid scire desideras, nihil aliud in præsentia dico, nisi quod etsi habitatio ac mora illius, non in Aethyopia sed in Aegypto, atque apud Cayram continua sit; Aegypti tamen totius, & omnis Aethyopiæ curam gerit. Quam verò ob causam, neque

in Alexandria, cuius inſigne officij poſſidet & titulum dignitatis, neque in Aethyopia, cui & imperat, & capita præficit, ſed in ipſa ſemper Cayra vitam degat, nimis eſt longum differere: ſatis eſt noſſe in his, quæ ad Deum pertinere videntur, hoc eſt in ſpiritualibus curis, Patrem eum eſſe & Paſtorem, & caput duarum illarum Prouinciarum, alterius vetuſtiſſimæ, alterius maximæ, ditiſſimæ, potentiſſimæ, & cuius, vt reliqua prætermittam, vulgi maxima multitudo, & ingens frequentia populorum incredibilis eſſe refertur; quæ & fortiſſima eſt, & miro ardore fidelis, ſi non eſſet multis errorum ſordibus, credo per ſuorum paſtorum, vel ignorantiam, vel perfidiam, inquinata. Nobis autem pro longitudine, ac difficultate itineris, patria illa penè inacceſſibilis eſt. Nam quam & deſerti horrenda vaſtitas, & infidelium inſana ac ſæua barbaries vndique cingere perhibetur, nullis ſane ad eam, niſi cum capitis quoque certo periculo, & mortis vicinia volentibus proficiſci, vllus patet acceſſus. Patriarcham verò, vt dicere cœperam, poſt Romanum tamen Epiſcopum, omnibus Prælatis Eccleſiæ, hæ quidem ambæ Prouinciæ præſtare confirmant: Iacobini præterea eiuſdem Patriarchæ proprium, & terribile genus, hoc eum eſſe quod diximus etiam vehementer contendunt; tenentem, vt aiunt, loco præclaro Euangeliſtę Marci veterem illam, ſed vt ego ſentio, vere vacuam Sedem; & ſpirituali edicto, omni, vt diximus, Aegypto atque Aethyopię imperantem. De cuius, à ſubditis omnibus, quamuis pręclaris Regibus, exhibita illi ſummo cum honore, ſumma obedientia, deque conditionibus, ac reliquis moribus ſi dicere proſequar, grandis nimium futura erit Epiſtola. Quod ego quia fieri nolim, atque vt tandem aliquando finem dicendi faciam, hęc ad te de noſtro itinere ſcripſiſſe ſufficiat, atque ad cęteros nobis notos, eoſque maximè, qui cum hactenus fuerunt noſtri, etiam deinceps ſeſe fore amicos noſtros pollicebantur, hodieque, vt arbitror, in amicitia perſeuerant. In quibus poſt te quidem, ſi non acriter ferant, ſed pace eorum, ante reliquos omnes, pręceptor communis pręcipuè Princeps eſt: Auguſtinum verò Villenſem illum, Franciſcum Mareſcalcum, Philippum Bendedeum, vt nequaquam ſe putent profunda apud nos obliuione ſepultos, tute illos non ęſtimes noſtro ſilentio poſthabendos. Hoc autem in ſcribendo, vt pręuides, diligentius obſeruare curaui, ne per occaſionem narrationis omnia explicans, viderer me ipſum vanis pręconijs, rerum magnificè ac probè geſtarum, inaniter pędicare, atque extollere voluiſſe: *non quia quæque præclara* (7) ſi id tempus, & locus, & cauſa aptè poſtulant, & rectis mentibus, rectè ac ſine vitio narrari non queant: ſed quia mihi modo hac potius parte modeſtiæ vti collibuit, vt vel me admonerem, non facile, quę egregiè quamquam geſſerimus, proprijs aut Epiſtolis, aut ſermonibus efferenda, quæ tamen & ipſa ab alijs bene ac ſapienter facta, & nos ipſi ſæpe honeſtiſsimè prædicamus, & maiores noſtri ſummis in Cœlum laudibus, ſummoque ſplendore, & gloria omnis eloquentiæ extulerunt: ex quo fit proeul dubio, vt quamuis mihi modo hoc ſcribendi genus, tanquam linguæ, & calami

castimoniam complectendam existimauerim; haudquaquam propterea mihi ipsi à me ipso putem esse præscriptum; quominus ea possim, quæ tacui, cum voluero explicare. Itaque vel tibi, vel reliquis amicis, de his alias forsitan plenissimè scribens, suauissime Leonelle, ea omnia, quæ silentium nostrum per modestiam huc vsque protexit, cum libuerit, plenissimè referam, si mihi hoc faciendum esse, aut consulta ratio persuaserit, aut communis vtilitas consuluerit, aut vrgentis postremo causę necessitas vlla compulerit. Præsertim, si ea primum, vt dignum est, post reditum nostrum Eugenio Pontifici Maximo coram retulero, ne in contumeliam tantæ Sedis, primo alios mirandis nouis compleuero, quam illum cunctorum, quæ gesta sunt, fecero ante participem. Vale ex Rhodo 1440.

N O T AE.

Nota I.

Narrationem rerum quas ipsi probe gesserimus esse cauendam. Albertus quidem hæc, quibus excusaret se à narrandis alijs hominibus res à se in Oriente gestas, priusquam Eugenio Pontifici referret, cuius authoritate gestæ sunt, nos de hac quæstione hic nihil: eam enim fusè & vniuersim tractauimus in Epistola, quam à nobis ante multos annos exegit Illustrissimus D. Michael Iustinianus Abbas: quæ quoniam ad rem elucidandam aliquid conferre poterit, integram hic edere visum est, vt sequitur.

ILLVSTISSIMO DOMINO
MICHAELI ABB. IVSTINIANI
PATRICIO GENVENSI.

FR. FRANCISCVS HAROLDVS HIBERN. ORD. MIN.

PRæsentiam tuam (clarissime Iustiniane) desideratissimam sanè mihi, reddere solet colloquij tui iucunda vtilitas. Neque enim à te vnquam non lætior, doctiorque recedo; cum & res ad profectum optimas, & opportunas, atq; ad voluptatem semper nouas adferre consueueris. Sed adeò abundat erga me humanitas vestra, vt absenti quoque mihi non liceat modo, sed etiam amicè per te præceptum sit, tecum pariter absente conuersari; vt præsentiæ fructus & oblectamenta etiam absenti mihi non desint. Cum nuper inter nos de historica scriptione sermo incidisset, nouam quæstionem, sed antiquis rationibus dubiam excitasti: an rectè sentiant, qui arbitrantur propinquorum facinora à nemine literis commendari debere, quod inanis gloriæ studio id fieri videatur, vt maiorum præconijs, magni ipsi haberi possimus, vt specie quadam Idololatriæ, vel viuos nos, vel vanas defunctorum vmbras, ab alijs adorari cupiamus. Proinde quæcumque huiusmodi scripturi sumus, non rectam rationem, non amorem veri, non communem vtilitatem, sed nostri philautiam cœcam illam, & cœcorum ducem, ea nobis dictare credendum esse; etenim propinquitatis affectu facile fieri, vt vel fingere aliquid velimus, vel vltra modum extollere, vel præter æquum excu-

excusare, vel in aduersum acrius inuehi. Et quidem propter hæc, antiquo iure, propinquos & familiares, à ferendo testimonio, iudicioque prohiberi; præterquam quod laus in ore proprio semper sordescere visa sit: vt quam rectè Salomon: *laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua*. Timenda est semper censura, quæ, Catonis nomine, pueris etiam instruendis proponitur.

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse.
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Atque ex his quidem illi, quamquam diligentis operæ pretium æstiment magnorum virorum acta, & consilia, alijs ad imitationem exponere; id tamen vt ipsi faciant, aut qui ijdem cum ipsis censeri possint, neutiquam expedire.

At ego, cum hæc tecum discutere gestirem, tu iussisti, vt illo temporis alijs rebus concesso, ego rem à me scripto, vt rogasti, disputandam tibi traderem: sed suadendo, vt facerem, fortius dissuasisti, dum diceres, plurium te ac doctissimorum hominum sententias, in eandem rem colligere velle, & inter eas, meam etiam collocare. Hæc enim, vel sola præfatio doctissimorum hominum deterruit me, ne suffragium meum, nec iudicio solidum, nec stylo comptum, nec eruditione amœnum, nec sententijs floridum, in illo musarum choro productum, illicò me graculum demonstraret: sed occupauit etiam animum meum periculosius dilemma, & calamum diebus multis suspendit; nam si à sententia ferenda me subtraherem, tu me statim violatæ amicitiæ reum constituebas; si cum illis consentirem, quorum opinionem iam exposui, me ipsum condemnabam: qui de Franciscanis rebus, ex officio scribo; quibus vita, & voto coniunctus sum. Si verò de suis, cuique scribendum edicerem, illi continuò accusationem suam repetebant: nempe me causam propriam in his agere, atque adeò ab hoc tribunali, vti testem non idoneum, repellendum esse: propterea quocumque me verterem, factum meum non tam profuturum argumento, quam nociturum authori præuidebam. Malui tamen hoc qualecumque discrimen oppetere, quam vel officium amico, vel suffragium veritati denegare: mollia enim officia sunt, & virtute vacua, quæ nulla difficultate, nulloque nostro, vel damno, vel periculo præstamus. Igitur, vt mihi eueniat, eo sanè authoritas & ratio me pellunt, vt pronunciem, non licere solum, sed etiam expedire, vt suorum res gestas aliquis conscribat, immo quandoque suas, cum id communis, vel propria necessitas, vel condigna vtilitas, maiorumue authoritas postulauerit, Etenim qui

Quidquid est potentia
Magna creauit, nec regit
Minore prouidentia,

Is mihi non minus videtur occulta sua vocatione hominum corda tangere, ac trahere voluntates, cum hunc ad coniugium, illum ad cœlibatum, istum ad religiosæ vitæ rigorem, alium ad sceptrum, alium ad Stiuam vocat; Titium castris, Caium aulæ, Antonium Eremo adaptat; quam cum docti cuiuspiam, & integri viri mentem, & calamum, in certa scriptionis argumenta, ad gloriam suam, & Reipublicæ vtilitatem

tatem dirigit, aut etiam impellit. Quid prohibet autem, ſi quempiam ad ſuæ gentis, aut proprias res ita ſcribendas, Diuina vocatione concitari dixerimus? cum iam conſtet Moyſem è fluctibus, & communi contribulium nece ereptum, vt ſua, & populi ſui res tùm gereret ipſe, tum ipſe narraret: aut reliquos veteris teſtamenti ſcriptores negabimus à Deo vocatos, vt ſcriberent? & tamen Ioſue quoque bella ſua, & populi ductum; Iob prioris vitæ ſuæ proſperitatem, filiorum delicias, perſonæ ſanctimoniam, tentationem, victoriam, & reſtitutam ſuis meritis ſubſtantiam, & prolem, denique pecus ipſum enumerat. Dauid quid vitæ ſuæ canere prætermiſit? Vrſum & Leonem occidiſſe, ipſe nobis author eſt. Quid ſapientiſſimus Salomon omiſit ſuæ? Samuel de ſe ipſo & ſua matre? Tobias de ſe & ſuo filio? Eſtheris acta ſcripſit Mardochæus, eiuſdem ſanguine patruelis, & educatione pater. Cęteras res Hæbræorum numquid non omnes fere, qui ſcripſerunt, Hæbræi? Poſt Chriſtum quis vel ſanguine, vel patria, vel etiam perſona, vel ſaltem patrocinio coniunctorum opera, iubente Deo, nobis non tradidit? dicemus igitur Patriarchas, & Prophetas, dicemus Euangeliſtas, dicemus Lucam in actis, Ioannem in Apocalypſi, Paulum in Epiſtolis, vanæ gloriæ, Philautiæ, vel Idololatriæ criminibus laboraſſe? dicemus ne omnes aliquid finxiſſe? vel ſupra modum extuliſſe, aut præter æquum excuſaſſe; ſeu ipſorum teſtimonijs fidem, vel ſententijs obedientiam denegabimus? blaſphemiam! et ſi nobis obiecerint authoritatem Diuinam, quæ illorum libris ineſt, non permittere paritatem. Ego potius id mihi in lucrum ſumo: nam quidquid Deus, ac Diuini homines, vel fecerunt ipſi, vel alijs faciendum dictarunt, illud nobis exemplo, hoc documento eſſe debet: Nec video cur Deus Moyſen ſcribere iuberet, vt fidei Diuinæ authoritatem habeat, & non poſſit imperare Cęſari Baronio ſcriptionem, vt crederetur ipſi fide humana, & tamen humilis & modeſtiſſimus Baronius, etiam de ſe ipſo aliquid. Legant Auguſtini & Confeſſiones, & alia de ſe, de Patre, de Matre, & de laudibus Adeodati filij, vt ipſe vocat, peccati ſui. Legant Hieronymi Epiſtolas, Gregorij Nanzianzeni vitam à ſe ſcriptam. Et hos, alioſque ſimiles, qui innumeri viri præſtantes, ſuas, & ſuorum res conſcripſerunt, à teſtimonio, iudicioque repellent? Credent Ioſepho Iudęo, vel diſertiſſimo Philoni, & alijs eiuſmodi Iudaica narrantibus? credent Polibio, vel Thucididi Græcis, Græca ſcribentibus? credent Criſpo, Suetonio, Tacito, laudatiſſimis Romanarum rerum Scriptoribus Romanis? credent denique Iulio Cęſari victorias fortitudinis ſuæ, & ingenii machinas, & ſtratagemmata, nudè, rectè, venuſtè referenti? credent oppidò, quamquam gentilibus, quibus terrena gloria patrimonium fuit, cum cœleſtem non expectarent. Credant ergo Chriſtianis, in quibus religio mendacium, verecundia vanitatem cohibet, dummodo inſpirante Deo, vel ſuas, vel ſuorum res, grauiter, & modeſtè ſcribant. Porro quis neſciat quanta nunc ſit, & ſemper fuerit fides Epigraphis, & Epitaphijs, quę incidi curarunt aliqui ſibi ipſis, Patres

filijs,

filijs, filij parentibus, mariti charis vxoribus, nepotes Auis & Atauis, clientes Patronis, amici denique amicis, vt memoriam illis ponerent, non nisi corroso ęre, vel comminuto marmore perituram: de quibus loquens Iulius Iacobinius, vir eruditissimus, in Epistola pręfixa ad comment Ioan. Baptistę Frontei de prisca Cęsiorum gente, sic censet. *Meo quidem animo, à doctis & literatis viris consultum mortalibus est, vt scilicet quæ plures homines præclarè fecere, facta ipsi perscriberent, & in pluribus quasi tabellis expressa, hic atque illic exempla ob omnium oculos obijcerent: ex quo homines rerum laudabilium præsidijs, ad omnia muniti existerent, indiesque fieri prudentiores possent.* Sane qui eruditi viri vitam contexuerit, non gemmis viliora reputat, si quæ ex ipsius operibus fragmenta, ad personam pertinentia, colligere potest. Quam fidem habebimus nauigationum, itinerum, nouarum conquisitionum, propagationis fidei, priuatarum actionum, consiliorumque relationibus, in quibus & actor & nuntius ferè semper idem? Omnium consensu, nemo ad historiam conscribendam est magis idoneus, quam qui rebus gestis interfuerit; sed ille quis certius, quam qui gesserit? quis diligentius, quam qui suum in opere habet? quis cautius, quam qui actionis defectum, & scriptionis mendacium simul sibi exprobrandum timeret? Cum de alienis scribimus, quæ nobis notiora esse, aut commodius, certiusque discere potuimus, quam quæ ab apertis primum auribus Domi nostræ, perpetua traditione, audiuimus, quæ à soluta infantiæ lingua, per partes interrogauimus, quę in Maiorum trophæis, in picturis, & sculpturis, in ipsis operibus, oculis nostris conspeximus, & in secretis documentis manus nostræ contrectauerunt? quæ scriniorum custodes, nulli liberius, aut libentius, quam domestico pandent. Quod si de Patria scribendum sit, indigena itinerum vias, actionum opportunitates, & obstacula, hominum mores, & alia his cognata percallet; in quibus alienigena ad singulos passus, vel cespitat, vel sæpius cadit. Verum tametsi, quæ aduersus hęc prius allata sunt, prima fronte prohibere videantur, vt nemo suæ ciuitatis, aut patriæ; nemo propriæ Religionis acta, nemo Christianus Ecclesię Christi historiam, nemo Gentilis priscorum heroum facinora, non miles rem bello gestam, non Senator consulta, non iurisperitus Principum decreta, vel scira plebis, non nauta cursum Oceani, non medicus herbarum vires, aut curationis modos, non etiam mercator libros rationum, conscribere deberet: nam & hic obolum debitoribus addere, creditoribus demere possit; nulli denique in arte sua credendum fore, atque adeo omnium iudicio, & consuetudini contraria esse, quispiam suspicari posset: ego tamen de rebus suis, vel suorum scripturienti, quamuis hęc scriptionis impedimento fore debere nullo modo consentiam, certè tamen, vt moderationis documento, & cautelæ sint omnibus suaderem; vt etiam ipsi mihi optarem, vt optima mente opus aggrediamur: vt nihil tribuamus philautiæ, vt adulationem procul pellamus, vt non tam laudare nos, quam alios nostrarum, vel aliarum, de quibus scribimus, actionum imitatione laudabiles

les faciamus. Denique vt in scribenda historia, nihil eorum committamus, quæ vel superius obiecta sunt, vel posterius meritò nobis obijci possint. Sic enim in omni tribunali testes erimus, omni exceptione maiores. Nec terret illa propriæ laudis prohibitio, nec enim Encomiastes esse debet, qui res gestas narrat: & si quid vel improbat, vel commendat, non id affectui, sed orationi concedit; nec maleuolentiæ, aut fauori personæ, sed integræ, & rectæ censuræ, de facto ipso, quod ea ratione, vel imitandum, vel deuitandum efficacius inculcet, vt excitet lectorem, non tam admiratione personarum, quam amore virtutum, & cognitione authoritatis bonorum omnium, ad quæ, quos vult, eligit, & quos vult, relinquit. Etenim cum Christus Dominus opera nostra bona, ad gloriam Patris, ab hominibus videri posse concedat, certè Salomon haudquaquam illi contrarius, non historiam sed vanam extollentiam prohibere censendus est, cum & ipse præscribat, Patrem à filio, non in opere tantum, & in omni patientia, sed etiam sermone, & omni conuenienti cultu honorari debere; quod post cultum soli Deo debitum, primum in decalogo præceptum est. Non magis profectò, cum nostra scribimus, timenda est propriæ laudis appetendæ calumnia, quam cum aliena narramus, ne res egregiè gestas deprimamus, vel secus facta amplius aggrauemus, siue id ex inuidentia, siue ex maleuolentia, siue ex alienæ rei negligentia, siue à facili ignorantia prouenire possit, ita vt vel nec nostra, nec aliena scribere omninò debeamus, vel certè vtrobique pari nos calumniarum periculo exponamus: quę vtrobique contemnendæ sunt, modo prudentiæ, & integritatis terminos non transiliamus: quos in omni actione humana præ oculis, semper habere debemus. Igitur seu ego de Minoribus meis, seu alius de Maioribus suis, seu vterque de extraneis scribat, ad historiæ finem perinde est, dummodo res, quas narramus, dignæ sint, & veritas constet, eaque nuda, vel modestè, grauiterque vestita proponatur; neque in rebus nostris magis vituperanda sunt vitia historiæ, quam in alienis; neque virtus in alienis magis placere debet, quam in proprijs. Nec propria laus apud graues viros sordescit, modo vera, & modesta, atque vel sustinendæ authoritatis, vel famæ tuendę necessitas, vel Diuinæ gloriæ, & alienæ salutis vtilitas, vel Maiorum imperium illam eliciat. Et sanè criminis magis reus vbique reputabitur, qui probum, doctumque virum, integritatisque suæ possessorem, in vanitatis, aut falsitatis suspicionem temere vocabit, quàm qui dona Dei, sibi, suisque collata, optimo fine, & mente perturbationibus libera, grauiter, eruditè, & modestè manifestat: vt fecit speculum, & Magistra humilitatis, cum exultabunda caneret. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & Sanctum nomen eius.* Quæ cum ita sint, ad te denique redire, nunc mihi liceat, clarissime Iustiniane, & obnixè rogare, vt rei literarię, politicę, militari, Ecclesiasticæ, vno facto vtilis esse velis, nobilissimæ gentis tuæ Iustinianæ vtriusque fortunæ casus, & heroica facinora, vno corpore concin-

cinnando, qua integram, & abſolutam Rempublicam & priuatam ſimul nobis exhibere poſſis. Eſt enim Iuſtiniana gens, ea ſtirpis vetuſtate, actionum virtute, vitæ ſanctimonia, doctrina, ſago, toga, purpura, pædo, & vtriuſque fortunæ varietate talis, vt approbandæ æmulationis incitamentum, regendarum actionum exemplum, & omnis fortunæ moderatè, & æquanimiter ferendæ norma alijs fidenter proponi poſſit. Hoc operæ meæ pretium eſſe cupio, nec Epiſtola, ſed volumine denſo mihi reſpoderi volo. Vale è S. Iſidori in Vrbe XII. Kalend. Nouembris 1661.

Nota II.

Secretanda. Non defuit Alberto lingua Latina, ſed familiaritatis licentia hic vtitur pro *ſecretò ſeruanda*, cuiuſmodi vulgares dictiones multi in familiari Latino ſermone, vel emphaſis gratia, vel alia cauſa miſcere ſolent. Recentior quidam eloquentiæ profeſſor, non negauerim tamen, inquit, debere aliquando oratorem eſſe Logodædalum, ideſt, ingenioſum verborum architectum, quod & Horatij authoritate confirmat Mendoza in viridario, lib. 7. cap. 13. vbi & Ciceronis & aliorum huius generis exempla producit, & ſi longus eſſe vellet, infinita propemodum aceruare poſſet. Nec alius frequentior verborum Architectus eſt, quam Romanæ Princeps eloquentiæ.

Nota III.

Dulcillus, & ſi latinius dico, Dulcettus. Non quod Dulcettus, quod præter deſinentiam vulgare Italicum eſt, Latinius dicatur, quam Dulcillus; ſed author ſe excuſat, quod vt Latinius loqueretur *Dulcillum*, dicendo cognominis vocabulum, quod Dulcettus eſt, quodammodo corruperit, ipſum non ad verbum, ſed ad ſenſum Latinè efferendo.

Nota IV.

Quamprimum ille legationem ſuam è Syria ad Eccleſiam deferendam expleuerit. Hinc habemus Albertum Dulcettum Ferrarienſem, vel Aethyopes Iacobinos, de quibus ante diximus, per Syriam, ſeu viam Hieroſolymitanam duxiſſe; vel, quod mihi verius eſt, ſpecialem legationem, ex ipſa Syria ductarum; tum quod Albertus noſter, hoc loco, ſuam Aegyptiacam legationem ab alterius Alberti Syriaca diſcernat; tum quod poſt vnionem Iacobitarum, in Actis Concilij apud Iuſtinianum, reperiam decretum peculiare vnionis Syrorum editum Laterani in publica Seſſione Synodali anno 1444. pridie Kal. Octobris, ibique traditum Abdalæ, Archiepiſcopo Edeſſeno, qui Ignatij Patriarchæ Syrorum, atque totius Nationis ſuæ Legatus, Romam venerat (quo Concilium Florentia ab Eugenio Pontifice tranſlatum fuit) humiliter & deuotè poſtulans, vt eam fidei Regulam, quam Sacroſancta Romana profitebatur Eccleſia, eidem (ait Pontifex) traderemus.

Nota V.

Vt vel illi exhiberer per Martyrij gloriam. Hic iterum lamentatur ſe Martyrij quæſtionem euaſiſſe, de qua nos, in eius vita, & Vvaddingus ad annum 1439. num. 40.

Nota VI.

Presbyterum Ioannem appellare ſolemus. De hoc, & alijs nominibus Imperatoris Aethyopum, narrat Albertus ea, quæ ab ipſis Aethyopibus in Aegypto ſe didiciſſe dicit; narrant alij alia, pari ſe authoritate fulcientes: vide, ſi libet, Iuſtinianum in actis Concilij Florentini part. 3. num. 15. pagin. 380. Ludouicum de Vrreta lib. 1. hiſtoriæ Aethyopicæ, cap. 7. & huius in multis iuſtum reprehenſorem, Nicolaum Godignum de rebus Aethyopiæ lib. 1. cap. 5. Damianum à Goes de moribus Aethyopum, tom. 2. Hiſpaniæ illuſtratæ pag. 132.

Nota VII.

Non quia quæque præclara. Hic moderatur prudens Albertus, quod prius pronunciauit, neminem res à se gestas narrare debere, imo tunc etiam addidit, *maximè verò quoad recta ratio aliud fieri debere persuadebit*, & hic fieri posse censet, *si id tempus, & locus & causa aptè postulant*. Vnde dat spem, etiam ea quæ tunc tacuit, & ipsi Leonello, & alijs amicis, cum ipsis opportunum videbitur, enarrandi; nunc autem ideò vel maximè tacuisse, vt rem prius Eugenio Pontifici referret, *ne*, inquit, *in contumeliam tantæ Sedis, primo alios mirandis nouis compleuero, quam illum cunctorum, quæ gesta sunt, fecero ante participem*. Quæ sanè ratio sola sufficiebat, ne cuncta tunc alijs perscriberet.

EPISTOLA LXVIII.

MAGNO SOLDANO SARACENORVM.

ARGVMENTVM.

Joannes II. Castellæ Rex Mahomad Aber, Azar, Maurorum Granatensium Regi armis infestus erat: Interposuit se apud Eugenium Pontificem Soldanus, vt Ioannes à vexandis Granatensibus desisteret. Respondet hac Epistola Pontifex, operam suam necessariam non esse, cum Reges iam inter se inducias inierint. Et arrepta hac occasione Soldanum ad fidem amplectendam hortatur; cuius certam veritatem, vt Saracenus edisceret, optionem dat Pontifex vt vel ille suæ legis peritos, cum Christianis doctoribus disputaturos, in Italiam mitteret; vel si mallet concertationem de fide Cayri haberi, se missurum, qui Christianæ Religionis veritatem, necessitatemque propugnarent. Demum interea, & ædificia, & Ecclesias, & peregrinos Christianos, Terræ Sanctæ illi commendat.

EVgenius (1) Seruus Seruorum Dei, Papa omnium Christianorum, & Episcopus magnæ, & antiquissimæ Vrbis Romæ, Magno Soldano Aegypti optat in Domino æternam salutem, ad quam per viam veritatis incedentes soli perueniunt. Dilectus & Religiosus filius noster *Gandulphus*, *Guardianus* (2) per nos olim factus in Monte Syon, & locis alijs Terræ Sanctæ, nobis nuper per duos ex fratribus suis renunciauit, quomodo illum tua à Domino Deo nostro magna potestas ad Caytum ex Hierosolymis aduocatit, *petens ab eo instantius* (3) vt ad nos quamprimum curatet diligentius de tuo desiderio scribere, vt videlicet per nostrum studium, dilectus filius noster, illustris, ac potentissimus Rex Castellæ, cum Rege Granatæ pacem salutaris quietis cito componeret: sicut per suos Legatos Rex ipse Granatæ te vehementer rogauerat. Hæc nos omnia, cum audiuissemus, tuæ magnitudini sanè fatemur, ea nobis vel maximè fuisse gratissima, quod occasionem honestissi-

mam

mam præbuerunt ſcribendi tibi, & ea ſignificandi, quæ Deo acceptiſſima eſſe non dubitamus. Nobis autem chariſſima ſunt, & tibi, atque omnibus tuis, ſi rationem conſulas, placidiſſima eſſe debebunt: Deſideramus enim ex totis præcordijs noſtris, ſi iuſtus, & Omnipotens Deus hoc nobis munus de Cœlo ex iuſta ratione donaret, & tecum, & cum omnibus hominibus, qui ſub Cœlo ſunt, Sanctam, & veraciſſimam pacem habere. Et quidem, quod attinet ad concordiam duorum Regum illorum, de quibus nos rogas, non oportet nos in præſenti admodum fatigari, cum certum habeamus, inducijs iam interuenientibus, *eos à mutuis iniurijs*, & damnis, atque offenſionibus *abſtinere* (4) cum autem Legati Regis Granatæ apud te eſſent, non ita erat. Ea propter quod ipſe tunc ſolicitus poſtulabas, & laborabas, vt fieret; nunc non opus eſt agere. Curabimus tamen, vt quę ad nos hac de re tuæ voces iam peruenerunt, ad illius etiam nobiliſſimi Regis, dilecti filij noſtri, notitiam perferantur: ſed etſi fortè nouis inter ſe deinceps prædicti Reges bellis confligerent, poteris ad nos ſcribere, & nos quantum, ſalua Religione, poterimus, & prout iuſtitiæ cauſa poſtulabit, conabimur tibi in omnibus complacere. Verumtamen ſcire debet pro certò prudentia tua, cauſam diſſentionis inter Chriſtianos, & Saracenos, nullam aliam eſſe quam cultus Religionis, quam pietatis, & legis, fideique diſtantiam. Quæ omnia, ſi in vnam redigerentur credendi ſinceriſſimam normam, iunctis inter ſe animis, aut diſcordia nulla obreperet, aut facile reparanda. De qua re, haud dubium honeſtiſſima, vt ad perfectum aliquando perueniat, dicere ſanè non poſſumus, quantum ab ineunte penè ætate arſerint noſtra præcordia, & eo feruentius hoc in dies deſideramus, quò duce ratione, & veritate videmur nobis, quæ ſunt iuſta expetere. Conſideramus enim, Excellentiſſime Princeps, vos nobiſcum à Deo vno, & ſolo, & potentiſſimo, ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem ſuam, per ſuam miſericordiam factos, eius eſſe pariter, & ratione, & amore capaces. Ad ſummam verò bonitatem illius, dum hanc vitam degemus, de malo ad bonum, de bono vſque ad optimum vitæ ſtatum quotidie conuertibiles. Vnum Deum verum, qui creauit Cœlum, & Terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ſimul credentes. De Chriſto autem, Domino Deo noſtro, & Beata Virgine Matre eius, quamuis non integro ſenſu, multa tamen nobiſcum, magna & pręclara ſentitis; vt taceamus, qui homines pariter ſumus, qui pariter regnamus, qui vno Sole, iiſdem elementis, vita, cibis, diuitijs, valetudine, Diuina prouidentia gubernamur; quę ergo cauſa eſt, cur inuicem diſſentiamus, niſi Religio? in quam ſi, paucis mutatis, congregaremur in vnum, fieret ſtatim damnata diſſenſione, conciliatio, & de inimica ſimultate, gratulabunda concordia. Sit ergo inter nos, te oramus, vna & eadem fides, & illico pax ſequetur. Ad quam ſanè rem probè conficiendam, alterum profectò è duobus, quod ipſe malueris fieri debere cenſemus, vt vel tuorum prudentium ad nos quidam abs te miſſi tutò perueniant, vel ſi magis placet, nonnullos de noſtrorum numero ſapientum, ac de tua primum

pollicitatione securos, tibi mittamus; qui pariter pro fidei veritate disceptaturi, possint de salute futuri sęculi, pacifica congressione disserere: quā collatione clarissima, quid iucundius? quid honestius? quid salutarius dici potest? Etenim contempta felicitate terrena, de æterna tantummodo solertior indagatio, ne dicam inuentio, peruentio, conquisitio, omnium veterum Magistrorum, qui rectè sapuerunt, iudicio, sine vlla dubitatione, longè excellentissimè mortalibus pręstat: Si pręsertim verę felicitatis, quod est dicere verę sapientię, admirandam peruestigationem, cum inerti otio compares. Cuius sapientię, sicut felicitatis, vt diximus, non quidem inuentio, sed & sola inquisitio præponenda est, etiam inuentis thesauris, regnisque gentium, & ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus. Donet tibi Sapientia Dei nobiscum ista sentire, in Itis consenescere, per hęc in temporalibus, & caducis prosperè agere, vitam in terris ducere sinceriter bonam, vt in æternum in Cœlis valeas postmodum possidere beatam. Rogamus te præterea, Princeps sublimis, per humanitatem rationalis beneuolentiæ, in qua à belluis longè distamus, per communia cunctis hominibus Domini beneficia, vt nostræ Sanctæ Sedis intuitu, & veteris Romani nominis potentatu, omnes Christianos sub tua ditione, atque in tuis quibuscumque Prouincijs, & Regionibus commorantes, habeas commendatos, præsertim vero filios nostros, & Dei Seruos, fratres Montis Syon, & locorum omnium Terræ Sanctæ, nec minus Christianos peregrinos, qui loca nostræ salutis inuisere, desiderio religioso festinant, super omnia verò loca ipsa humanæ redemptionis, atque salutis, & quæ Sancti Patres, Abraham, & reliqui antiquæ memoriæ ardentius dilexerunt, cultu sinceriore, per tuam iussionem æstimes ab omnibus veneranda, instauranda, conseruanda, cum opus est. Ita enim tibi Deum facile poteris, vt inde semper ad maiora bona progrediaris, propitiari. Harum nostrarum baiulum, *dilectum filium nostrum A.* (5) virum religiosum nunc ad te mittimus. Aget tua discretio ita cum illo, vt & sibi, nomine nostro, tibi quædam dicenti credidisse, & nos in illo, abs te honoratos fuisse, comperiamus. Valeat tua potestas, eis veris fulta præsidijs, quibus ad æternam beatitudinem peruenitur. *Ex Florentia* 1441. (6)

N O T AE.

Nota I.

Eugenius. Quamquam hinc appareat, istam Epistolam Eugenij Pontificis esse, Ego tamen eam inter Alberti Epistolas reperi, & fortassis etiam Alberti est, nam in margine vetusti codicis scriptum est; *Ex nomine Eugenij* quasi indicare vellet, Albertum eam salrem dictasse, quod & stylus indicat: vt vt sit, digna mihi visa est, quæ non omittatur, tum ob Gandulphi Siculi nostri mentionem, tum quod Eugenij Pontificis ordinis amantissimi zelum, & pro-

& propagandæ per omnia fidei ſtudium exprimat, & conſeruandi Terræ Sanctæ loca noſtra deſiderium: tum quod exemplum præbeat, quo modo, quaque via, cum Orientis Infidelibus tractandum ſit.

Nota II.

Gandulphus Guardianus. De eo nos fuſius in vita B. Alberti, & noſtris ad eam notis.

Nota III.

Petens ab eo inſtantius. Non infrequentes fuiſſe huiuſmodi Tartarorum, Turcarum, Perſarum, Indorumque legationes, per Fratres Minores, ad Romanum Pontificem, & Chriſtianos Principes miſſas, in Vvaddingi noſtri Annalibus, & alijs ordinis monumentis paſſim reperitur.

Nota IV.

Eos à mutuis iniurijs abſtinere. Stephanus Garibaius tom. 3. hiſt. omnium Regnorum Hiſpaniæ lib. 40. capit. 22. refert Regem Mahomad hoc tempore per ſeptem annos externo bello caruiſſe, quamquam ciuilibus diſſidijs vexaretur, donec tandem per nepotem ſuum Mahomad, Aber hoſmen, cognomento Claudum, an. 1445. ſupplantatus, & Regno exutus fuit, in quo ipſe Claudus ſucceſſit.

Nota V.

Dilectum filium noſtrum A. Per hanc literam A. Albertum noſtrum intelligi non exiſtimo, qui hoc tempore, cum Eugenio Pontifice Florentiæ fuit, abſque vllo cogitatu in Aegyptum amplius reuertendi; ſed literam poſitam fuiſſe pro nomine cuiuſcumque, in Pontificio authographo poſtmodum expreſſius nominandi.

Nota VI.

Ex Florentia 1441. Menſem, & diem, hic eadem ratione eidem authographo reſeruata fuiſſe pariter cenſeo, ex quibus mihi confirmo Albertum eam dictaſſe, & authentica illa Pontificis diſpoſitioni reſeruaſſe.

EPISTOLA LXIX.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Hoc tempore cum Eugenio Pontifice fœdere coniuncta fuit Reſpublica Senenſis, & vt ex Epiſtola colligere mihi videor, mediatore B. Alberto. Interea verò, dum Pontifex nondum ſubſcripſit alioquin pactæ paci, illius militia bono fine, intrauit in ditionem Senenſem: ſed cum infecta re, quam alibi tentauit, in Latium reuerteretur, multam, & pecorum, & hominum prædam, inde abducebat, vt in hiſtoria Senenſi part. 3. lib. 2. fol. 30. ad annum 1440. narrat Orlandus Malauoltus: Ea propter Albertum, ad alia Pontificis perficienda mandata Senis tranſeuntem, Priores Vrbis ad ſe vocatum, acriter increpuerunt, quod falſam, & citò perituram pacem, nomine Pontificis, ipſis promiſerit. Qua de re, hanc

Epi-

Epistolam ad Pontificem scripsit, hec ipsa narrans, & se in arcanis quibusdam, oretenus exponendis, ad Massanum Episcopum referens, cui cuncta perscripsit: interea prudenter, & religiose rogans, vt Eugenius quosdam Senis Primores, charitate, & clementia Pontifice dignis, ad se attrahat, & vt minora bona, pro maioribus bonis negligat, ne populus, alioquin Sedi Apostolicæ deuotus, odiorum semine grauidetur, quod Guelforum, & Gibellinorum factiones interpretor, aut aliquorum cum felice Antipapa collusionem.

HEsterno vesperi B. P. Priores huius Ciuitatis, me in suum palatium celeriter aduocantes, duram conquestionem auribus meis exhibuerunt; simul mihi stomachosè in faciem exprobrantes, *quod falsam eis & citò perituram pacem, nomine T. S. promiserim* (1) eum primò putauerint damna, quæ vtrinque illata sunt (cum fuerint iniusta) & ab vtrisque partibus, tua, scilicet Sanctitate, & eorum paruitate, ignorantia, tanquam æqua lance euiusdam pacificæ obliuionis, penitus compensanda. Nunc verò expostulant abs te præberi fideiussores, qui potius, & per meam promissionem, & tuam iussionem, expectabant se præda rehabita gauisuros, tametsi semper putauerint, & nunc quoque magis putent, in tam longa mora restitutionis, per fraudem militum, ne centesimam quidem partem prædæ recuperaturos. Multa B. P. in hanc causam sunt mihi conquesti, quæ, ne S. T. pluribus verbis onerem, prætermitto: *Et quia Massano Episcopo* (2) vt ea tecum conferat, latius scripsi. Pro hac re veniissem ego ad Sanctitatem tuam, nisi, cum me vocarunt, fuissem in procinctu recessus ad duo illa Castella, vt Sanctitas tua pridem statuerat, summa eum diligentia concilianda. Verum illa potior causa est, quod indignati, vt arbitror, ciues Senenses nihil me rogauerunt, non solum vt ad te ipse venirem, sed nec vt scriberem quidem orare dignati sunt. Visum tamen est mihi, pro charitate, hæc pauca T. S. significare, roganti simul, & obsecranti vt adhibito ad hanc rem, quod Apostolicam sapientiam decet, grauiore consilio, minora bona pro bonis maioribus negligantur. Præsertim hac tempestate temporum, & dierum malorum, in quibus quid hic noui, & mali, ab heri & nudiustertius *adulterina plantatio* (3) contra tuam beatitudinem nequiter machinetur, ex Massano Episcopo poteris facilius audire, cui quædam grauiora tibi fideliter referenda, contexui. Oro te B. P. vt populum istum tuæ Sanctitati deuotum, & deuotiorem fieri valde flagrantem, non permittas semine odiorum, per tauros lasciuientes ingrauidari, sed ingenita magis clementia tua, tanquam vinculis charitatis, tauros ipsos ad te ligatos traijcias, & vaccas populi huius semine Christi potius ipse fœcundes. Dominus Deus Omnipotens longo tæuo tueatur B. P. ex Sena summa celeritate, cum iam cuncta parata essent ad iter 11. die Octob. 1441.

NO-

N O T Æ.

Nota I.

Quod falſam eis & cito perituram pacem nomine T. S. promiſerim. Hinc imprimis colligo Albertum, pacis inter Pontificem, & Senenſes mediatorem fuiſſe, quis enim audeat, Principis nomine, talia promittere, cui poteſtas paciſcendi conceſſa non fuiſſet? Quod confirmant quæ ſequuntur. *Qui potius per meam promiſſionem, & tuam iuſſionem expectabant ſe de præda rebabita gauiſuros.*

Nota II.

Et quia Maſſano Epiſcopo. Is apud Vghellum tom. 3. fuit Petrus de Vrſo, quem Eugenius anno 1439. ex Epiſcopatu Montis Flaſconis, ad Maſſanum tranſtulit, & obſiſtentibus Senenſium ſtudijs, huius poſſeſſionem inire non potuit: Pontifici interim & S. Concilio Florentiæ interfuit.

Nota III.

Adulterina plantatio. Erant aliqui ex Primoribus Ciuitatis, qui odiorum in Pontificem ſemine, tanquam laſciuientes tauri, populum grauidare nitebantur, & Guelforum fortaſſis factiones, aut Schiſma Felicianum, aduerſus Eugenium reſuſcitare. Quæ cauſa Alberto fuit, vt ſuaderet Pontifici, hos ingenita clementia, tanquam vinculis charitatis, ligatos ad ſe traijciat, vaccas populi, hoc eſt quietos, & Eccleſiæ deuotos ipſe Pontifex ſemine Chriſti fœcundet, inſtruendo, & benefaciendo, minoraque damna ſua negligat, ne maioribus implicari contingat.

EPISTOLA LXX.

LEONELLO PRINCIPI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Albertus, vt in eius vita narrauimus, Patrum Conuentualium Prouinciæ S. Antonij, ſeu Venetæ, vnanimi ſuffragio, Miniſter Prouincialis electus eſt anno 1442. menſe Iunio. Quo tempore Leonellus per literas ab illo flagitauit, vt Epiſtolam iam olim promiſſam, de rebus à ſe in Oriente geſtis, illi mitteret; ſed non ſollicitior erat Princeps in illa exigenda, quam conſtans author in rebus à ſe geſtis reticendis; quarum narrationem forte conſiderauit, maiorem ſibi inuidiam, quam Leonello vtilitatem, allaturam. Reſcribit ergo præſentem, per quam ſe ab omni literario ſtudio, per impoſiti regiminis negotia impediri omninò cauſatur.

QVod ad me ſcribis Leonelle, Marchio Illuſtris, de prædicatore illo, mihi quidem & fratre & filio; quorum alterum communis nobis religionis eſt, alterum officij in illum mei, nihil tibi in præſenti reſpondeo, ſed ne multa dictare compellar, quod profectò efficere nequeo, te ad Epiſcopales literas noſtras remitto, in quibus tibi

puto

puto plenius pro tempore satisfactum. Miror præterea, qui Epistolam otij à me reposcis, homine iam facto negotiosissimo, & à quo pro peccatis meis, prorsus omnia prærepta sunt otia, excussa quies, & intercepta, ne dicam præcisa, studia literarum; Quod cum nunc, & sæpe alias, mœstus recordor, lacrymas tenere vix queo, immo prorsus non queo, vt tibi, quod sentio, liberè & amicè confitear. Qua certè tam egregia bonorum iactura tantus mihi luctus suboritur, vt nullo me solatio ab hac molestia leuandum putarem, nisi me, aut expectatio terminandæ citò molestiæ, aut spes proferendi de laboribus huiusmodi vberrimi, ac celeberrimi fructus, aut postremò cogentis obedientiæ, atque eius Apostolica virtus consolaretur. Itaque mi Leonelle Princeps, te oro vehementer, vt quoad pondus hoc immaniter, atque vtinam non me inaniter, premit, desinas à me Epistolas flagitare, quas cum per occupationes præbere non valeo, nihil mihi videtur aliud facere, cum illas à me quiuis, quantolibet studio postulat, quam mihi, penè dixerim magna cum iniuria, intermissa illa mea suauissima studia exprobrare. Neque verò pollicitationem meam mihi vlla confidentia obijciendam existimes. Quis enim iniquus Iudex pertinacius postulet, quæ necessitas reddenda, quamuis summa assertione promissa, prohibeat? In promissis præterea, quæ hominibus reddere nemo cogit, id quod obligatio vlla spoponderat, siue quælibet sponsio obligauerat, certa ipsius pollicentis hominis abnegatio soluit & liberat; igitur qui me ipse, non coactus, tibi libera sponsione ligaueram, intercurrente causa, liberiore abnegatione me soluo. Ora Deum vt molestia negotiorum me liberum faciat, & ego per otium reddam, quæ per negotium sine vllo mentientis vitio denego. Habeo enim iam penè completam Epistolam, de qua scribis: sed tamen necdum planè completam: quæ tamen & ipsa, si completa esset, polienda restaret. Verum cum ad neutrum mihi tempora suppetant, melius differuntur, quam inepta prodantur. Quamuis enim, vt noster Hieronymus ait, elegans sit, exercitatumque ingenium, & longo vsu attrita currat oratio; tamen nisi auctoris sui manu curata fuerit, & polita, redolet sordes negligentiæ: non est nitida, non habet mixtam cum decore grauitatem, sed in modum diuitum rusticorum, opibus suis magis arguitur, quam exornetur; & vel nimiosa verborum flore luxuriat, vel sit hiulca vocabulis, vel aspera consonantibus. Vnde & de Virgilio traditum est, quod libros suos, quasi vrsorum fœtus, lingua composuerit, & lambendo fecerit esse meliores, qui durarent in memoriam sempiternam, & necessitatem metri libera oratione compleret: Quæ cum ita sint, & mihi & tibi orandum est, Leonelle Princeps Clarissime, vt vel diu omissa studia repetam, quo tibi aliquando morem gerere queam; vel quod satius puto, occasio nobis, ac facultas à Domino tribuatur, altiorem gradum vacandi sibi, ingenti gratia suæ dignationis, arripere, scandere, colere; atque id, quod est in omni vitæ sanctimonia summum, in bonis, quæ religiosè professi sumus, Christianorum morum perpetuò permanere. Vale ex Florentia . . . Iunij 1442.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

MINISTRIS PROVINCIARVM ORDINIS ENCYCLICÆ.

ARGVMENTVM.

Vltra officium Ministri Prouincialis, Pontifex nouum onus imposuit B. Alberto, Vicariatus Generalis totius ordinis Minorum, loco nuper defuncti Guilielmi Casalensis, eiusdem ordinis Ministri Generalis. Quapropter cæteræ, quæ sequuntur, eius hoc anno Epistolæ, regiminis negotia tractant; Atque hæc imprimis, qua Ministris per totum ordinem Prouincialibus institutionem sui in eo officio denunciat: eosque simul hortatur, vt quisque religiosos sibi subditos, exemplo propriæ vitæ, ac mansueta suasione, magis quam minarum & cœdis coercitione, ad morum reformationem, & odorem antiquæ Sanctimoniæ compellat. Denunciat pariter ordinis Comitia, pro noui Minstri Generalis electione, sequenti Pentecoste Paduæ celebranda, iubetque vt omnes, pro cuiusque officio, illuc opportuno tempore conueniant.

Venerabilis in Christo Pater Minister, pax Dei tecum. Amen. Ex quo placuit Christi Dei nostri immensæ misericordiæ, vel potius patientiæ, me inuitum, ac cum multis lacrymis reluctantem, post mortem prædecessoris mei, Ministrum Prouinciæ S. Antonij, mira eorum, ad quos de iure spectabat, consensione & concordia eligi; ac deinde ad Generalem Vicariatum totius nostri ordinis die decima huius mensis institui, & in vtroque officio per Sedem Apostolicam confirmari; dignum duxi, vt tibi hæc significans, te simul hortarer, quo velis te primum in tuo regimine exemplum vitæ tuis subditis exhibere: ac demum ad imitationem tui pia magis morum Sanctorum suasione allicere, quam minarum & cædis coercitione compellere; vt per bona opera, à dissolutione laxioris vitæ, vel aliqua ex parte, paulum reformati, odorem antiquæ sanctimoniæ in aliquo reuocantes, argumenta religiosæ iustitiæ, ad proximos transmittatis. Quod si feceritis, habebitis me potius in vestris infirmitatibus misericorditer consulentem; quam humanos defectus, si qui in vobis erunt, acerbius vindicantem. Non enim habebitis me talem omnium vestrum seruum, qui non possim compati infirmitatibus vestris, quoniam & ipse circumdatus sum multa infirmitate. Generale verò Capitulum credo te scire per Sanctissimi Domini nostri Eugenij sapientissimam institutionem decretum esse, vt apud Paduam, in futuro proximo festo Pentecostes, infra Octauam S. Antonij celebretur.

In quo alicuius boni viri electio facienda est, adiuuantibus Sanctorum fratrum excellentissimis meritis, siue in terra bellantium, siue in Cœlo sempiterna gloria triumphantium. Tu itaque cura, vt debito tempore eo te transferas, quo possis bonorum operum, pro incremento Religionis nostræ fieri cum alijs particeps. Exemplaria harum non graueris tribuere Vicario locorum deuotorum in tua Prouincia positorum, quùm ad ipsum eadem hæc mandata volo proferri. Vale in Domino, & ora pro me. Datum Florentiæ die 10. Iulij 1442.

EPISTOLA LXXII.

CIVIBVS GAVDENSIBVS IN HOLLANDIA.

ARGVMENTVM.

Ciues Oppidi Gaudæ in Hollandia, tunc Romani Catholici, & Seraphico P. Francisco, ipsiusque sincerioribus affeclis deuoti; domum, Ecclesiam, & cætera necessaria apud se ædificarunt, pro vsu & habitatione Conuentus Fratrum regularis obseruantiæ, quem regi volebant instar alterius Conuentus eiusdem instituti prope muros S. Audomari Morinensis Diœcesis. Quod vt obtinerent non obstante contradictione Ministri, & Fratrum Prouinciæ Coloniensis, tum ipsi Ciues, tum Philippus, & Isabella, Burgundiæ Duces, Eugenium Pontificem per supplicem libellum orauerunt. Albertus ergo Vicarius Generalis ordinis, tum iussu Pontificis, tum authoritate sua, scripsit Ministro Coloniensi, vt à molestandis Gaudensibus desisteret, donec res in proximo futuro Capitulo Generali, melius examinanda, decideretur, idque per præsentem Epistolam Gaudensibus significat.

DEuotionis vestræ suauitas, quæ Sanctissimi Domini nostri Eugenij animum meritò oblectauit, & per imperium Sanctitatis eius, & per impositum ministerium officij mei, æquo à me iure reposcit, vt vobis, quantum in Domino potero, satisfaciam. Igitur quia nomine vestro, clarissimi ciues, exhibita Sanctissimo Domino nostro quędam, quam legimus, supplicatio continebat, vt vobis de gratia speciali concederetur, quatenus fratres ordinis Minorum, de obseruantia regulari, possent domum quandam inhabitare & regere, sicut domus similium fratrum, prope muros Sancti Audomari, Morinensis Diœcesis, gubernatur, ac regitur; non obstante resistentia fratrum Coloniensis Prouinciæ, infra cuius terminos, iuxta morem ordinis nostri, oppidum vestrum existit. Ego itaque venerabiles ciues, cum habeam ex Apostolico mandato, & ex meo officio prouidere; vt hoc negotium pacifice

ficè terminetur ſtatuo & delibero, vt fratres prædicti regularis obſeruantiæ, vſque ad Generale noſtri ordinis proximum futurum Capitulum, per Dei gratiam in feſto Pentecoſtes Paduæ celebrandum, liberè & pacificè gubernentur, iuxta quod fratres venerabiles de S. Audomaro eos duxerint gubernandos. Mandatum autem ſuper hac re miſimus Miniſtro Coloniæ, ne vos aut fratres prædictos, vſque ad tempus præfatum, in quo cauſa melius terminabitur, vllo pacto audeat moleſtare. Hoc enim feruor veſtræ deuotionis expoſcit, qui de bonis, à Deo vobis collatis, domum prædictam, cum Eccleſia & alijs neceſſarijs officinis, ob Religionis noſtræ deuotionem, & B. Patris noſtri Franciſci, tanta diligentia fabricaſtis: ſed nec minus hoc Illuſtris Princeps Philippus Dux Burgundiæ, cum Iſabella magnifica vxore ipſius, prorſus merentur; qui & ipſi pari hoc deuotione depoſcunt. Valete in Domino, & orate pro nobis ex Florentia 20. Iulij 1442.

EPISTOLA LXXIII.

MINISTRO COLONIÆ.

De eadem re.

VEnerabilis Miniſter, pax Chriſti tecum, Amen. Cum mea peccata effecerint, vt me nuper Sanctiſſimus Dominus noſter Eugenius, Diuina prouidentia Papa Quartus Generalem Vicarium noſtræ Religionis, vt immeritum, ita quoq; inuitum, veraciter inſtituerit, qui paulo ante, poſt mortem Magiſtri Daliſmani, fueram Miniſter electus Prouinciæ S. Antonij; accidit interea, vt idem Sanctiſſimus Dominus noſter me accerſierit, oſtendens mihi quandam ſupplicationem, ei porrectam, ſuper quadam altercatione inter te, & fratres, qui de obſeruantia nuncupantur, pro loco Oppidi Gaudæ, ſimulque iubens, vt tibi, ſuæ Sanctitatis authoritate, mandarem, quatenus ab illius loci, & fratrum in eo iam moram trahentium, moleſtijs debeas omninò ceſſare, & hanc quæſtionem, generali capitulo terminandam differre. Ad quod, vt te pro more noſtri ordinis conferas, per alias ad te ſcribo, quæ his incluſę ſunt. Vale in Domino, & ora pro me, curaque omni opera, pro tua eruditione, & grauitate, vt quę ad te ſcribuntur, diligentius compleas. Ex Florentia 20. Iulij 1442.

EPISTOLA LXXIV.

FRATRI IACOBO PRIMADICIO.

ARGVMENTVM.

Hoc tempore, in Eccleſiæ obſequijs, in Oriente reſidebant Primadicius, & Bartholomeus Ianenſis, Franciſcanæ reg. obſer. profeſſores ab Eugenio

Pontifice miſſi, viri ambo eximij, & vel ab ipſo Pontifice, datis encomijs, laudatiſſimi. Cupiebat Vicarius Generalis, vt vterque Generalibus Comitijs intereſſet, vt qui Sectis Orientalibus in vnam Eccleſiam Catholicam reducendis egregiè adlaborarunt, eandem nauarent operam, vt Seraphici ordinis profeſſores, ſed variè viuentes, in eandem Regulæ obſeruantiam, eamque puriſſimam, coaleſcerent; quod Eugenius ipſe Pontifex percupiebat, cuius proinde in hac re conſilia, modoſque procedendi, Albertus Primadicio pandit: & vt ambo maiore cum honore, & ſuffragij authoritate, ad comitia venirent, alterum Romaniæ in Græcia Miniſtrum Prouincialem, alterum cuſtodem, vt vocant, inſtituit. Atque interea Iacobum confirmauit in officio Commiſſarij ſui, ſuper locis Orientalibus in Epiſtola nominatis, cum prudenti rerum agendarum directione.

SI de alio mihi loquendum eſſet, Iacobe frater, narrarem tibi feſtiuo, & lætiſſimo ſtylo, quæ iucunda tunc putarem. Nunc verò *quia de me ipſo ſermo mihi habendus eſt* (1) magna mihi modeſtia vtendum credidi: vt quod exultantibus verbis pro alio extuliſſem, pro me magis lugere decreui. Poſt mortem Patris communis noſtræ Religionis, *cum varia fuiſſent pro regimine noſtri ordinis agitata* (2) quæ & ipſa Fratet Antonius de Neapoli, harum noſtrarum baiulus, tibi ac mihi chariſſimus filius, plenius poterit explicare; poſito quoque iam Generali Capitulo apud Paduam, paulo poſt etiam Miniſter illius Prouinciæ diem ſuum, Domino diſponente, obiiſſet, miſſo à Sanctiſſimo Domino noſtro pro Commiſſario, Miniſtro Prouinciæ Thuſciæ, qui Prouinciali Capitulo præſideret, factum eſt, clam me, atque *eo conſenſu, quem omnes putant Diuinum* (3) vt ex Antonio audies, vt ego Miniſter Prouinciæ eiuſdem eligerer. Quod cum valde placuiſſet Sanctiſſimo D. N. conuocato magno fratrum numero, poſt violentam miniſterij mei confirmationam; renitenti mihi veraciter, ita me Chriſtus iuuet, ac multipliciter reluctanti, etiam Vicariatus totius ordinis pondus adiecit, ſub quo onere, quam mœſtus gemam, teſtis eſt Chriſtus. Verum ex quo ita ſe res habet, venit mihi in mentem, vt tu quoque mecum experiare hæc ſuauia, quam mihi ſapiant. Quare ſicut in literis, quas ad te mitto, videbis, reiecto & abſoluto illo Miniſtro, quem Dominus noſter pro ſtulto habet, te Miniſtrum Romaniæ inſtitui, ac inſuper Commiſſarium Orientis, & omnis Græciæ Rhodi, Peræ, Cretæ, Chij, Chaphæ, & Conſtantinopolis, ſola Hieroſolyma ſub meo regimine reſeruata. De Miniſteriatu tamen, ſi certe putas naſci debere ſcandalum, ac per hoc ceſſandum tibi à receptione officij potius arbitraberis, tuo iudicio derelinquo, ſin minus arripe per officium tuum occaſionem multorum in Græcia bonorum, maximè cum magnopere te cupiam in Generali Capitulo, pro vtilitate publici muneris, fore vocalem. Ad quod opus complendum, nihil mihi magis congruere videtur, quam vt miniſter fias. Si poſſem maiore te titulo honorarem. In omnem tamen euentum

te

te volo Generalem Commissarium meum, in locis nominatis superius, remanere. Hoc est sanum consilium, quod de mente Sanctissimi D. N. profectum est. Neque verò iniuria Pontificale dixerim sanum consilium: Venit enim ad notitiam eius, quosdam fratres, ea ratione non tibi obtemperare, quod obijciant te non esse Prælatum Religionis, sed Papæ, tanquam commentitia promotione, non naturali regimine, vt falsò asserunt, te esse tua procuratione sublimem. Quo visum est S. D. N. cum de hac re mecum & cum fratre Bernardino conferret, & pro vnione Religionis conficienda ac persuadenda, quam maximè eius Sanctitas cupit, vsque ad Capitulum Generale, tacito nomine prælationis tuæ per illius Bullas in quibus te creat, solum vocabulum præsidentiæ ab ordine præbitum exteriùs præferas: interius verò, & in casibus, cum ita fieri debere censebis, vtaris virtute Bullarum, quas penes te habes; quamuis in toto orbe omnes reliquæ locorum, & cuiuslibet exemptionis Bullæ, per Bullas *nuper nobis præbitas* (4) sint penitus reuocatæ. Quod publicè quidem factum est, ad placandos, qui aduersantur: secretiùs verò per aliam occultam Bullam ad me cunctæ remissæ sunt: ne bona multa præpediantur: & si quidem in Capitulo Generali, vlla fiet pro ordine probata, vtilisque prouisio, cunctæ Bullæ remittentur ad caput, idest ad hominem bonum ex nostris, qui præsidebit. Sin verò mali noluerint quempiam, qui eis præsideat, non deerunt nostris, præter reliqua, quæ sequentur, noui fasces Bullarum nouarum. Non ergo sine ratione factum existimes, si nunc nouæ ad te Bullæ illæ, quas postulabas, non perferuntur. In fine hoc addo, vt si tibi communi ordinis negotio fuerit visum salubre, tu & Bartholomæus noster Ianensis ambo ad Capitulum veniatis, ita tamen, vt quod ambo sitis vocales, siue tu Minister factus sis, & ille custos custodum, siue magis è contra, si hoc plus conducere rei communis vtilitati censebis. Ad quam rem conficiendam, ex Commissariatu quem tibi in literis tribuo, habes amplissimam potestatem; de duobus alijs Ministris, videlicet orientali, & Terræ Sanctæ nunc supersedeas, quia cum opus fuerit, ipse maturius prouidebo. Vale & me de omnibus, quæ ad te scribo, vel quæ in Oriente geruntur, & si non scribo, me facias celeriter certiorem. Ex Florentia 1. die Augusti 1442.

N O T Æ.

Nota I.

Quia de me ipso sermo mihi habendus est. Hinc etiam apparet, quam vbique constans fuerit Seruus Dei in rebus suis laude dignis vel omninò reticendis, vel summa trepidatione & modestia, vbi opus esset, referendis. Vide, si libet, ipsius Epistolas, quas iam dedimus, ad Ducem Burgundiæ, & ad Leonellum Estensem, ex Rhodo datas, cum ex Aegypto reuerteretur: & aliam ad eundem, quæ supra ordine est 70.

Nota II.

Cum varia fuissent pro regimine ordinis agitata. Hæc exprimit, & fusius

sius narrat Pontifex in diplomate, quo Albertum instituit Vicarium Generalem ordinis, apud Vvaddingum tom. 5. pag. 419.

Nota III.

Eo consensu quem omnes putant Diuinum. Quis enim crederet, humanitus, vt vocales omnes, qui aderant nonaginta tres, sui modi viuendi tunc tenacissimi, suffragia sua, vnico dempto, in Albertum liberè & vnanimiter conferrent, hominem illius vitæ zelantissimum, notissimumque reformatorem, idque clam ipso, nihilque tale cogitante, immo postea veraciter renitente, & multipliciter apud Pontificem reluctante.

Nota IV.

Nuper nobis præbitas. Sunt illæ literæ, seu diploma Eugenij in superiori nota memoratum, quo Albertum Vicarium ordinis constituit.

EPISTOLA LXXV.

CIVIBVS GAVDÆ.

ARGVMENTVM.

Ciues Gaudenses, quos diximus Epist. 72. Cœnobium regularis obseruantiæ Franciscanis Gaudæ condidisse, aliud quoque Ragusiæ in Dalmatia, ab eorum parentibus olim constructum, hoc tempore conseruabant ipsi & augebant. Cupiebant autem non minus Gaudæ, quam Ragusiæ, seu vt Albertus loquitur, in omnibus per Sanctorum Fratrum suauia exempla refici, hoc est, vt videtur, Patres obseruantes etiam in Conuentu Ragusino habere. Albertus ergo id se illis in Capitulo Generali, si Deus fauerit concessurum promittit, modo illi interim de loci dispositione ipsum plenius instruxerint: cætera quæ nunc ad ipsorum satisfactionem facturus erat, Patri Ladislao ipsis nuntianda committit.

ANtequam ad hoc onus negotiosissimi operis, dispensante Deo, per Sedem Apostolicam vocaremur, ciues clarissimi, vt videlicet, ad paruitatem meam pertineret nostri sacratissimi ordinis gubernatio, venerunt ad manus nostras vestræ literæ charitatis: quibus instantius præcessori meo bonæ memoriæ humiliter supplicabatis, super bona prouisione Conuentus nostri Ragusiensis, *quem parentum vestrorum deuotio* B. P. N. Francisco, ac nobis *extruxit* (1) vestra vero & conseruat & auget: Ego autem vestro desiderio, nunc, vt valeo, satisfacio, sicut notum vobis faciet harum lator, mihi charissimus filius, & frater nostri ordinis Ladislaus. Si autem in Generali Capitulo mihi per Christi misericordiam fuerit vita comes, atque facultas, & vestra diligentia non grauabitur me vestris literis de loci dispositione facere certiorem; dabo operam, quam Christi benedictio tribuet, vt in omnibus sitis, quemadmodum cupitis, per Sanctorum fratrum suauia exempla refecti. Valete ex Florentia 5. Augusti 1442.

NO-

N O T A.

Quem parentum veſtrorum deuotio extruxit. Qua occaſione ciues Gaudani in Hollandia Raguſij in Dalmatia tam procul Cœnobium Religioſis conſtruxerint, ne cui mirum aut incredibile videatur, obſeruandum imprimis eſt, Raguſium, & Rempublicam eſſe, & frequens Emporium, in quo proinde ex alijs nationibus mercatores habitant, habentque ibi ſuos Conſules nationales, non minus quam Genuæ, Liburni, Neapoli, Venetijs, & in Ciuitatibus maritimis, etiam Orientis, quæ negotiorum commercio magis opportuna ſunt, magiſque frequentantur, in quibus locis huiuſmodi externi homines cum vxoribus, & liberis, per plurimos annos viuunt ſatis locupletes, vel ſine liberis aliquando moriuntur, & Deum ſibi hæredem conſtituunt. Erat autem extra mœnia Raguſij antiquus Conuentus fratrum Minorum, donec, Vroleio Seruiæ Rege Vrbem obſeſſuro, demolitus fuit, ne hoſti aduerſus Vrbem præſidio, vel vt ita dicam, oppugnaculo foret. Reipublicæ verò quiete, & ſecuritate reſtituta, locus intra Vrbem fratrum habitationi aſſignatus eſt, in quo, Gonzaga, & Vvaddingo teſtibus, noua ædincia conſtruxerunt, idque per illos ciues Gaudanos quorum filij, vel nepotes, ea deinceps conſeruabant, & augebant, vt in hac Epiſtola præfertur: nam ſecundum hoc Cœnobium, poſt annum 1317. conſtructum fuiſſe ijdem authores Gonzaga & Vvaddingus referunt, ideſt pluſquam ſæculo prius, quam Epiſtola vel Gaudenſium ſupplex libellus ſcripta fuiſſent.

EPISTOLA LXXVI.

CIVITATI RAGVSIÆ. (1)

ARGVMENTVM.

Raguſini ipſi quoque idem, quod Gaudani, deſideraſſe videntur, quibus cum animum ſuum, & intentam diſpoſitionem Raguſinorum fratrum, & Monialium, nuncio bic nominato communicandam commiſiſſet, per buc Epiſtolium orat, vt fidem illi in omnibus præbeant.

ANte non multos dies ſcripſi ad vos literas meas, neſcius an dilectiſſimus filius meus frater Antonius de Neapoli venturus eſſet ad vos; nunc verò quia certi ſumus, quod *iter ei per nos impoſitum* (2) Chriſto adiutore completurus eſt, tranſiens per vos, quædam ei impoſui, quæ ſcribere prius præ feſtinantia non curaui, quæque non parum vobis, & Religioni profutura exiſtimo. Igitur quæ de diſpoſitione vobis Fratrum, & Monacharum, ac de noſtro erga vos animo dicturus eſt, attentius audite, eique in omnibus, nomine noſtro optima referenti, fidem indubiam adhibete. Valete ex Florentia 5. Aug. 1442.

NO-

NOTAE.

Nota I.

Ciuitati Ragusia. Sic hoc nomen effert noster Albertus, & alij: sed aliqui malunt Ragusium scribere, de quo vniuersim videndi sunt Calepinus vndecim linguarum, verbo *Epidaurus* in propriis, Ortelius eodem verbo *Epidaurus*, in thesauro geographico, Philippus Ferrarius in lexico geographico; verbo *Ragusia*, Ioannes Lucius de regno Dalmatiæ, & Croatiæ pag. 42. & 43. col. 1. vbi de nominis Ethymologia, Albertus Miræus in notitia Episcopatuum, verbo *Epidaurus*. Ergo quod ad scribentium authoritatem attinet, æque Latinè dicere possumus Ragusiam, Ragusium, & Rausium.

Nota II.

Iter ei per nos impositum. Scilicet eundi in Græciam, ad Iacobum Primadicium, de quo supra Epistola 73. cui itineri conficiendo, non incommodus fuit transitus Ragusij.

EPISTOLA LXXVII.

REGI CASTELLÆ.

ARGVMENTVM.

Albertus Regi significat Eugenij Pontificis mentem, hoc est, ordinem ad veteris obseruantiæ instituta reducendi, rogatque suæ Maiestatis fauores in ijs, quæ à Rege dependent, & quæ ipsius nomine oretenus nuncianda commisit fratri Roderico, cui proinde petit fidem in cunctis haberi.

Comperta mihi tàm Regiæ domus tuæ, quàm præclaræ personæ tuæ antiqua deuotio, Rex Illustris, præbet mihi fiduciam ad tuam eximietatem quædam scribendi, quæ etsi mihi sint admodum necessaria, tibi forte, si deuotionem tuam solitam consulueris, non erunt arbitror insuauia. Animus est Sanctissimo Domino nostro Eugenio Papæ, plusquam dici potest erectus, vt religionem nostri clarissimi ordinis ad instituta veteris obseruantiæ rediuiua, quoad poterit, reformatione traijciat. Cuius maximi boni conficiendi, veluti principium cœpisse sibi videtur, quod me, licet tanto negotio imparem, Vicarium Generalem huius maximæ Religionis instituit. Sed quia multa mihi desunt, quæ opus ingens, si id perfici tandem possit, desiderat; Restat profectò, vt tua illustris præstantia hic afferat, quod deest: quo facto antiquum morem maiorum tuorum non dubitabis te fuisse clarissimo præsidio imitatum. Verum ne te maximè negotiosum verbis plurimis onerem, cuncta quæ negotio conducere putem, referet ad tuam excellentiam

vir

vir venerabilis, quem nobis tua patria peperit, Frater Rodericus, iſtarum baiulus, quemque ſcio veneraris vt Patrem. Oro te Rex Illuſtris, & inſignis Chriſtiane Princeps, vt credas, & adſis in his maximè omnibus, quæ noſtro ad te nomine afferet: ſunt enim eius generis, quibus nulla humana poteſtas debeat aduerſari, cum illis ipſis, vt rebus præſtantibus, faueat Diuina clementia. Deus te tueatur Omnipotens, Rex Illuſtris, præſtantiſſime Domine, & merito Chriſtiane Princeps. Ex Florentia 7. Auguſti 1442.

EPISTOLA LXXVIII.

REGINÆ CASTELLÆ. (1)

ARGVMENTVM.

Idem eſt cum ſuperioris Epiſtolæ Argumento, præterquam quod in hac explicet quantum Regnis, Regibus, & Reginis conſeruandis, conferant ſuffragia precum Seruorum Dei.

DIv eſt Illuſtris Regina, Domina venerabilis, & meritò præſtantiſſima, quod affectus meus tuam excellentiam veneratus eſt, teque in Chriſto ſobria charitate dilexit paruitas mea. Quo ſanè caſto Chriſtianæ puritatis amore factum eſt, vt pro te ſæpe Deum noſtrum rogauerim, vt nunc quoque quotidie orem. Tribuant tibi alij ampla donaria. Ego de me, & meis in toto orbe dilectiſſimis fratribus, orationis patrocinium præbeo. Quod quidem ſuffragium pro tutandis Regnis, & Regibus, & Reginis, quocumque fulcimento humani conatus puto eſſe præſtantius. Nam hoc ſolo gladio Moyſes populum infidelem proſtrauit, & vicit, quem fidelis tamen turba Iſraeliticæ plebis armis fortioribus ſuperare non poterant. Verum ſi quæras quæ cauſa præſtantiæ me tuæ præſertim conciliet: liberè reſpondebo; tua Religio: fama enim vulgante, ad me peruenit te matrem eſſe Seruorum Dei, & zelo ardentiſſimo ita perſequi Religionis aſpernatores, ſicut ſtudio Sancti amoris rectè Deo ſuo ſeruientibus faues. Inter multos autem tuæ deuotionis prædicatores, vir venerabilis filius meus, Pater tuus, *frater Rodericus* (2) iſtarum baiulus, non minorem obtinet locum. Quem quia ſcio veneraris, vt Patrem, oro te Illuſtris, atque inſignis Chriſtiana Regina, vt ei pariter credas atque adſis in his omnibus, quæ noſtro nomine ad te afferet: ſunt enim eius generis, quibus nulla humana poteſtas debeat aduerſari, cum his Diuina gratia obſecundet. Deus te tueatur Omnipotens, Regina Illuſtris, Domina venerabilis, & meritò præſtantiſſima. Ex Florentia 7. Aug. 1442.

N O T AE.

Nota I.

Reginæ Castellæ. Hæc Regina, adeò Religioni addicta, vt Mater Seruorum Dei esset, & zelo ardentissimo, ita persequeretur Religionis aspernatores, sicut studio Sancti amoris rectè Deo suo seruientibus faucbat, erat Maria filia Ferdinandi Aragonum Regis, quæ Consobrino suo, Ioanni II. Castellæ Regi, anno 1418. nupta fuit, & anno 1445. obijt, vt author mihi est Garibayus tom. 2. lib. 16. cap. 11. & 35.

Nota II.

Frater Rodericus. Hunc natione Castellanum fuisse indicat B. Albertus in Epistola ad Regem, *quem nobis*, inquiens, *tua patria peperit*. In vtraque autem Epistola, ad Regem quidem, scire se Regem eum venerari, vt Patrem, & ad Reginam virum venerabilem, filium suum, Reginæ Patrem vocat, fortè illi à sacris confessionibus fuit. Certè talem eum æstimare videtur Albertus, vt honori Reginæ esse crederet, quod virtutis testimonium ab ipso habuerit; sed quis fuerit hic frater Rodericus nondum mihi satis compertum est: duos enim reperio in Castella Rodericos huius æui, alterum regularis obseruantiæ, secundum Vicarium obseruantum illius Prouinciæ apud Salazarium in Hist. Prou. lib. 2 cap. 11. seu obseruantum custodem in Castella, vt eum vocat Vvaddingus ann. 1456. num. 156. quo tempore Ouanius in eo officio constitutus, S. Didacum ab Insulis Canarijs reducem, compluti collocauit. Alterum verò Rodericum de Ona qui anno Christi 1445. Nuncius Eugenij Pontificis in Regnis Castellæ & Legionis fuit, & magnam vim pecuniarum, pro sacri belli sumptibus collegerat, quam Pontifex iussit, vt mitteret. Anno verò sequenti ex decreto Capituli Generalis obseruantum in Vrbem vocatus est, vt his verbis narrat Vvaddingus an. 1446. n. 3. decreuerunt, vt vacarentur duo ex Germania, totidem ex Gallia & Hispania, viri eruditi & graues, qui splendori essent, & præsidio. Memoriale ordinis speciatim refert ex Hispania euocatum fratrem Rodericum de Onnia virum, inquit, perfectum, & prædicatorem Euangelicum, & ab Eugenio Pontifice dilectionis charitate receptum, vt eum filij loco haberet, & omnia postulata illi concederet. Vter modò horum, an alius ab eis diuersus fuerit ille frater Rodericus, cui B. Albertus ordinis negotia, cum Rege, & Regina tractanda commisit, certò affirmare non ausim.

EPISTOLA LXXIX.

CONVENTVI PADVANO.

ARGVMENTVM.

Absente apud Pontificem B. Alberto Ministro Prouinciæ Sancti Antonij, & ordinis Vicario Generali, inimicus homo in Conuentu Paduano eiusdem Sancti superseminauit zizania, eorum authoribus innocuos religiosos apud sæculi potestates & temporales Dominos grauiter accusantibus, non sine

ſine ſcandalo Religionis. Qua re offenſus Albertus, eos per hanc Epiſtolam cum charitatis & authoritatis moderatione commonet, & pacem ſuadet.

GRauiſſimę mihi moleſtię pondus allatum eſt, Patres chariſſimi & amantiſſimi fratres, audienti quæ nefaria proditoriæ colluuionis ſcelera vobis inuicem obiectetis, atque ea ipſa per inſolentiam falſæ criminationis, *coram ſæculi poteſtatibus* (1) magno cum Religionis noſtræ dedecore afferatis: quæ nimis erat clam domi alterutra iniuria exprobrare. Satis erat prætereа hæc, ſi vera fuiſſent, per Prælatos noſtri ordinis agitari, clam mundo, neſciente ſæculo, ignorantibus hominibus non noſtri propoſiti, quos difficile eſt, per bonorum operum exempla, & Chriſto & ſaluti ſuæ lucrari; facile verò paruo, nedum magno ſcandalo, ab honore & deuotione Religionis abducere. Nunc verò contra omnia peruerſo ordine agi contigit. Nam qui ſtudio Sanctorum operum acquirere proximos noſtros debueramus, perditis nequioris vitæ moribus frequenter amittimus. Qui deinde veris accuſationibus agere, ſimulata confingimus: qui poſtremò in abdito noſtro noſtra pudenda, ſi quæ erant, curare per familiares medicos, per Patres pios, quod agere tutiſſimum erat; currimus ad crudeles chirurgos, & Patribus relictis, ac Matribus clementiſſimis, vitricos quærimus, & nouercas. Ecce factus ſum ego veſtra beneuolentia, per myſterium electionis vobis placitæ, Pater; per Vicariatum obedientiæ coactæ Prælatus. Quis veſtrum de his ſceleribus, quæ apud vos geruntur, ad me aliquid ſcripſit? quis rogauit miſericordiam? quis quæſiuit remedia? cucurriſtis ad ſæculum, vt teſtimonium vobis ipſis perhiberetis, quod in Religione noſtra animoſas veſtras non poſſetis explere vindictas: ſed gratias ago Deo meo, qui ſuis fidelibus, quamuis ſęculi hominibus, tribuit, & tribuet ſapientiam, quá plenè veſtra machinamenta, & maledicta cognoſcant. Ad vos ſermo meus eſt, qui Diabolico more, fratribus veſtris maculam turpioris infamiæ, ſtudio contentionis, curatis inurere. De Diabolo enim in Apocalypſi ſcriptum eſt. Cecidit accuſator fratrum ſuorum, qui accuſabat illos die, ac nocte. Videant qui eiuſmodi ſunt, quid vindicatura ſit iuſtitia mea, niſi male acta emendare maluerint. Quid lenitura ſit miſericordia mea, ſi ad frugem vitæ melioris modeſtè magis redierint. In virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetdinis? ait Apoſtolus: Eligite quod vos magis delectat, pacem dico inter vos nutrire, an bellum fouere? & talem me vobis pro materiæ diſtinctione præbebo. Verumtamen hoc certò ſcitote, tanto me acriorem futurum perſeuerantibus malis, quanto eos ſuauius ante monuero: & de moleſtis rebus hæc hactenus. Cęterum ſuper prouiſione Generalis Capituli, eam, quouſque venero, diligentiam adhibete, maximè qui vobis præſunt, & qui plus valent conſilio; quæ pro rei magnitudine cenſenda putatur. Qui plus me diligunt, plus prouideant, non modo per ſe ipſos, verum etiam per ſtudium clarorum virorum, qui ſacrum & cœleſtem theſaurum, B. ſcilicet

licet Patris Antonij Corpus, custodiunt, cum alijs ad eam curam dignissimam deputatis. De quorum sapientia, quoniam multum confido, donec venio particulariter nihil explico eorum, quæ in præsenti negotio iudico expedire. Quibus omnibus, ac reliquis ciuibus me commendate in Domino studiosius. Valete in Domino, & orate pro me ex Florentia 13. Aug. 1442.

N O T A.

Coram sæculi potestatibus. Vide Epistola 83. ad Eugenium Pontificem, & alias quæ ibi sequuntur, cum suis notis, vbi religiosorum recursus, ad sæcularium fauores, amplius explicantur.

EPISTOLA LXXX.

MATTHIÆ MINISTRO SAXONIÆ (1)

ARGVMENTVM.

In Schismate Amadei Sabaudi, qui à Basileensibus aduersus Eugenium IV. verum Pontificem erectus Felix V. dicebatur, triplex erat hominum vel sensus vel affectus. alij enim Eugenio tanquam legitimo, vnicoque & vniuersali Ecclesiæ capiti constanter adhærebant; alij Felicis Pontificium pertinaciter pro conciliabuli authoritate tuebantur; alij ipsi Concilio addicti à Pontificatus quæstione, tanquam neutrales, abstinebant: Matthiam autem aliqui in secundis, & qui fauorabilius loquebantur in tertijs nominabant. Albertus igitur, tum pro Christiana & religiosa charitate, tum pro officij sui munere, fratrem & subditum suum efficaciter monet, vt famæ suæ, ac Religionis, suæque saluti consulat; par scelus esse demonstrans seu verum Pontificem abneget, seu re ipsa non audiat, & vel hæsitando non colat.

QVamuis nullam tui notitiam habeam, venerande Magister, Minister, quantum attinet ad præsentiam corporis, nullaque inter nos diuturnæ conuersationis amicitia olim contracta sit, facit tamen humanitas, facit nostra Religio communis, facit denique Christianum nomen, atque ipsa imprimis charitas Christi, vt non propterea te minus diligam. Nam si solos eos diligeremus, aut quos vidimus, aut cum quibus diu versati sumus, angustum profectò esset, etiam erga nos ipsos, vt alios taceam, latissimum mandatum Dominicæ charitatis, & Christianę dilectionis amplissimus campus; fieretque res valdè ridicula, ac vehementius detestanda, vt nec nos ipsos dili-

diligeremus, neque Sanctos, & claros pleroſque viros, toto orbe diſperſos, cum neque nos ipſos conſpiciamus, neque illis vlla conſuetudo nos amicos effecerit: ſed ita ſe magis veritas habet, vt maiora ſint vincula illa, quę dixi publici muneris, quam priuati. Cum igitur pariter in hęc pręclara conueniamus, quod homines ſumus, quod vna nos complectitur & tuetur cœleſtis ordinis communis Religio, quod eodem nomine Chriſtiano cenſemur, in quo iuxta Apoſtolum Petrum, Deum glorificare debemus: quid eſt in quo verear confidentius ad te ſcribere? pręſertim cum alterutrò nobis bona, quę ſemper manſura ſunt, ſine dubitatione optemus; in quorum communicatione bonorum, vera illa Chriſtiani nominis amicitia, & ſine corruptione gignitur, & ſine metu amiſſionis ſeruatur. Accedit poſtremò quod cum locum ſpeculatoris, quamuis nullo merito, teneam, & te, ſi digneris, pro tua virtute, atque humilitate Religionis, vt reliquos omnes noſtri ordinis fratres, debeam pro debito officij mei, & pro ſolicitudine miniſterij commonere. Ecce iam quantum arbitror, vides mi venerande Miniſter, per ea quę dixi, iacta eſſe ſolida fundamenta, non ſolum firmioris inter nos amicitię, verum etiam liberę confidentię, ea ad te ſcribendi, quæ & honori tuo, & ſaluti conducant. Quæ ſi admittas, cognoſces meam erga te amicitiæ ſinceritatem, qui diligenter ac vigilanter occurro pro charitate rumoribus malis, ac peſtiferis, qui de te in his noſtris Prouincijs latè feruntur. Qui & ipſi, ſi falſi ſunt, quod Deus vnus, optimus, & maximus fecerit, maiorem tibi innocentiæ gloriam allatura eſt eorum per te facta purgatio, quam attulerat falſa criminatio fœdam infamiam: ſi autem vera ſunt quæ dicuntur, ſapientia animi pœnitentis efficiet, vt Religio noſtra, lætitia reperti filij efferatur, & tu apud Patremfamilias gloria maiore emineas: ſed ad cauſam veniamus. Sunt qui de te dicunt, quod obedientia Pontificis maximi Eugenij, Dei prouidentia vnici, ſolius, ac veri in Eccleſia Catholica Orthodoxa, Apoſtolicaque Paſtoris, ſacrilega temeritate decideris. Sunt item qui hæc de te negent; ſed te aſſerant, vt eorum verbo vtar, eſſe in hoc negotio neutralem. Quorum vtrumque quid ſceleris habeat, pro tua eruditione ac prudentia debes agnoſcere; cum & alterum apoſtaſiam apertiſſimi ſchiſmatis ſapiat, alterum inimicitias Deo indicens manifeſtæ diſſenſionis bellum profiteatur, dicente Domino Saluatore: *Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt*. Proſpicias ergo tibi ipſi, mi venerande Miniſter, nec tibi famam tuam negligendam exiſtimes, ne dicaris præſertim in cauſa fidei, vel altero, vel vtroque pede claudicare. Memineris potius Euangelicę noſtræ profeſſionis, & cœleſtis illius oraculi, quo ſubiectionem illam humillimam, in auribus fratrum omnium, & B. Pater, & noſtra Regula perſonat dicens: Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papę Honorio, ac Succeſſoribus eius Canonicè intrantibus. Animaduerte (oro te) quid ſibi velit hoc verbum, quamque vim habeat *Canonicè intrantibus*, vt intelligas, non congruere noſtrę profeſſioni quempiam fratrem, qui rectè & ſapere, & agere velit, aut pro Canonicis Pontificibus

bus hæsitare, si res postulat, etiam emori, aut ab vsurpatoribus Sanctæ Sedis, cum opus fuerit, iuxta Patrum Sanctiones occidi. Tribuat tibi Dominus atque augeat Catholicum sensum, faciatque misericordia eius, vt in futuro nostræ Religionis Generali Capitulo nos inuicem Christiana beneuolentia complectamur, ad quod vt omninò proficiscare, & S. D. N. per suas, & ego per meas literas, alias diligentius inuitaui, *quamuis nondum meruerim habere responsum* (2) Vale in Domino, & ora pro me. Paduæ 1442.

N O T Æ.

Nota I.

Matthiæ Ministro Saxoniæ. Alij Matthiam, alij Matthæum nominant; alij, alijque cognominant, nunc Doringum, nunc Thoringum. Erat autem natione Germanus, homo doctus, & S. Theologiæ Magister Conuentualis, & Prouinciæ Saxoniæ iuxta ordinis morem Minister, quo vtroque nomine Albertus ipsum in hac Epistola vocat. Ipsius nomen vel maximè celebratur à Replicis, quas pro defensione Nicolai Lyrani scripsit aduersus additiones Pauli Burgensis ad Lyrani glossas in Sacram Scripturam.

Nota II.

Quamuis nondum meruerim habere responsum. Contempsit enim Doringus vocem Pastoris, & in suo sensu vsque adeò abundauit, & (quod habet Vvaddingus de scriptoribus ordinis, vbi de Matthia Doringo) Bernæ apud Heluetos anno sequenti 1443. nescio in quo Schismatico partiariorum conuenticulo, contra fas electus Generalis Minister, in eo munere annis sex perseuerauit; quamuis eiusdem instituti eodem anno verus Minister in vero Capitulo Generali Paduæ electus fuerit, & postea per Eugenium Pontificem in officio confirmatus: hoc etenim inter alia regularibus viris inferebant Schismata Pontificia, vt Religiosi Prouinciarum cum Pontificem colerent, cui ipsorum Reges, vel Principes adhærebant.

S C H O L I O N.

Duæ sequentes Epistolæ nec in codice nostro S. Isidori, nec in Capistranensi reperiuntur, sed Originales, vt ipsius B. Alberti manu scriptæ, sic tanquam Sacræ Reliquiæ, obducto muro, cum veneratione seruantur in publico loculo parietis templi Minorum Sarthiani, Diœcesis Clusinæ, quod Oppidum Etruriæ B. viri patria est: vnde earum exempla ad me nuper missa sunt, cum publicis attestationibus, tam Priorum communitatis Sarthiani, quam Vicarij Generalis Diœcesis Clusinæ, eius Ciuitatis Episcopi authoritate confectis.

EPI-

EPISTOLA LXXXI.

PRIORIBVS ET POPVLO SARTHIANI OPPIDI.

ARGVMENTVM.

Alberto in dignitate & munere Vicarij Generalis totius ordinis Minorum constituto, per publicas literas, & nuncium congratulata est patria Sarthianum, ipsiusque nuntij, nescio quod, negotium commendat. Ipse hac Epistola conciuium in se beneuolentiam testatur, & nuncio satisfactum iri promittit.

Magnificis Patribus (1) *& Dominis meis Prioribus, & communi Terræ Sarthiani &c.*

ACceptis literis vestris, Magnifici Domini mei, per fratrem Iacobum conciuem vestrum, filium meum dilectissimum, prospexi quanto me feruore diligitis; qui super mihi commisso officio, tanto gaudio, exultastis, quod mihi quidem ignotum non erat, aut aliqua ex parte dubitandum: in cunctis scilicet vos obsequiosos exhibere, quæ honestati meæ quicquam accommodarent. Pro quibus equidem ipse Omnipotenti Deo primùm, inde B. M. Virgini gratias ago. Sed quoniam me imparem huic oneri esse persuasi mihi, quæso me vestris iuuate orationibus, vt ex hoc non minus, quam ex oblationibus vestris, charitati vestræ obnoxius reddar: in negotio autem illius fratris, pro sedulitate vestra, qua me requiritis, pro charitate quam vestræ M. debeo, prouisioni debitæ instabo, pro vt ille ipse Fr. Iacobus meo nomine ad vos afferet: cui propterea dignemini, tanquam mihi, tradere indubiam fidem. Dominus vos tueatur Omnipotens, Patres optimi, & meritò venerandi. *Florentiæ* 11. *Augusti*(2) 1442.

NOTAE.

Nota I.

Magnificis Patribus. Non ignoro Priores, & Senatum cuiuscumque Reipublicæ Patres appellari posse, sed hoc modo loquendi videtur Albertus, cum etiam populum comprehendat, significare se illius oppidi filium esse: vt certo fuisse nos in eius vita demonstrauimus. Nam cur alioquin Sarthianenses, præ alijs, illi congratularentur, tanto feruore ipsum diligerent, nisi vt honorem sibi in filio accedentem eidem acceptum referrent? quos proinde vicem redditurus, Patres suos vocat, eosque optimos, & merito venerandos, vt solent filij ad parentes loqui.

No-

Nota II.

Florentiæ 11. Augusti. In fine Maij, vel initio Iunij, Albertus Paduæ, Comitiorum suffragijs, Minister Prouinciæ S. Antonij electus est, per obitum Dalismani Patauini, quem Albertus in primo horum opusculorum laudauit. Quo lætus Eugenius Pontifex, literas Apostolicas expediuit, XVI. Kalend. Aug. Florentiæ datas, quibus ipsum in eo munere confirmauit, & alteras die proximè sequenti, per quas eum constituit Vicarium Generalem totius ordinis Min. & Prouisorem, ac Præsidem futuri Capituli Generalis. Quibus acceptis hæsit Florentiæ, vbi Pontifex tunc morabatur, vt debitam illi obedientiam, & suo, & Religionis nomine præstaret, benedictionemque Apostolicam, & agendorum oracula reportaret, & has ibi Epistolas mense Augusti scripsit, imo & 70. in Iunio & alias sequentes in Iulio. Mansisse ergo per plures dies in Curia, colligimus ex literis sequentibus ad S. Bernardinum, quæ 24. eiusdem mensis Augusti datæ sunt, per duos videlicet menses circiter. Hic verò notandum, licet Bullæ prædictæ datæ sint 16. & 15. Kal. Augusti, prius tamen institutum Albertum Vicarium Generalem ordinis die 10. Iulij, vt ipse testatur supra Ep. 70. potuit enim prius oraculo Pontificio institui, & posterius expediri institutionis Bulla.

EPISTOLA LXXXII.

BERNARDINO SENENSI.

ARGVMENTVM.

Patentes sunt, per quas amplam potestatem confert S. Bernardino, in Conuentu Capreolæ prope Senas.

In Christo sibi Charissimo P. F. Bernardino de Senis F. Albertus de Sarthiano Minister Prouinciæ S. Antonij, ac totius Ordinis Minorum Vicarius Generalis, à Sede Apostolica institutus, & confirmatus, salutem in Domino, & pacem sempiternam.

EX quibusdam relationibus, & iustis, ac rationabilibus causis, animum meum mouentibus, te, de cuius probatissima vita, ac vulgatissima fama, & miro Religionis zelo, cæterisque virtutibus, quibus te Altissimus mirificè decorauit, longa, & veteri experientia, sum plenissimè informatus, meum Commissarium, cum omni plenitudine potestatis institui, ac institutum denuntio per præsentes, *in loco nostro Capreolæ* (1) prope Senas, & fratribus commorantibus in eodem: dans tibi per præsentes plenam & liberam facultatem visitandi publicè, & priuatè, tam in capite, quam in membris dicti loci, nec non inquirendi, examinandi, procedendi, terminandi, corrigendi, puniendi, carcerandi, detinendi, priuandi, instituendi, restituendi, & omnia alia, & singula faciendi, gerendi, & exequendi, quæ ego ipse facere possem, si personaliter interessem, salua in omnibus authoritate Vicarij Prouinciæ, dum præsens existeret in loco prædicto. Vale

in

in Chriſto Ieſu, & ora pro me; mandans inſuper omnibus, & ſingulis fratribus in eodem loco commorantibus, & commoraturis, quatenus tibi, tanquam mihi teneantur in omnibus obedire. Vale iterum. Florentiæ XXIV. Aug. 1442.

Frater Albertus Sartbianenſis Miniſter S. Antonij ac Generalis Vicarius Ord. Min. indignus.

N O T A.

In loco noſtro Capreolæ: Hic locus M. tantum PP. diſtat Senis, eumque Bernardinus ipſe adoleſcens, humili ædificio, & Sanctiſſimis inſtitutis, in ordinis & obſeruantiæ regularis domum erexit. Quapropter exiſtimo eum, poſtquam hoc ipſo anno 1442. munus Vicarij Generalis Ciſmontani obſeruantum in manus Pontificis abdicauit, illuc ad tempus ſecedere voluiſſe, quo liberius Deo, & animæ ſuæ colendæ vacaret; adeoque patentes iſtas, non vllius neceſſariæ iudicaturæ, vel ſpecialis gubernij, ſed honoris tantum cauſa, ab Alberto, ipſius ſecundum Deum filio & diſcipulo, illi miſſas fuiſſe. Quid enim in parua ſolitaria, & religioſiſſima domo poterat eſſe negotij, quod vel ſuperior domeſticus, vel Prouincialis etiam abſens, vel ſola præſentia Bernardini non facile componeret? ſed erat ille tunc in Religione, & magnis prædicationis & pœnitentiæ laboribus quadragenarius, habuitque ætatis ſexageſimum ſecundum, & vitæ ſuæ penè penultimum annum, Vicarij Generalis officio ſanctiſſimè iam perfunctus: eratq; cæterorum rigidioris inſtituti Pater, Magiſter, & viua regula Sanctitatis, ac diſciplinæ, propter quæ Albertus indignum iudicauit, ſi tanquam vnus de plebe, iuniori alicni præfecto ſubiectus eſſet, vnde ipſum non meritis tantum, & vltronea omnium reuerentia, ſed etiam officio, & authoritate, etiam ipſo ſuperiore locali, maiorem eſſe & haberi voluit, ſalua tamen authoritate ſuperioris Prouinciæ, cum adeſſet, ne ordinarij regiminis ordo inuertatur.

EPISTOLA LXXXIII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Sub finem Auguſti Paduam reuerſus Albertus, ſenſit ſibi obſtaculo ad rem rectè gerendam eſſe, procurari à ſubditis protectionem Dominorum temporalium. Rem ſcribit Pontifici, & cautum modum proponit, quo per eius literas, ad ſe mittendas, remedium fortaſſis apponi poſſit.

AD erigendam huius Prouinciæ collapſionem, B. P. cuius tibi placuit me Miniſtrum, quamuis immeritum, inſtituere, multa mihi impedimenta ſunt, ſed præ omnibus aliqui inſolentes, quos nec punire poſſum, neque ex hac prouincia, per eos, ac reliquos iam euerſa, depellere, detrudere, deturbare: Tuentur enim

ſeſe omni licentia, atque impunitate malorum, quam ſibi Dominos quoſdam præbuiſſe confirmant, apud quos fratres ſuos falſis criminationibus accuſantes, in contemptum omnium Prælatorum, ne parum quidem de ſceleribus argui poſſunt, quin ſe clamitent à dominatione temporalium factos immunes; quos & ipſos ſi nullo metu laicorum defendentium puniam, ſicut nec eos timeo, *ſumenda ſunt mihi bella* (1) acerbiora cum Dominis temporalibus, qui vt à grauiſſimis viris ſum factus certior, iniquo ſunt animo accepturi, ſi ſcilicet meos ſubditos ac malos caſtigem, quos ipſi ſua libertate, ſed nulla iuſtitia Religioni ſurripuerunt.

Eſto enim B. P. peccarint, quos impij accuſarunt, num apud ſæculi homines delatio etiam certorum malorum facienda erat? ac non potius apud ſuæ religionis maiores. Domini verò illi & accipiunt accuſationem calumniæ, quam ad Maiores Religionis, etiam veram, referre debuiſſent, & meritam punitionem malorum in iniuſtitia detinent, & innocentes acerbius criminantur, quos iam diu non probatos nocentes, liberos abire non ſinunt. Ego autem neque inſontibus purgationem falſæ criminationis, neque ſontibus pœnam impendere queo; neque à Dominis illis libertatem vtriuſque exhibendæ valeo extorquere. Sum enim diligenter locutus cum Domino, cumque his, quos conſiliarios vocant. Pollicentur ſiquidem bona, ſed nec ea dum faciunt, nec facturos vlla mihi ſpes eſt, quemadmodum per eos ipſos, qui de eorum numero ſunt, apertè conijcio: dum ſoli ſecretius mecum conferunt. Videor enim videre, rem iniquam eis videri, ſi cauſam, quam dicere ſolent ſui ſtatus, ſaccis panniceis, vel panarijs, vt aiunt, id eſt fratribus, quos etiam per contemptum ſic appellant, vllo pacto terminandam committant.

Igitur B. P. nulla prouiſio ſalutarior mihi videtur, quam ſi tua Sanctitas, tacito quod de his ad te ſcripſerim, veluti etiam ignara eius indigni fauoris, quem inquis prædicti magno cum ſcelere & dedecore præſtant, mihi, ſi libet, diligentius mandes, vt fratres illos, de quibus hæc ſcandala audiuerit Sanctitas tua, ad te celerius proficiſci procurem. Quo facto literas tuæ Sanctitatis feram ad Dominos, ac tum tandem quid ſentiant apertè perſpiciam. Dominus te tueatur Omnipotens B. P. ex Padua Kalendis Septemb. 1442.

N O T A.

Sumenda ſunt mihi bella. Perpetua eſt iſta querela, de fauoribus ſæcularium, quibus ligantur manus ſuperiorum ordinis, ne iuxta regularia inſtituta poſſint diſponere de ſuis ſubditis. Propterea multæ & graues factæ ſunt conſtitutiones Apoſtolicæ, à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Paulo V. & Vrbano VIII. per quas & ſubditis prohibetur, ne illos quærant, & ſuperioribus, ne eis deferant: & tamen ita illis vexantur, vt niſi concedant, quæ illi petunt, quod Albertus hic dicit, *bella acerbiora cum Dominis temporalibus ipſis aſſumenda ſint*, rem iniquam putantibus illis, ſi cauſam, quam dicere ſolent ſui ſtatus, fratribus terminandam committant, ſuæque authori-

thoritati derogare, si quidquid protegendum assumant, quantumuis Religioni incommodum, non assequuntur. Videnda statuta Barchinonensia c.6.§.8. de fauoribus sæcularium. Et Vallisoletana anni 1651. in quibus Bulla Vrbani recenter acceptata, & in fine constit. impressa est.

EPISTOLA LXXXIV.

CONVENTVI PARISIENSI.

ARGVMENTVM.

Quidam Frater Ioannes Prouinciæ Burgundiæ, nescio qua authoritate, in Conuentu Parisiensi vsurpabat sibi locum Baccalaurei formati, & Alberti Vicarij Generalis iussa parui pendebat: scribit ergo Conuentui, authoritatem suam contemnendam non esse, nec modestiam, qua vtebatur, debere suffragari rebellibus, iubetque vt Patres Burgundum amoueant, & Genesium Parmensem legitimè institutum illi substituant.

DElectat me vehementer, venerabiles mihi, & suauissimi in Domino Iesu Patres, nescio quo interno Christianæ dilectionis sapore manu propria ad vos scribere, quamuis pro more nostræ gloriosæ Religionis literas Commissariatus fecerim ad vos scribi, easque non solum manu mea ipse subscripserim, verum etiam *præter morem consuetudinis meæ* (1) sigillo officij Generalatus fecerim consignari. Nam cum in mea institutione, Apostolicæ Sedis clementia voluisset, me tristem atque mœrentem tanquam materna pietate consolari, qui *inuitus ad officium adactus* (2) lugebam, præbuit confirmationis amplissimas Bullas, dedit registra ordinis, quæ post obitum suauis memoriæ prçcessoris mei, *sub Apostolicæ solicitudinis cura* (3) diligentius seruabantur: sigillo quoque ordinis nostri, mihi per Pontificem Maximum præbito, in potestate mea positum est, vtrum eo vellem, aut non vellem vti. A cuius tamen vsu in hodiernum diem sola modestia me continuit: sed vt video ipsa humilitas, quæ vtenti mihi vtilis semper futura est, & officio derogat, dum contemnitur, & superbientibus nocet, dum de humilitate mea tergiuersandi & cauillandi ac impudentius rebellandi occasionem accipiunt. Cum ergo iniquissimum sit, vt vnde ego gloriam debeo consequi, inde contumeliam adipiscar: superbi verò subditi, ac procaciùs rebellantes, vnde & luere pœnas contumaciæ debent; inde commodum impunitatis reportent, volo penitus, ac in vim obedientiæ vobis omnibus mando, vt si Deum diligitis, si D. N. Papam Eugenium Sanctissimum reueremini, si pro honore meo, pro disciplina morum, pro cultu nostræ Religionis, vllo vnquam tempore zelo zelati estis; nunc accingamini omni studio diligentiæ, & curæ, non minus seuerissimæ di-

ſciplinæ, ne vlla licentia impunitatis, Religionis obedientia diſſoluatur. Aduocate ergo fratrem Ioannem de N. Prouinciæ Burgundiæ, & edocete eum, quam falſo ſe gerat pro Baccalaurio formato Conuentus egregij Pariſienſis, cum & in regiſtro ordinis contrarium manifeſtè appareat, ſicut & literæ, de quibus ſuperius dixi, apertè teſtantur, & *Patres quatuor, aut quinque* (4) ſuper gubernatione ordinis inſtituti, è quibus ego minimus eram, Apoſtolica authoritate, Fratrem Geneſium Parmenſem, ritè & ſanctè inſpecta diligentius veritate, inſtituerimus; & ego poſtremò, cum eſſem factus Vicarius, eundem Geneſium & confirmauerim, & nouiter inſtituerim. Quod proculdubio nunquam feciſſem, niſi ab Apoſtolica Sede Sanctam poteſtatem idoneam accepiſſem, & niſi compertum haberem, Fr. Ioannem prædictum nullo iure poſſe tueri, *vt Baccalaurius* (5) eſſet, vel iuſtè poſſe conqueri, tanquam ſibi præriperetur iniuſtè, quod iniuſtè tenebat. Conſtituto itaque Fratre Geneſio Parmenſi in loco Baccalaurij pro curſu in Conuentu noſtro Pariſienſi, Fr. illum Ioannem prædictum, omninò ab vſurpato officio, & ſi vobis videbitur, etiam à Conuentu amoueatis. In fine oro vos Patres, vt ſi vir venerabilis, Fr. Ioannes de Capiſtrano, quem ad Prouinciam Franciæ pro bonis cauſis miſimus, ad agendas prędictas cauſas Pariſios venerit, illum vobis in gerendo negotio addere non grauemini, vt & à vobis & à me videatur pro ſuo merito honorari: ſin autem, ipſi vos omnia cum ſapientia agite. Valete in Domino, & orate pro me, ex Padua 29. Ianuarij 1443.

NOTAE.

Nota I.

Præter morem conſuctudinis meæ. Ideſt pro ſua modeſtia non vtendi ſigillo ordinis, vt ipſe inferius declarat: à cuius tamen vſu, inquiens, *in hodiernum diem ſola modeſtia me continuit.*

Nota II.

Inuitus ad officium adactus. Hæc amplius ſupra, Epiſtola 74. ad Iacobum Primadicium. *Factum eſt clamore &c. vt ego Miniſter eiuſdem Prouinciæ eligerer*: & paulo poſt. *Renitenti mihi veraciter, ita me Chriſtus iuuet, ac multipliciter reluctanti etiam Vicariatus totius ordinis pondus adiecit, ſub quo onere quam mœſtus gemam, teſtis eſt Chriſtus.* Ex quibus inter alia multa manifeſtum eſt, quam nihil ambiebat Albertus dignitates.

Nota III.

Sub Apoſtolicæ ſolicitudinis cura. Etenim Florentiæ, in Pontificia tunc Curia defuncto Guilielmo Caſalenſi, ordinis Miniſtro Generali, curauit Eugenius Regeſta & ſigillum cautè cuſtodiri, dum defuncto ſucceſſor aliquis deſignaretur. Cum autem ipſe Pontifex Albertum ordinis Vicarium inſtituit, omnia illi tradidit, cum illo humilis Alberti ſolatio, vt ſigillo Miniſtrorum Generalium vti poſſet, vel cum vellet, non vti: Indignum ſe vir modeſtiſſimus tanta authoritate reputabat, & propterea ab illius ſigilli vſu abſtinebat, quamquam Pontifex inſtitutionis ipſius diplomate profiteatur, nullum alium ſibi,

poſt

poſt longam conſiderationem, occurriſſe magis idoneum, cui ordinis regendi onus imponeret.

Nota IV.

Patres quatuor, aut quinque. Totidem præfecit Pontifex, expediendis ordinis negotijs poſt mortem Generalis Caſalenſis, donec nouus Miniſter Generalis eligeretur, vel ipſe Vicarium ordinis inſtitueret, vt ipſe Pontifex in diplomate inſtitutionis teſtatur: ex quibus Albertum vnum fuiſſe, in hac Epiſtola ipſe refert, vt maiori euidentia comprobaret Geneſij Parmenſis inſtitutionem in Baccalaureum Pariſienſis Conuentus, legitimam fuiſſe, in qua nimirum ipſe, non ſolum ſpectator præſens, ſed cum alijs Patribus, à Pontifice deputatis, etiam cum authoritate pati, actor fuit.

Nota V.

Baccalaurius. Sic olim dicebantur à bacillo, quo inſigniri ſolebant, quibus in Academia primus gradus conferebatur: ſed magis eruditis hodie placet Baccalaureos eos appellari, à veteri etiam conſuetudine, qua lauri baccis coronabantur; quæ ſolemnitas etſi deſierit, nomen tamen retentum eſt. Vide ſi placet Ioſephum Laurentium in Amalthea Onomaſtica, Ioan. Fungherum in Etimologico, & Calepinum in Dictionario.

EPISTOLA LXXXV.

PHILIPPO MARIÆ DVCI MEDIOLANEN.

ARGVMENTVM.

Eodem tempore, & inſtantia pari, Philippus Dux, & Borſius Eſtenſis, Princeps Ferrarienſis, petierunt ab Alberto, vt Bernardinum Senenſem ad ſuam Ciuitatem per imminentem Quadrageſimam prædicatum mitteret. Albertus per hanc ad Philippum Epiſtolam, apud vtrumque ſe excuſat, miſſo eius exemplo ad Borſium cum alia ſequenti, ratus ijſdem rationibus vtrique Principi ſatisfactum iri.

SI amicis rectè quippiam poſtulantibus, criminis loco haberi ſolet, cum eis aliquid denegamus, cui putas maculæ duci debere, Philippe Princeps Illuſtris, ſi Principibus ipſis, cum quæque iuſta efflagitauerint, nos vllo pacto ea infieiari contingat. Nam quantum laudi datur, cum honeſtis in rebus amicis noſtris obſequimur, propterea quod in amicitia ratio, humanitas, & charitas, præſertim quæ Chriſtiana eſt, colitur, tantum, & eo amplius, ſummæ contumeliæ adſcribendum, ſi erimus aliquando, Principibus præſertim magnis, inexorabiles: eùm non modo, tum ea bona, quæ nunc diximus, longè à negantibus propellantur; ſed, quod eſt nefarij facinoris, poteſtas ipſa, quæ omnis, Apoſtolo concinente, à Domino Deo eſt, apertè contemnitur. Sed & illud veriſſimum eſſe, quod huic tam magno vero ſubijcimus, nemo aut ſapiens, aut Iudex, niſi iniquiſſimus, dubitabit; ita ſcilicet poſſe quem-

quemquam, etiam maximis Principibus, id modestè negare, cuius faciendi nulla facultas adsit; vt debere parere, cum identidem efficere poterit: quoniam non minore licentia, qui non poterit, præreрta facultate absoluitur, quam præbita ligatur. Hæc cum ita se habeant, Philippe Christiane Princeps, intelligis quantum arbitror, quam sine vllo tui contemptu possim tibi denegare, quod postulas. Tam enim tibi possum concedere, vt vir Sanctus Fr. Bernardinus, mihi quidem ætate Pater, Mediolani commaneat, quam potest periturus inedia, nisi insipienter, necessarium panem abijcere; præsertim cum ego hanc causam prædicandi Patauij ante menses circiter octo cum illo sæpius egerim, & nullus mihi reliquorum, qui eius partes hic agat, penitùs suppetat, Sed quod maioris est ponderis, proficiscente nuper ad me socio fratre illius, & nomine Bernardini diligentius sciscitante, quid de illo statuerem, cum scirem Bernardinum nullo loco, nulla obligatione ligatum, eo à me ordine discessit, is socius, vt omninò Bernardinus Paduam prædicaturus veniret, cuius etiam à me aduentus, socio illo præsente, in publica concione manifestatus est. Accedit postremò, vt pro angustia temporis, etiam de tota Italia, alium prouidere non queam, cum reliqui omnes prædicatores ex nostris, in celeberrimis Italiæ ciuitatibus, iam pro more Ecclesiarum, certiore sponsione sua firmati sunt. Cum itaque Illustris Princeps, omnia ista, quæ dixi, apertam mihi, atque honestam negandi facultatem suppeditent; pro honore tamen Principatus, non penitus quod postulas, nego; sed hac magis tecum modestia vtor, vt quæ cum Bernardino statueris, ea rata sim habiturus, si modo cum prudentia collationis illius consulas rationem, & an pro prædicatione Paduana, non autem pro Capitulo, in quo non minus mihi necessarius est, sit abs te mihi in tanta causa Bernardinus præripiendus, in quo mihi & cura temporis quadrat, & penuria reliquorum angustat. Tribuat tibi Dominus Omnipotens, de potestate sua, in augmentum Christianæ Religionis, & fidei, & quod prius dicendum fuit, in gloriam Christi, cum amplissimo tuæ salutis emolumento gloriosissimos referre triumphos. Sitque nomen tuum terrori hostibus Crucis, de quibus, accenso in te zelo Sancti amoris pro Catholica communi Matre, inclytas victorias consequare. Ex Padua vltimo Ianuarij 1443.

EPISTOLA LXXXVI.

BORSIO PRINCIPI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Ob negotiorum pondus, excusat se à longiori Epistola scribenda, & eius loco mittit exemplum illius, quam scripsit Philippo, quod vterque Princeps id ipsum sibi peteret.

Maxi-

Maximum pondus negotiorum, Borsi mi suauissime, atque illustris Princeps, cum mala valetudine oculorum & reliqui corporis, non me sinunt pro elegantia literarum tuarum longiorem Epistolam ad te scribere. Verum cum vrgente causa Principi Mediolanensium quædam responderim, cum tu quoque sis Princeps, ac te mihi pro tuo in me amore dulcissimum profitearis amicum, quem omni studio dilectionis complector, statui ad te eadem scripta transmittere, ne, cum mihi non vacet, plurima dictare compellar. Quæ ergo tanto Principi celeriter scripsi, tu itidem eadem ad te scripta tibi, pro charitate mutua, persuadeas; & id age, quo me præ vobis illo viro indigere cognoueris: quem ambo instantius postulatis. Id est enim veri officium amici, vt quo plus opus habeat, in eo sibi cura obsequendi ab amico diligentius impendatur. Vale, & me ama, ac Ioannem meum, iam olim ex Tuscanella, qui tecum est, salutare meo nomine non graueris. Ex Padua vltimo Ianuarij 1443.

EPISTOLA LXXXVII.

EPISCOPO CORONENSI. (1)

ARGVMENTVM.

Coronensis male accepisse videtur, quod Albertus, ipso intercedente, aliter egerit cum reo subdito, quam Episcopus illum precatus est. Albertus ergo hac Epistola authoritatem suam fortiter, suauiterque tuetur; dum & iudicij sui æquitatem demonstrat, & ob Coronensis, atque Ariminensis Episcopi interpellationem pœnas reo debitas dimiserit.

Si te possem, venerande Christi Antistes, tranquillo & loco & tempore, &, quod magis est opus, *pacato animo* (2) conuenire, impetrarem fortassis abs te, consulta ratione ac iustitia, vt non dicam mihi redderes, quod non mereor, sed vt saltem ostenderes signo quopiam eas gratias, quas te & paratle ais, & acturum fuisse, si pro tuo arbitratu fecissem de *F. I. C.* (3) quòd à me fieri magna precum instantia postulaueras. Quod si clanculò abs te solo ipse item solus impetrare nequirem, adhibitis sobrijs rerum æstimatoribus, grauibusque Iudicibus, eas palam, vel ab inuito te, idest ab ore tuo, pro meo iure, proculdubio extorquerem. Verum cum vtroque hoc, tam priuato tecum familiariter, quam publico coram alijs iudicialiter, agendi remedio caream, non propterea à magna vlla spe animo concidi tibi persuadendi, quod velim, sicut ne à causa quidem concidisse me arbitror. Aget enim apud prudentiam tuam hæc paruissima scedula, atque id secretius, inter te, & ipsam, te exorabit, quod fortasse neque iura amicitiæ, neque publicæ leges facere

po-

potuissent. Nam ea est veri vis, atq; potentia, vt secretius per se influat, quam vt violentius irrogetur, præsertim in animos hominum, qui ita sint instituti, vt de te credere debere mihi plurima persuadent. Ingenium dico, ratio, ætas, literæ, & magna, quod scio, de me tua, quamuis præter ac supra merita mea, existimatio. Quæ omnia hoc penes te queunt efficere, vt non à me putes, quidquam temerè factum, etsi non eo modo factum sit, quo tu fieri debere putabas. Taceo gradum tui venerabilis Præsulatus, qui pro experimento multarum, & rerum & causarum, eam practicam callet, vt probè norit sæpe apud Prælatos falsis criminationibus accusari innoxios ac tergiuersationibus falso defendi, qui rei sunt. In quarum difficultatum medio constituti cum variè fluctuemus, magna
3. Regum 3. 16. est opus sapientia, quam in Salomone Diuino munere eluxisse etiam in rebus gerendis, literæ Diuinæ testantur. Quo nos maximo dono si non vt ille præditi sumus; agamus in causis quod ratio consulit, quod testes probant, quod leges iubent, & bona spes nobis erit ne apud Deum quidem, ne dum apud homines, nos esse damnandos, non modo in causis rectè perpensis, atque comprehensis, idest quarum veritas indubitatissima est; verum etiam in illis, quæ nisi vt dictum est non sunt nobis aliter explorata; hoc est, in quibus etiam adhibito omni studio inueniendæ veritatis sępe falli valemus. Hanc ego accuratissimam diligentiam pro virili mea illi causæ præbui, in qua is accusabatur, pro quo me tantopere flagitasti. Qua sanè diligentia præter experimenta, quæ nescis, hoc mihi de illo peperit veritas, vt hominem plectendum magno supplicio, rogatu Episcoporum venerabilium, Ariminensem dico & te, nullas ferè pœnas ingentium erratorum illum luere pro merito constituerim. Itaque non te putes ad me frustra scripsisse, ac per hoc si tantas, quas paraueras, gratias referre non libet, saltem desinas me, pro tua humanitate, aut ipse obliquè petere, aut apertè mordere. Sunt enim in literis tuis, & indicia indignantis animi, & signa comminantis, & quod est grauius, vestigia obtrectantis. At ego qui sim professus me Dominum illum nostrum mitissimum Iesum Christum imitaturum, qui cum malediceretur, non maledicebat, & vt verbis tuis vtar, *totus sum conscientia* (4) (quod vtrum seriò, an ioco dixeris, ne grauius interpreter, ipse videris) pro indignatione beneuolentiam; pro comminatione maxillam alteram, pro obtrectatione laudes referre paratus sum. Et hæc quidem omnibus propter Deum, quanto magis tibi, cui præter honorem tanti Sacerdotij, non solum debeo reuerentiam, verum etiam propter veterem amicitiam, qua penè pueri quondam in schola, sub Guarino præceptore, Græcis literis ludebamus, nequaquam vllo pacto excludendam beneuolentiam puto. Proinde oro te Pater Episcope, vt in plectendis errantium fratrum meorum culpis non me putes quicquam agere temerè, qui & consilio Sanctorum, atque eruditissimorum hominum in omnibus vtor, & qui, quod scio à me dici æquo animo patiere, mihi quam tibi sunt admodum notiores. Commendo me tibi venerabilis Præsul, atque honorande Christi Antistes. Ex Padua XVI. Martij 1443.

NO-

N O T AE.

Nota I.

Episcopo Coronensi. Erat ille Christophorus Garetonus, veteri amicitia cum Alberto coniunctus, *qua*, inquit, *pene pueri quondam in schola græcis literis ludebamus*. Sed vlteriorem personæ notitiam, his verbis profert Flauius Blondus, Decad. 3.hist. lib. 8. pag.527. interfuit assiduus huic fœderi (Græcorum cum Ecclesia Latina) Christophorus Garetonus, Pont. Eugenij Secretarius, quem postea ob hanc rem bene gestam, Coronio Peloponnensi Oppido Episcopum dedit. Is qui ter quaterque per aliquot annos antea Palæologum à Pontifice adijsset, illi persuasit, vt quæ Basileenses eis impossibilia obtulissent, à Pontifice maiora, melioraque spondente acceptauerit. Et Albertus ipse, cum ab ingenio, ratione, ætate, literis, & rerum experientia laudat.

Nota II.

Pacato animo. Non suo, sed Episcopi, cuius ad Albertum Epistola indignationem & minas præferebat. Quam autem pacatus, mitisque fuerit animus B. Viri, satis ipse professus est ijs verbis. *At ego qui sim professus me Dominum illum nostrum mitissimum Iesum Christum imitaturum &c.*

Nota III.

F.I.C. Huius hominis nomen & patriam scimus, sed lectori minimè necessaria, omittenda satius quam depromenda iudicauimus, ne vnius culpa plures erubescerent.

Nota IV.

Totus sum conscientia. Vulgaris vrbanismus est, quo dicere solent, *V.S. è tutto bontà, è tutto pietà, tutto carità, tutto conscienza &c.* immo & Latinè locus est Pauli Manutij Epistola ad Antonium Augustinum apud Illustriss. D.Nicolaum Antonium in sua Biblioth. Hispana, quam ingenti labore, summaque solertia & studio eruditissimam emisit, vbi sic loquitur Manutius: *Quantus quantus es totus labor, totus industria es*. Verum quoniam aliquando ex animo, aliquando irrisoriè, aliquando in contrario sensu exprobratoriè accipi potest, nec rarò profertur, ideò sequitur *Quod vtrum seriò, an ioco dixeris &c.*

EPISTOLA LXXXVIII.

C. EPISCOPO ARIMINENSI. (1)

ARGVMENTVM.

In causa superioris Epistolæ, in fauorem illius subditi, scripsit etiam Ariminensis, sed cum maiori moderamine, quam Coronensis. Quapropter Albertus pari modestia illi respondet, & relatis ijs, quæ de illo Religioso disposuit, totam rem ipsius Ariminensis arbitrio defert.

Modestia literarum tuarum, venerande Christi Antistes, qua me grauiter, vt te decet, & sine vlla culpa iactantiæ, immo cum merito pietatis orasti, vt F.I.C. quantum pateretur iustitia, misererer; hoc

sanè meretur, hoc exigit, atque penè extorquet, vt si fieri potest, maiore tibi modestia respondeatur, quam à me flagitaueras. Verum quia nos ambos negotiosissimos, me quidem multa dictare, te verò multa dictata legere curæ plurimæ vetant; hoc tibi velim, pro tua charitate, & sapientia, breuibus persuadeas, omnia à me erga illum, non modo facta esse magna iustitia, verum etiam pro reuerentia postulantis maiore misericordia: cum tamen illum alias sæpe *expertus sim maioribus suis maximè pertinacem* (2) Quæ res, vt optimè nosti, consensu omnium sapientum, ac Sanctorum, in religiosis viris abolet prorsus omnem obedientiam, primam quidem votorum omnium, quæ profiteantur, qui Deo solemni obligatione dicati sunt.

Hunc præterea, etsi illum adeò certissimè probauerim reum, vt ei à me nulla penè ratione redire iterum ad Cretam debuisset concedi, supplicante tamen illo instantius, vt illuc tantum iret, atque statim rediret, ne publica verecundia apud omnes videretur confusus, nescio qua pietate, fragilitati illius assensus sum; ita tamen, vt sub pactam fidem, ad me sine deceptione fraudulentiæ, quemadmodum postularat, ad Capitulum nostrum, apud Patauium proximè celebrandum, quam celeriter redire deberet. Quam tamen inter nos, vt dixi, pactam fidem, vereor, ne pro vsu mendaciorum suorum mihi non seruet. Ego vero nihil minus, cum pro restauranda existimatione illius, tum maximè pro obsequendo vel partim tibi, malo ita fecisse, qui fortasse satius fecerim, si aliter fecerim; hoc est, & pro salute illius, & pro arbitratu interpellantis, præsertim cum tu, qui sapis, per Dei misericordiam, quæ Dei sunt, longe magis optaueris, atque, vt certò scio, censueris, plus animæ illius quam infirmitati carnali sine dubitatione consulendum fuisse. Quod meum consilium, cum tibi probatum iri, & ex te ipso accepero, gratum habebo. Sin minus, & hoc ipsum quodcumque statueris, quamprimum id mihi veraciter innotuerit, pro tuo arbitratu faciendum putabo. Vale & exiguitatem meam orationibus adiuua, ex Padua vltimo die Martij 1443.

N O T AE.

Nota I.

C. Episcopo Ariminensi. De hoc Christophoro Episcopo Ariminensi, satis supra diximus, cuius optimi viri laudes non parum confirmat hæc Epistola B. Alberti ad ipsum.

Nota II.

Expertus sum maioribus suis maximè pertinacem. Superius diximus aduersus importunitatem quorundam Dominorum temporalium, cum ordinum Religiosorum Prælatis, pro eorundem subditis, se opponunt. Sed hic locus, & quæ sequuntur exigunt, vt Religiosi ipsi, qui eos imprudenter interpellant, moneantur, quanto magis ea re perdant, quam lucrentur. Nam si rem friuolam, vel iniustam postulant, cogunt superiores, vt authoritatem suam, suarumque dispositionum integritatem tueantur, vel, quod Albertus ad

ad Eugenium Pontificem ſcripſit, acerbiora bella cum Dominis temporalibus aſſumere, quibus & religio non parum turbatur, & non ædificatur mundus, vel ſe illis inhumanos, rudeſque præbere, ſi nulla reddita ratione, peritionibus ipſorum refragantur, vel ſi veritatem dicant, religioſi iniuſta prætendentis famam lædere. Quo fit, vt is deinceps Prælatum, quem humili vel ſubiectione, vel ſupplicatione placare, & in ſui æſtimationem, amoremque trahere poſſet, huiuſmodi interpellatione, quæ vix abſque querela fit, magis irritet, ac duriorem, aſperioremque deinceps experiatur: cui nimirum vim quandam inferre velle viſus eſt, & illum externum, quem patronum ſibi fore credebat, vel ſibi perdat, vel in aduerſarium commutet, dum de cauſæ iuſtitia, vel inhoneſtate doctus, illum deſpiciat, ac deſerat; nec audire amplius, nec videre velit, qui rem vel iuſtitiæ, vel honeſtati contrariam ab amico petere præſumpſerit.

Quia verò ſuperiores quandoque vel decipi poſſunt, vel humanum aliquid pati, homines enim ſunt, & forte ab iniquis inſtructi, propter quod Spiritus Sanctus per Prophetam dixit Habacuc. *Factum eſt iudicium, & contradictio potentior, propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius praualet aduerſus iuſtum: propterea egreditur iudicium peruerſum.* Tum ſubditus ſi audet, vel audiendus ſit, faciem ſuperioris deprecetur, vel ſi oppreſſus eſt, quod iure naturæ, ordiniſque, & Eccleſiæ legibus licet, ad maiores prouocet, vel modeſtius & abſque fori ſtrepitu quietius aliquem quærat, non qui potentia Prælatos cogat, non qui, quamuis deprecantis ſpecie, iure quodam ſuo regat, ſed qui pro ſapientia, & reuerentia ſua Iudicem, de tota re liberius informet, & cum Daniele Propheta dicat. *Reuertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam.*

Si nihil horum ſuppetat, Chriſtum Crucifixum oret, & calamitatem ſuppliciter exponat: ſed fortè auditurus, quæ Seraphicus P. Franciſcus, hortanti Paulo Apoſtolo, vt Religionem ſuam defendat, reſpondiſſe fertur, non alia ſibi arma ſuppetere, quam crucem, quæ & ipſa patientiam prædicat: ſed gladium ſuum Paulus porrexit, & res confecta eſt: vel quæ S Petrus Martyr, & Ioannes Peckamus noſter, Archiepiſcopus Cantuarienſis, illiuſmodi calumnijs oppreſſi, & ad Chriſtum ſupplices ex ore pendentis in Cruce audiuiſſe ſcribuntur: ſe quoque innocentem flagellis laceratum, & clauis confixum cernerent, & per patientiam imitarentur in tolerandis mundi paſſionibus, quę non ſunt condignæ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Tum Seruus Dei de Cœlo ſecurus oret, cum Auguſtino. *Domine hic vre, hic ſeca, & in æternum conſerua*: pro ipſis inimicis deprecetur, eoſque diligat, tanti boni ſui, cœleſtiſque triumphi inſtrumenta, vt cum Pſalmiſta Regio in Dei iudicio dicere poſſit, *perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.*

Prælatos autem intelligere decet, prætter dignitatem ſuam, & in Religioſos filios paternam diligentiam eſſe, vt eos ad extrema hæc adigant: ſi erraris vlcerati ſint, plus olei quam vini, ſeu, quod intolerabilius eſt, aceti affundendum eſſe. Si honeſti, innocentes, mites, manſueti, humiles, laborioſi, & vtiles Religioni, ſuſurrones aduerſus hos non audiant.

Nam plerumque qui peiores ſunt, vel inuidia, aut naturæ, vel morum diſſimilitudine, meliores inſequuntur; vt ſuis malis operibus, vel non imitando, vel non approbando contrarios, vel non meliora ſectando, tacitè reprehendentes: quos ſi bonus eſſet animus, imitari ipſi potius, amplecti & iuuare deberent. Non enim in vnius tantum cuiuſque hominis, ſed in plurium etiam cohabitantium, aut Regni, aut Ciuitatis, aut Religionis, aut Collegij corpore, caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem pugnant, quod Deus ita permittit: vt qui probati ſunt, fideles inueniantur. Nec decere ſuperiores velle bonos affligere, vt malis delatoribus placeant, quantumuis alioquin ſibi gratis, vel coniunctis, aut quod teterrimum eſt, inauditos damnare, vel audire nolle, aut nimia

asperitate terrere, aut cuiusuis paruitatem contemnere. Formicæ enim sua bilis inest, & scintilla sentibus iniecta Cypressos, & Cedros aliquando incendit.

EPISTOLA LXXXIX.

POGGIO SVO FLORENTINO (1)

ARGVMENTVM.

Vel ille reus subditus, vel alius quis non melioris farinæ, Alberti nostri famæ passim detrahebat, insimulabatque defectus, quos ipse in Epistola narrat. Quod cum Poggius veteris amicitiæ iure doluisset, curauit B. Virum per Sanctum Bernardinum moneri. Albertus ergo eiusmodi garrulorum hominum criminationes modestè, vt solet, & sapienter abstergit. Et hanc defensoriam suam, si non necessariam, sed saltem, vel ipsis obtrectatoribus, vtilem fore demonstrat.

FEcisti pro consuetudine tua, Poggi charissime, & pro iure veteris amicitiæ nostræ, vt famam meam, quam conuelli, & carpi ab vanè obloquentibus cerneres; cura diligentissima tuereris. Nam quid aliud mihi fecisse putandus es, quam existimationem meam fuisse tutatus: quandoquidem tuo nomine, me vir insignis Fr. Bernardinus admonuit, mihi ipsi diligentius esse prospiciendum, cum non desint, qui siue à tergo, siue palam me mordeant, aientes, me in vltimas terras (vt sic dicam) quosdam è fratribus meis grauiter insectatum, qui mihi in electione huiusmodi Ministeriatus, quem inuitus, ac iniquo animo gero, & tolero, suæ vocis suffragia negauerunt. Magistros præterea nonnullos, qui Sacræ Theologiæ fastigium profitentur, aduersum acriter queri, quod eos insolenter asperner, atq; abijciam, & gradum honoris, & dignitatis eorum, nihilo magni pendam.

Super quibus, vt breuiter tibi respondeam, scias cuncta esse falsissima; quæ si tu credis, ipsa opinione leuitatis me valde læsisti: si non credis, ac me minus aduersum maledicos defendisti, de negligentia tutandæ amicitiæ rectè culpandus es: si defendisti, magnopere laudandus: qui præterea officium veræ necessitudinis, de obtrectatoribus quidem benè, quos ab insolentia compressisti; de amico verò illo me tuo, quamuis exigui ingenij sim, proculdubio longè melius, quem pro religione, & timore Domini, nihil in hac re perperam agere putauisti. Sed quod tibi multò carius esse debebat, de te ipso optimè meritus esse credendus es, qui in ipso tuæ mentis iudicio, nulla temerè sentientis periculosa sententia, conscientiam rectè factorum necessarij tui, immo conscientiam tuam, offendere maluisti.

At ego, vt totum paucis verbis absoluam, tanto fastidio ago huius

mihi impoſiti curam reginiinis, quod ei gerendæ, certò ſcio, ſum impar, vt illos mihi longè magis diligendos exiſtimem, qui ſint immanius aduerſati, quamuis, per Chriſti, ſiue miſericordiam, ſiue iudicium, neſcio, nulla vox inter ſuffragia, ex tanto
Erant 93. virorum numero, præter vnam, mihi aduerſa fuerit: ſed ille nunc, qui poſtea in ſententiam reliquorum otiùs, ſponteque conuolauit, præ cæteris omnibus mihi amicitior eſt, non quia fauentibus eſt aſſenſus, ſed quia me plus delectat (ita Chriſtus me iuuet) plus illum diligere, qui diſſentit. Nam is eſt, qui eum mihi locum, mea humilitate digniſſimum, hoc eſt Chriſtianæ humilitatis, quantum in ipſo fuit, diligentius procurauit, meritò vitam omnem, ac ſalutem meam, inter varia rerum diſcrimina fluctuantem, tutiſſimo portu religioſæ ſubiectionis locaſſe putandus eſt: Reliqui verò, vani huius mei honoris fautores, tanquam leuiſſimę nebulæ perniciter tranſeuntis (quamuis illorum tantæ in me beneuolentię, quæ putatur, ingratus eſſe non debeam) non me tamen ita afficiunt, non me trahunt, non rapiunt ad ſeſe, cum illi quidem, etſi me incerta quadam gloriola honorant, certo pene periculo, vnde etiam magnorum plurimos corruiſſe comperimus, pendula ſalute me locant.

Verum ad Magiſtros veniendum eſt, de quibus vide, oro te, diligentius, ſi inſtitutum meum vlli ſapienti probandum cenſeas. Inuenio ex eis quoſdam, qui, fatentibus ipſis, vana intentione inanis gloriæ gradum illum honoris adepti ſunt, ſed poſtea correcti, & doctiſſimi, & optimi euaſerunt. Hos ego ab errato ad vitam emendatiorem redeuntes, & animo, & ore, & ope complector. Sunt & alij, qui & ipſi docti pariter, ac boni, locum illum bono, vt aiunt, animo quæſiuerunt. Et hos ego, ſi ita ſe habet eorum cauſa, magis probo quam primos: ſed, vt mihi videtur, magis probandi viderentur, ſi non quæſijſſent. Tertium eſt genus doctorum, atque Sanctorum, qui iuſſi, atque inuiti, faſtigium aſcenderunt, quos prædictis ſine vlla dubitatione prępono: ſed hi, niſi fallor, hac noſtra tempeſtate perrari ſunt, vt taceam nulli. Nec deſunt qui eruditi quidem ſunt, ſed vani, ſed inſolentes, ſed vita ſordidi perſeuerant, amant tamen eos, qui boni ſunt, in quibus damno, quod malum eſt, laudoque quod bonum.

In genere quinto inueniuntur eſſe, quartis in omnibus ſimiles, ſed qui odio immaniſſimo proſequantur, inuideant doctis, atque indoctis: Hoc genus eſſe teterrimum duco, & tanquam in cœnum lapidem pretioſum, ſic in maleuolam animam, magna iactura ſui, ac reliquorum, malè locatam eſſe ſapientiam; ſi tamen ſapientia dicenda eſt, quæ & ſe perdat, & alios non ædificet. Reſtat poſtremum genus, atrox ſanè ac deteſtandum, eorum qui ignari penitus, omnis liberalis eruditionis, & ſanæ doctrinæ, ſpurciſſimo genere viuendi ſuperbi, atque immundi, bonos contemnunt, malos præcellunt, & ſpernentes Maiorum ſcita, nec Deum, nec homines reuerentur. Ex his ego vnum nuper, fateor, priuaui gradu, abieci Magiſterio, quem mecum, ſcio, & ipſe perſequeris; & qui boni ſunt, inſectantur, eo magis, quòd honores ſuperbè nimium ambiens, quod à nobis non potuit, *quia indignus erat* (2) vllis viribus extorquere,

ad

ad gentes se transferens, à Schismaticis se facile obtinuisse gloriatus est.

Non tamen hunc conieci in vincula, quod alius fortassis fecisset, non regulari vlla disciplina plectendum afflixi, qui & pœnas tanti errati lueret, & reliquis terrori fieret, quo minus talia temerè auderent; & quo me æstimes mitiorem, hæc ipsa, si flagella dicere malis, non mea sponte, sed mandante mihi Pontifice Maximo, illi illata sunt. Habes excusationem meam, Poggi, pluribus verbis fortasse quam opus erat, sed vt puto, non pluribus, quam vtile erat, ac futurum est. Nam audita ratione causæ meæ, qui vel amantes verebantur, vel odio habentes calumniabantur, tanquam temeritatem in rebus gerendis, & causis discutiendis, deinceps si sanè sapiant, & sibi à præcipitanda sententia alienorum factorum modestiùs moderabuntur, & tuebuntur, & diligent: si verò hi sint, qui desipiant, aut admoniti, contemnendi; aut posthac obtrectantes, æquo animo tolerandi sunt: satis enim sine nostra, quamuis defensoria obiurgatione, puniti erunt, qui sua ipsi insipientia, ne dicam errore, stultitia, atque conscientia, si quam habeant, affligentur. Vale & me ama, vt soles, & ad me aliquid scribere non graueris. Ex Padua 30. Martij 1443. oro te vt Leonardo Aretino, me valde commendes, cuius sola recordatione pro virtute sua plurimum recreor. Iterum vale.

NOTAE.

Nota I.

Poggio suo. Suum vocat, & famæ suæ absentis tutorem agnoscit, decimo quinto anno, postquam illum acerrimè reprehendit, ex quibus vtriusque non parua laus eluceſcere mihi videtur. Poggij primùm, alioquin feruentis animi, moderatio, qui tam seuerè, quamquam amicè, ab Alberto exceptus; tantum abfuit, vt excandesceret, vt potius cuncta, vt verè scripta fuerant, boni consuleret, suæque erga optimum amicum beneuolentiæ vsque adeò nihil remisisset, vt potius ipsius monita, tanquam præcepta veri Serui Dei, suscipere visus sit. Nihil enim deinceps in religiosos viros, vel dixisse, vel scripsisse deprehensus est: & studium obsistendi eorum progressibus, quod prius præ se ferebat, ita vel cessauit, vel in ipsorum augmentum conuersum fuit (quod suasit, & persuasisse videtur Albertus) vt illa duo loca, de quibus agebatur, nostris religiosis incolenda cesserint, eaque in hodiernum diem vsque retineant. Alberti verò tanta persuadendi virtus, & etiam obiurgandi suauitas, vt hominem iratissimum, seu etiam, vt alij loquuntur, rabidas in iras exardentem, ita non irritarit acriter increpando, vt potius in contraria studia repente conuerterit. Ea enim est vis verbi Dei, hoc est veritatis, vt quamquam sit gladius vtraque parte acutus, acriterque scindens, & pungens, cum tamen è candidi animi, & sinceræ charitatis vagina exerirur; tam suauiter penetret, vt pertingat vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discernat cogitationes, & intentiones cordis ad Hæbr. 3. 12.

Nota II.

Quia indignus erat. Alias monuimus Ep. 88. not. 2. eos, qui contra iustas Prælatorum dispositiones ad forensia

rensia brachia recurrunt, plus inde perdere, quam lucrari, qui totus locus in detractores etiam non immeritò facit: oportet sanè querelam subditi aduersus superiorem non iustam tantum, sed itidem necessariam esse, ac tum quidem, quę liquido demonstrari possit, quibus conditionibus defensio propriæ causæ cuilibet concedi debet. Videnda quæ diximus loco citato.

EPISTOLA XC.

SCIPIONI MVTINENSI EPISCOPO.

ARGVMENTVM.

Erat Scipio, patria Ferrariensis, gente de Mainentibus, vir virtute & literis excultus, Alberto amicissimus, & eius exaltationis cupidus: scripsit ergo, vt Albertus ipsi arcana sua, hoc est, si quem pateretur ambitum dignitatis, id sibi fidenter aperiret, quasi dicere vellet, se effecturum, vt illa obtineretur. Albertus autem longe diuersissimi sensus, per hanc Epistolam illi respondet, nullam causam potiorem apud se esse, quam animæ: se verò non credere curam regiminis, absque animæ periculo geri posse, præsertim cum ab ambitione veniret; idque Sanctorum Patrum, & moribus, & documentis confirmat, adeoque se in priori deliberatione persistere declarat, vt nihil de hàc re, vel suo vel alieno studio pro se solicitetur.

AFfecerunt me nonnulla molestia literæ tuæ, Christi venerande mihi omni tempore Præsul, quod mihi suspicari visus es, propterea noluisse me pandere illa arcana mea, de quibus ad me literas scribis, quasi tibi minus confiderem. Tum me valde hortatus, vt totum tibi amico verè meo, & vt reuera es, alteri parti, imo dimidiæ animæ meæ tuto me credam, non formides, inquis, res tuas etiam tacendas, continendasque cordi, amicis latè pandere; quasi verò ego de te, ne sis mihi secretior, vlla ex parte formidem. Verè loquor, mi Scipio, mi Pater Episcope, si illa tentatio (quam vocas humanam, quamque, si acerbius, quamuis verius interpretareris, fortassis Diabolicam appellares) me titillaret, nedum vrgeret, non est in numero Sacerdotum secundus, cui æstus meos, de eiusmodi re apertius, quoniam tutius, propalarem, quam tibi, quandoquidem illud mihi, vt optas, sinceriter persuadeo, abs te longè plus me amari, quam à quouis professionis tuæ; à nemine magis.

Sed licet alia, vt vis, sit causa mea hoc tempore, alia priusquam ex parte magistratum, quem vocas, gererem, nulla tamen causa potior apud me esse debet, vt scio mecùm fateberis, quam animæ meæ. Quod si me inuitum, ac repugnantem in campum communis boni, & vberioris vtilitatis, ac nostræ Reipublicæ traxe-

traxeris, quod ipsum semper, etiam à Philosophis, priuatis quibuslibet commodis Diuinius esse, ac præstare putatum est, facile tibi comite Sancta Scriptura, ac sapientissima Theologia, responderim: fortunas quidem mihi, si quas habere liceret, & famam, quamuis præclaram, & vitam corporis, pro communi vtilitate liberius effundendas; animam minimè. *Quid enim*, vt ait veritas, *prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* *Cura vero regiminis*, *an sine detrimento animæ* (1) hac nostra maximè tempestate, geri possit, videris ipse, cui credas, ego non credo: præsertim si ab ea fauce putoris, hoc est fumosæ ambitionis exhalet, vt non quidem, vel non quærentibus, vel non optantibus, vel inuitis, & optimè de Republica meritis tribuatur gradus honoris: sed superbia, sed arrogantia, sed mille modis fœtidissimis detestabiliter acquiratur.

Consule Patrum Ecclesiæ Sanctissimos mores, lege veterum instituta, repete memoria gesta Maiorum, & affer, si vales, vel pusillum exemplum, quo mihi liquido comprobes aliquem Sanctorum, vt vnquam præesset, vel minima coniectura quæsijsse: filius Dei, ne Rex fieret, fugit in montem: superbientes discipulos duos fratres, de quibus indignati sunt reliqui, repulsa matre, quæ studio filiorum pro excellentia priuatorum interpellauerat minaci prohibitione compescuit, dicens, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quo dicto, ni fallor, præficiendorum merita prænotantur: & illis præsumpta temeritate, respondentibus, *possumus* (ignari enim erant humanæ fragilitatis) Respondit Dominus. *Calicem quidem meum bibetis*, quod Propheticæ prænunciationis fuisse reor, *sedere autem ad dextram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis*: dum tales estis, vt sit inter vos honorum vana contentio; quisnam scilicet ex vobis videatur fieri maior: sed quibus hoc est? illis, subaudi, meum est dare, quibus paratum est à Patre meo, idest humilibus mentibus, non inflatis hominibus, qui se ipsi præficiunt, dum hoc appetunt, dum exquirunt, vt illud propheticum possit aptari, *Ipsi regnauerunt, sed non ex me*. Quantarum, oro te Pater optime, & qualium virium esse putas, collapsam Religionem instaurare, quod ipsum si magno vllo negotio à quopiam præstantissimo agi possit, equidem tantæ virtutis, & roboris mihi ipsi conscius minus sum, vt nisi maximo munere Dei Omnipotentis, tam ingentis ponderis onus sustineam, immo verò tam grande opus vix tandem aggrediar, quanto magis aliquando consummem.

Quod si post hæc obijcias Ioseph, & Danielem, vt taceam Hester Reginam, Sanctos homines maximo Principatus honore, etiam gentibus præfuisse: si dicam aliud esse, præfuisse fratribus, aliud gentilibus, puto rectè respondero. Verum cum certò sciamus, etiam fidelibus fratribus oportere esse, qui præsint. Nam Petrus & cæteris Apostolis, & omni Ecclesiæ honore prælatus est, ne mea responsio vllam omninò calumniam patiatur, *aliud dico esse, cum quisquam præficitur, aliud cum se ipse quis præficit* (2) In altero enim, vt in Sanctis viris sæpius factum legimus, obedientiæ virtus, & quædam

(vt

(vt sic dicam) obtemperandi sub æterna lege, & dispositione Diuina, probari potest laudanda consensio. In altero autem, sola superbia detestanda est, quæ testimonium vanissimi cordis, & affectatæ libidinis dominandi perhibeat. Quæ cum ita sint, aut ita esse existimem, in priore, mi Scipio, deliberatione consisto, vt nihil de hac re, vel meo, vel alieno studio quæri soliciter.

Si postremò pro amore erga me tuo, mihi renitenti obsistas, quod de Præsulatu, exempli causa, nulla solicitudo me deceat, de gubernanda vero in meo ordine mea Religione, nihil ab honesto abhorreat. Hic satis hæreo, satis fluctuo, nulla quidem, aut verborum inopia, aut regiminis appetentia, sed sola absentia charitatis tuæ. Nam si adesses, vel ego adessem, quo possemus nostra miscere colloquia, fortassis, pro meo iure, impetrarem abs te, vt consulta ratione in sententiam meam traijceceris: quæ qualis sit, non est huius, neque loci, neque temporis explicare. Vale mi Parens optime. Ex Padua 19. Martij 1443.

N O T Æ.

Nota I.

Cura regiminis an sine detrimento animæ geri possit. Durus est hic sermo, & quis potest illum audire? sed noster B. Albertus, nec primus, nec solus est eius auctor; Omnes Doctorum, & Sanctorum Ecclesiæ Patrum libri, qui non absque Dei verbo loquuntur, tota huius Epistolæ doctrina pleni sunt. Qui proinde ipsi Sancti non minus studij posuerunt ad euitandam curam regiminis, quam alij ponunt in illa dignioribus præripienda. Vnum pro omnibus aureum opus propono aurei oris, & calami Ioannis Constantinopolitani, *de Sacerdotio*, ad cuius ampliorem fructum, vtinam omnes Regiarum Ciuitatum portæ, ex ære solido conflatæ, & summa capita illius Diuini commentarij, palmaribus literis eis insculpta forent, nec vllus dignitarum candidatus vel ingredi, vel adeptus egredi sineretur, qui cuncta non legeret, & intelligeret. Sperarem profectò, vel appetitores regiminis ære ipso duriora corda habituros, vel contempturos, quod adeo vehementer appetunt, nec Sacerdotij tantum, sed ipsius etiam ciuilis gubernij candidatis prodessent. Nam quæ mala Episcopus, vel ignorantia, vel imprudentia, vel negligentia committit, eadem, vel non minora sæculi potestates, alijs causis, modis, & medijs incurrunt: imo aliqui falcem in alienam messem ponentes, Episcopos ipsos ab ouibus suis ritè regendis deterrent, cohibent, cogunt. Non magis terribilis est B. Alberti sententia, quam eiusdem Chrysostomi, hom. 3. in acta Apostolorum. *Non temerè dico, sed vt affectus sum, ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes esse multos, qui salui fiant; sed multo plures qui pereant: in causa est, quoniam res excelsum requirit animum, & innumeris oculis illis opus est vndique.* Sed hæc ad illos, qui adepti sunt, attinent, ad ambientes autem, quæ sequuntur.

Nota II.

Aliud dico esse cum quisque præficitur, aliud cum se ipse quis præficit. Horum sanè periculosa præsumptio, omni æuo damnata fuit; & contra eos tam Scriptura quam Patrum monumenta exclamant. Albertus autem quod personam suam, & sui similium attinet, Seraphicum Ecclesiæ Doctorem, Di-

uum Bonauenturam præceptorem habuit. Is, erſi S. Franciſci regulam exponens, ſed ad rem præſentem Euangelij ſententiam ex eadem aſſumpſit. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei*. Lucæ 9. Cumque de pluribus modis aſpiciendi retrò prius diſputaſſet. *Sed quid*, inquit, *dicendum eſt de illis, qui ad Epiſcopale officium ex his fratribus aſſumuntur? Reſpondeo, ſi coacti ab Eccleſia, huiuſmodi incunctabili neceſſitate ſuſcipiant regimen animarum, non ſunt reputandi ab ordine egreſſi, ſi quantum in ipſis eſt, ſemper appetant in ſinu ordinis confoueri. Quod ſi non vocati, ad eundem aſpirant, vt fugiant ærumnas pauperum, & ordinis rigorem, credo eos in illius partem ceſſuros, qui dixit. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*. Terribilis profectò ſententia, alioquin dulciſſimi, & manſuetiſſimi doctoris, ſed ſciebat quanta de re agebatur: Sancti P. Franciſci, & ſpiritum, & documenrum ſecutus eſt, qui cum à Cardinale Hugolino tunc ordinis Protectore, mox Gregorio IX. Pontifice, audiret expedire, vt aliquiè ſuis fratribus ad Eccleſiarum regimen aſſumerentur, liberè reſpondit: *Domine, ratres mei ideo vocantur Minores, vt non præſumant fieri maiores*: Sic ipſe Bonauentura pinguiſſimo Sacerdotio Ebronenſi in Anglia, à Clemente IV. Pontifice donatus, acceptis literis prouiſionis, ad Pontificem properans, efficaciter ſupplex exorauit, vt tanto onere leuaretur. Deinde à Gregorio X. ad Cardinalatus dignitatem aſſumendus, ex tota Italia fugit, & quamquam tantus vir, quantus ab vtroque Pontifice habitus, & laudatus, ac octodecim annos iam tunc ſupremus ampliſſimi ordinis præfectus; humilius officium ſcholaſtici Lectoris inter Pariſienſes fratres ſuos exercuit, donec obedientiæ vi coactus eſt in Italiam reuerti; cumque magnæ illius dignitatis inſignia, &, quod rarum, Albanenſis Epiſcopi gradus deferrentur, inuentus eſt in ſolitario cœnobio Mugilli in Thuſcia, culinæ, & Refectorij vaſa, humili Religionis conſuetudine, cum fratribus lauare; neque Pontificis Miniſtros, qui tantæ dignitatis inſignia afferebant, ſuſcipere voluit, donec exercitium humilitatis, quod inceperat, abſoluit. Sic Sancti omnes docuerunt, ſic fecerunt doctrina & Sanctitate præcellentes. Cum quibus an præmiandi ſint, qui ipſos imitari nolunt, ipſi viderint, ego pro omnibus ſpondere nolim.

EPISTOLA XCI.

IOANNI MARTINO VENETO. (1)

ARGVMENTVM.

Abſoluto Capitulo Generali Patauino, Albertus cum nouo Miniſtro Generali, & præcipuis ordinis Patribus, venit Senas ad Eugenium Pontificem, ibique actis, quæ nos in eius vita, & Vvaddingus copioſius in Annalibus, narrauimus, expoſuit ſuos olim in Aethyopiam ſocios, Beatum Thomam Florentinum, & alios adhuc detineri in calamitoſa ſeruitute Saracenorum; rogauitque, vt eos redimi iuberet, & ad rem commodos, ſupereſſe ſumptibus Comitiorum aureos quingentos, eoſque huic pio operi impendi poſſe. Et Pontifex, in cuius obſequio illi Religioſi hanc in ærumnam inciderunt, ita fieri decreuit. Pecunia mittenda fuit ad D. Ioannem Martinum Venetum, ordinis per terram S. Procuratorem,

ſeu,

ſeu, vt vocant, Syndicum Apoſtolicum, qui tum forte in Cypro habitabat. Albertus eum hac Epiſtola comitatus eſt, cætera ex ipſa percipientur. Nos eam, non ex codice reliquorum operum Alberti, ſed ex Mariani Florentini Chronicis accepimus.

CApitulum vtique glorioſum, *die nona Iunij* (2) Paduæ celebrauimus, quo (niſi Sathan humani generis inimicus ibi *ſuperſeminaſſet zizania*) (3) nihil potuiſſet, vt ita dicam, excellentius eſſe. Ego autem, vt Fr. Albertus in mei ſcilicet nominis humilitate remanere, non fictè procuraui. Quod quia, vt ſemper optaui, adeptus ſum, non immeritò mirum in modum gaudeo, dummodo totum rei negotium, cum Summi Dei, hominumque honore pertractatum fuiſſet: cuius ſeriem aures tuæ, *vtinam non inconſonam veritati*, (4) forſitan excipient. De dicti verò Capituli eleemoſynis *aurei ſuperfuere quingenti* (5) quibus tuus, & noſter charus Thomas Florentinus, cum ſuis ſocijs, in captiuitate infidelium poſiti, atque detenti, per tuam ſolertiam, vt redimantur, ſi neceſſe fuerit, apud Sanctitatem Domini noſtri Papæ peroraui, & ex decreto eiuſdem venerandus Presbyter Dominus Ioannes de Noroſtica, craſtina die hinc Senis Venetias vadit, Aloyſio fratri tuo, mihi chariſſimo, præfatam pecuniam delaturus. Tu verò ſtudium, & diligentiam adhibe, vt fratres prælibati, minori, quo poſſunt, pretio redimantur. Quod ſi per Dei prouidentiam de carcere liberati, vel aliter iam ſublati de medio reperiantur, certiores nos, & Aloyſium, Sanctitatemque Domini noſtri reddere procurato, vt pecunia illa in aliquod pium opus, ſecundum eiuſdem Domini noſtri beneplacitum, poſſit erogari; & ſimile per omnia Aloyſio tuo ſcribas: dilectionem erga me tuam, fratremque Thomam, atque ordinem noſtrum non ignoro. Fidem etiam bene meritam, qua Sanctitatem Domini noſtri proſequeris, nec non & rectitudinem in his, ad quæ propter Deum & amicos porrigis manus. Ea propter, non te amplius per longa exorſa tenebo, exhortando videlicet te, circa hoc diligentiſſimum fore. Deum pro nobis exora, & ſæpe ſæpius ſcribas, quoniam id totum quod ſumus, tibi ſcias eſſe deuotum. Dominus det tibi gratiam, teque in ipſa conſeruare dignetur. Ex Senis 14. Iulij 1443.

N O T Æ.

Nota I.

Ioanni Martino. Is erat locuples mercator, in Çypro, & alijs partibus Orientis negotium agens, & fratrem habuit Venetijs, dictum Aloyſium, qui illi correſpondebat. Depoſito verò ex officio Procuratoris Terræ Sanctæ irreligioſo illo quæſtore, contra quem Albertus dedit ad Cardinalem S. Angeli Epiſtolam, iam ſupra productam, ſubſtitutus eſt Ioannes Procurator, ſeu Syndicus Apoſtolicus, ad quem Franciſcanæ regulæ conuenientius pertinet

eleemosynas pecuniarias, ad Apostolicæ Sedis dispositionem transportare, seruare, & in fratrum necessitates, per superiores ipsi exponendas, expendere, & omnia eorum negotia, quæ per ipsos fratres tractari minus expedit, tanquam per sæcularem, & Sedis Apostolicæ Ministrum deputatum tractari, & expediri. Propterea illa eleemosyna, de qua hic agitur, ad ipsum missa fuit, vt litrum pro fratrum captiuorum redemptione congruum, ex pacto solueret, & fratribus ipsis, in Europam redituris, necessaria prouideret. Vt enim reliqui omnes, & singuli Conuentus subiecti nostro Ministro Generali habent suum Syndicum Apostolicum, seu Procuratorem sæcularem, ad vsus iam dictos; sic ex illo tempore Alberti, quo loca Terræ Sanctæ obseruantum regimini commissa sunt, illi fratres constituti in Prouincijs Christianorum ad colligendas eleemosynas pro Terra Sancta, & vocati Commissarij Terræ Sanctæ, habent in singulis necessarijs & opportunis Ciuitatibus, & partibus, suos Procuratores, seu Syndicos Apostolicos singulares, qui eiusmodi eleemosynas accipiunt, seruant, & exponunt, provt superioribus Terræ Sanctæ necessarium videtur: nec in alios vsus, quam vtilitatem Terræ Sanctæ, & Ministrorum eius, necessarias expensas, absque speciali facultate Sedis Apostolicæ conuerti possunt.

Nota II.

Die nona Iunij. Hic disertè affirmat B. Albertus Capitulum Generale 1443. celebratum fuisse die nona Iunij, & positis ritè calculis deprehendi id veritati planè consonare: etenim facto computu secundum stylum veterem, & ante Breuiarij correctionem, inuenio literam Dominicalem illius anni fuisse F. aureum numerum 19. & quæ correspondet, Epactam 29. è quibus constat iuxta tabulam tam nouam quam antiquam Breuiarij, festum Ascensionis incidisse eo anno in 30. Maij, Pentecostes verò in 9. Iunij: quod huic assertioni Alberti apprimè quadrat, cum Capitula nostra, etiam ex Regula, in Pentecoste celebrentur, & hoc in Pentecoste celebratum constet ex principio tertiæ orationis B. Alberti, quam dedimus supra pagin. 149. & in prima ad eam nota, pag. 156. animaduersum fuit. Suffragatur Marianus Florentinus lib. 5. capit. 17. fol. 85. vbi ait celebratum (quod interpretor cœptum, seu apertum, prout etiam hodie fit) in festo Ascensionis vltima Maij, penultima melius dixisset, cum fuerit 30. non 31. & Patres in eo permansisse vsque post festum Trinitatis, dein Senas concessisse, eum circiter 20 dies in Capitulo fuissent: solum obstare videtur dictum not. 1. pag. 156. orationem citatam Alberti 8. Maij habitam. Sed cum ex ipsa oratione constet in Capitulo & vigilia Pentecostes recitatam, & ex supputatione annorum constet Pentecosten in 9. Iunij eo anno incidisse, & hic liquidò ipse Albertus Capituli Præses 9. Iunij celebratum asserat, corrigendus est codex ille, qui Vvaddingo & notæ ansam deceptionis præbuit, & pro 8. Maij, 8. Iunij, in quem eo anno incidit vigilia Pentecostes, describendus.

Nota III.

Nisi Sathan superseminasset zizania. Dum hæc in historijs fusius lego, mihi sane repræsentant Capitulum illud, quod Deus celebrabat cum filijs Dei, ideſt cum Angelis suis, proculdubio de salute humani generis Iob. 1. 6. vbi adfuit etiam inter eos Sathan, postquam circuiuit terram, & perambulauit eam, nempe quærens, quem deuoret: adfuit autem, vt virum perfectissimum, quem reperit, cui non erat similis in Terra, nempe Iob, permissu Diuino, grauissima tentatione probaret. Celebrabat S. Franciscus Capitulum Assisij, vndecimo post institutam Religionem anno, in quo interfuerunt ex vniuersa Europa quinquies mille Religiosi, omnes ferè viri Sancti, & perfecti, vt de vlteriori Religionis profectu decernerent. Adfuit Sathan & in aduersa domo conuocatis dœmonibus, cum illis multa decreuit, quibus possent tanta incrementa Sanctimoniæ vel impedire, vel planè destruere; quæ omnia Seraphico Patri Diuinitùs reuelata fuerunt. Quid ni etiam

etiam nunc (dum Eugenius Pontifex cupiebat in hoc Capitulo Paduano eandem Religionem vſque ad extremas Chinas ſuo tempore dilatatam, ſed hominum fragilitate, ac diuturnitate temporis, Dęmonumque fraude relaxatam, ad primam regularis obſeruantiæ puritatem reducere) ſeſe miſceret Sathan: qui in Sanctiores res, & perſonas, maiores conatus & vires exercere ſolet, quam in eos, quos oppignoratos habet, vel in periculo magis conſtitutos: ſed quid tum? non aliter ſanè, quam Sancto Iob, accidit ſectatoribus ſincerioris obſeruantiæ vitæ & regulæ S. Franciſci: ſicut enim ille ſubſtantiæ facultates, & filios in calamitate perditos, meliores recuperauit; ſic iſti adeò numero & virtute creuerunt, vt reliquos ferè omnes religioſos ordines, hominum & cœnobiorum numero ſuperent, nec vlli ſapientia, vel Sanctitate cedant: Quo Dęmonis artes, ab exordio mundi, in proprium ipſius caput recidunt, & in quo ligno vincere ſe poſſe putat, in eodem ſemper vincitur, & per Crucifixi gratiam proſtratus, triumphatuſque iacet: Promiſit enim ab initio Chriſtus S. Franciſco, quandocumque deeſſent boni fratres, illius inſtituti zelatores, ſe illos naſci facturum, & quo amplius numero creſcerent, ſe amplius eorum neceſſitatibus prouiſurum, quod hactenus palpabilis experientia probauit, & vſque ad finem ſeruaturum credimus, oramus, & ſperamus.

Nota IV.

Vtinam non inconſonam veritati. Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius Eccleſ. 7. 3. Vidit B. Albertus iniquitatem, & contradictionem in Italia ab æmulis aduerſus ſe & inſtituti ſui religioſiſſimos profeſſores; & ipſa bona quæ faciebant, non euadere calumnias hominum, à quibus Rex Dauid, homo ſecundum cor Dei, orabat ſe liberari: ſolent enim homines mali, cum vitia ſua negare non poſſunt, ea ſaltem alienæ famæ detractione, tanquam interpoſito fumo, confundere, & vel excuſare, vel minuere. Optat proinde Seruus Dei, ne in Orientem tranſirent. Et inſontes interim, tam ſe quam alios, in Italia tuebatur. Liceat enim, quibus placet, priuatis hominibus famæ ſuæ negligentes eſſe, quod an his etiam liceat, relinquo Theologis diſputandum; certè publicis perſonis, & quibus populos docendi, & à vitijs deterrendi magiſterium incumbit, non licet: ne detracta ipſis virtutis opinione, vileſcat doctrina. Turpe enim eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. Hinc Epiſtola illa longa ad Poggium, cum ſocia ad. Nicolum, quibus & Poggium ipſum redarguit, & Religionem veris, digniſque encomijs laudat; & altera breuior ad eundem, aliæque duæ ad Ariminenſem, & Coronenſem, quibus actiones ſuas, vt ſuperioris, contra diſcolorum ſubditorum obloquia iuſtificat. Hinc in hac ipſa Epiſtola, & alibi ſæpius ſe ipſum ab ambitionis calumnia liberat, quam, quod id vitij in alijs reprimeret, patiebatur; cui potius credendum eſt, quam illis, qui diſciplinam, & bonitatem vano quandoque ſcientiæ fumo abijciebant: aut dicemus doctiſſimum, Sanctiſſimumque virum adeò imprudentem, & impudentem fuiſſe, vt Eugenio Pontifici, tanquam ſtimulum ei in officio exequendo patrocinandi proponeret, ipſum Pontificem fuiſſe authorem illud imponendi? nam cum propriæ ſuæ, & proprij, vt aiunt, morus actiones Pontificem latere non poſſent, qua fronte ille Pontificis voluntati ad ipſum ſcribendo imponeret, quod propria ſua ambitione procuraſſet, ſi non eiuſdem indignationem ob tam temerarium auſum & hoc ſaltem reſponſum habiturus: tu id officij voluiſti, nos non coegimus, exerce vt poteris: ſed opportunum eſt, etiam exteros eius humilitati, & contemptui dignitatis teſtimonia ſua contuliſſe, inter alia quæ vitæ ipſius hiſtoriæ ſubiunximus. Ex noſtris verò Marianus Florentinus, candidus, & ſincerus eiuſdem æui Chronographus, narratis quæ acta fuerunt, aduerſus Seruos Dei; quos hodie Cœlicolas colit Eccleſia, hæc ipſa verba ſubiungit: *Omnibus rumoribus tandem ſedatis, Fr. Albertus ordinis Vicarius, omnes fratres ad Capitulum conuocauit, & ad pacem, & bo-*

nam

nam concordiam eos exhortatus est: & quod liberè ad alterius electionem procederent, dixit. Nec in vllo indignationem Domini Papæ timerent, certos eos faciens, quia ipse eum sedaret. Quod postea simul cum S. Bernardino coram Senis fecit. Vide Vvaddingum tom. 5. an. 1443. num. 3. & 4.

Nota V.

Aurei superfuere quingenti. Adeo serius, feruens, & solicitus erat Eugenius Pontifex, vt ista Comitia ad Sanctissimum finem sibi præstitutum suffragantium numero, & omnium rerum copia abundarent, maximèque florerent, vt necessatijs sumptibus, multis modis prouiderit, quos hic describere vt minùs necessarium, sic longum foret. Inde fuit vt bis mille Religiosis à Mense Maij ad 17. Iunij honestè sustentatis tot aurei superfuerint. Quos prouidus, & fidelis Albertus Pontifici manifestauit, orans & perorans, vt in captiuorum apud Turcas Fratrum redemptionem conuerterentur: quamquam prius decreuisset Eugenius, quæ Comitiorum sumptibus superessent, in Ecclesiæ Sancti Antonij fabricam insumi, sed maluit Albertus, approbante Pontifice, saluare animas, quam ornare muros: ad quem finem S. Ambrosius etiam Sacros Calices, & reliquam Sacrificij supellectilem conflari suadet.

EPISTOLA XCII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Ab alijs rogatus, commendat Pontifici reformationem Conuentus Ferrariensis B. Dominici, & Ciuitatem Assisij in aliquo periculo constitutam, & confratres suos apud infideles.

ALbertus ille Ferrariensis (1) cognomento Dulcettus, B.P. me quidem, & primùm, cum præsens essem, & post absentem, frequentibus literis me itidem stimulat, vt instem vehementius apud beatitudinem tuam, quo Conuentus ille B. Dominici Ferrariensis Ciuitatis ad regularem obseruantiam redigatur. Spopondi præterea cuidam roganti, vt ciuitatem Assisium, nescio quo in periculo constitutam, tuæ Sanctitati facerem commendatam, quod equidem non inuito animo exequor, cum sit ea ciuitas cunctis Minoribus pro exhibitione tanti parentis, quantus est nobis B. Franciscus, & pia parens, & vera, diligens, solicitaque alumna.

Postremo loco clementiam tuæ Sanctitatis (2) exoro, vt fratres illos ex nostro ordine à tua Sanctitate, ad grandia fidei negotia missos, sed certa Teuchrorum captiuitate interceptos, & interceptione ipsa captiuos, beatitudo tua non æstimet relinquendos. Venit autem mihi in mentem, Petrum illum qui pridem profecturus erat in Græciam, pro illorum salute, qui iam diu fidei nostræ suspirent, plusquam dici à me possit, futurum idoneum ad fratres prædictos è manibus

nibus

nibus Teuchrorum eripiendos, cum & linguam illorum infidelium probè calleat, & in eiſdem Prouincijs habeat parentes captiuos. Tantum illi adſit idonea facultas pecuniarum, quas nec multas oportere eſſe exiſtimo, cum magis ingenio, & aſtu quodam Diuinæ prudentiæ, quam magno ære captiuos illos arbitrer liberandos. Dominus te tueatur Omnipotens B. P. Ex Venetijs 24. Octobris 1443.

N O T AE.

Nota I.

Albertus ille Ferrarienſis. Ex his inter alia multa apparet quanta æſtimatione, & familiaritate apud Eugenium Pont. valeret B. Albertus, qui non ſua tantum, vel ſui ordinis, ſed exterorum etiam negotia, per familiares literas illi commendet. Vide, ſi libet, quæ de Alberto Dulcetto, ad Leonellum Eſtenſem ſcripſit Albertus noſter Ep.67.

Nota II.

Poſtremo loco clementiam tuæ Sanctitatis. Quæ huius Epiſtolæ reliqua ſunt, cum præcedente minimè conuenire ſuſpicari quiſquam poſſet. Nam cum illa doceat Pontificem menſe Iulij fratrum redemptionem decreuiſſe, pecuniam Venetias miſſam fuiſſe, Epiſtolam denique ipſam omnia hæc narrantem, & ſupponentem iam facta, ac diſpoſita omnia, quæ ad Pontificem & pecuniam pertinerent, quomodo hæc Epiſtola die 24. ſequentis Octobris ſignata de hac fratrum redemptione, tanquam de re non ante cum Pontifice communicata, abſque vlla mentione tractatus, vel decreti Pontificij Senenſis, vel Ioannis de Moroſtica, vel pecuniæ per eum Venetias miſſæ, vel cura redemptionis commiſſæ Ioanni Martino, rogat vt Pontifex fratres illos, in ipſius obſequio captos non cenſeat relinquendos, pecuniam petit, & parum ſufficere docet, hominemque nouum, neſcio quem Petrum proponit, tacitis Ioanne, & Aloyſio fratribus Martini? an quod quingenti aurei, iam miſſi non ſufficerent? an quod fortaſſis perditi aliquo caſu fuerint? vel quæ alia cauſa? ſed ille nullam profert: itaque totam hanc confuſionem ex vnico apice natam exiſtimo, & pro MCCCCXLIII. quem huic Epiſtolæ in codice ſubſcriptum inuenio, debuiſſe amanuenſem ſcribere XLII. Cenſeo enim hanc Epiſtolam fuiſſe 24. præcedentis Octob. an. 1442. In quam ſententiam me vlterius impellit, quod non poſſim mihi perſuadere B. Albertum, relictis in captiuitate ſocijs, cum Iacobitis ad Concilium ex Oriente reuerſum, anno 1442. inter tot occaſiones loquendi & ſcribendi Pontifici, neglexiſſe hanc cauſam redemptionis captiuorum ſociorum; ac proinde reor ipſum poſt reditum hanc rem oretenus commendaſſe Pontifici: deinde cum anno 1442. Iacobitas, concluſa vnione, Venetias ad portum reduxiſſet, inueniſſe ibi eum Petrum, cuius hic mentionem facit, & ex ea occaſione, has literas ad Pontificem dediſſe. Cum autem nec ſic rem decerni vidiſſet; menſe Iulij huius anni 1443. ea cum Pontifice tractaſſe, quæ in præcedenti Epiſtola ad Ioannem Martinum ſcribit, per quæ tandem fratres redempti fuerunt, & in Italiam non exiguo Pontificis gaudio reducti. Accedit etiam ſequentem Epiſtolam eodem die 24. Octobris anno 1443. ad Eugenium ſcriptam fuiſſe, nec enim facilè inducor, vt credam Albertum noſtrum, quantumuis Pontifici familiarem, duabus literulis eodem die eiuſdem menſis & anni ipſum moleſtare voluiſſe, cum vtriuſque negotia vna Epiſtola non nimis prolixa comprehendere poſſet.

EPISTOLA XCIII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Inaudiuit B. Albertus aliquos apud Pontificem inſtare, vt ordinis priuilegia in literis Apoſtolicis, quæ Mare magnum vulgo vocantur, contenta aboleret. Scribit ergo orans, & exhortans, ne Eugenius id faciat.

P*Erlatum eſt ad me* (1) B.P. quoſdam apud Beatitudinem tuam vehementer inſtare, vt literas Apoſtolicas, quas iam vulgato nomine *Mare magnum* appellamus, prorſus ab ordine noſtro Sanctitas tua aboleat: Quæ res ſi admittatur, nihil dico de verecundia, damnum certè permaximum, & libertati, & vtilitati noſtræ Religionis eſt allatura: non enim deſunt etiam in ordine Sacerdotum inuidi, & fraternam pacem immaniore odio inſectantes, qui ſi nihil aliud queunt efficere, alienæ quietis ſuauitatem, inſaniſſimæ contentionis ſtudio, perturbare conentur. Quam moleſtiam, ſi quis etiam modeſtè propellat, fit in ſæculi hominibus ſcandalum, cum perſpiciunt ex alterutra reſiſtentia contentionem inter dicatos cultibus Sanctioribus, hoc eſt Chriſti ſeruitio, perniciosa ſimultate conflari, in quo genere mali is gradus eſt amplior, quod apud quos vigeat iuſtior cauſa minimè decernentes, vtroſque infament, & innocentes cum ſontibus inuoluentes, ipſi pro nocentibus & cum nocentibus pereant. Scit tua Sanctitas Beatiſſime Pater, Religionem noſtram inter reliquas in obſequium Sacerdotum fuiſſe à Domino deſtinatam, cui cum nullus ſæpe à Sacerdotibus præbeatur, etiam in cauſis Sacerdotalibus, fauor (quæ verò vlla eſt Sacerdotum cauſa potior quam animarum cura & ſalus) reſtat profectò vt tua Sanctitas, quæ Princeps eſt omnium Sacerdotum, coadiutoribus Miniſterij veſtri, hoc eſt nobis, liberè tribuat, ac etiam tributa tueatur Apoſtolicæ authoritatis ſolatia, quæ plerique qui ea dare debuiſſent, vel habenda præpediunt, vel habita perſequuntur. Dominus te tueatur Omnipotens B. P. Ex Venetijs XXIV. Octobris 1443.

NOTA.

Perlatum eſt ad me. Antiqua eſt hæc Regularium querela, aduerſus importunas quorundam Sacerdotum vexationes; ſed quanta pro tuendis Regularibus fuerit Romanorum Pontificum conſtantia, ſi vno quodammodo intuitu videre cupias, præter authores qui de Regularium priuilegijs ex profeſſo ſcribunt,

bunt, vide Indicem noſtræ Annalium Minorum Epitomes, verbo *Priuilegia*: & Vvaddingum locis ibi citatis. Et pro recentioribus, etiam poſt Concilium Trident. vtiliter videndus eſt Petrus Marcantius in indice libri, quem inſcripſit: Fundamenta duodecim ordinis Fratrum Minorum.

EPISTOLA XCIV.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Commendat Pontifici Miniſtrum Prouincialem Tuſciæ.

BEatitudinem tuam, & oro, & obſecro, vt tua Sãctitas Miniſtrum Tuſciæ habeat commendatum, qui præter cætera, quæ rectè ac prudenter geſſit, tuæ Sanctitati ad votum quotidie frequentibus ad me literis pollicetur, ſe omnibus quæ pro ſalute Religionis agenda ſint; maiore ſemper ſtudio facturum: cuius Sancti inſtituti promptiſſimum, ac paratiſſimum animum non arbitror à quoquam, qui integrè ſapiat, aſpernandum. Nam ſi adeſt omnibus in noſtra Religione, pro communi obſeruantia, ea mens, ea cura, atque ſententia, quam hic Miniſter de ſe ſpondet, & veraciter iam pridem exhibuit, fieret fortaſſe, vt vetuſta hæc noſtra, ne dicam collapſa, Religio, rediuiua quadam nouelli germinis venuſtate, imo verno tanquam tempore, infloreſceret. Dominus te tueatur Omnipotens B. P. ex Pad. 7. Aprilis 1444.

N O T A.

Miniſtrum Tuſciæ. Obſeruantum eo tempore Præfecti Prouinciales, non Miniſtri, ſed Vicarij dicebantur. Commendat ergo Miniſtrum Prouincialem Conuentualium, à ſtudio, & affectu erga Sodalitium Regularis obſeruantiæ, quo nomine ſciebat eum Eugenio Pontifici gratiſſimum fore, qui nihil in hoc genere vehementius cupiebat, quam vt Franciſcani omnes Franciſcum ipſum, ac Sanctiſſimos eius ſocios, eadem Regulæ profeſſione & obſeruantia ſectarentur: exiſtimo hunc ipſum Tuſciæ Miniſtrum, qui, cum Eugenij authoritate præſideret Comitijs Prouincialibus Prouinciæ Sancti Antonij, curauit vt Albertus communi Patrum ſuffragio eiuſdem Prouinciæ Miniſter electus fuiſſet, vt innuere videtur Albertus, ſupra Epiſt. 74. ad Iacobum Primadicium. Erat autem ille Fr. Scolarius à Monte Ilcino, quem ſimul cum Alberto, tunc Vicario Generali ordinis, Eugenius Pontifex inſtituit executorem literarum Apoſtolicarum, quas ipſe aduerſus ambitioſam, & pernicioſam perpetuitatem officiorum ordinis, motu proprio, & ex certa ſcientia edidit Senis anno 1443. 4. Id. Maij, in quibus ita loquitur apud Vvaddingum in regeſto Pontificio tom. 5. Annalium numero CCXXII. *Et nihilominus di-*

lectis filijs Alberto de Sarthiano Generali Vicario ordinis Minorum huiusmodi, & Scolario de Monte Ilcino Prouinciæ Tusciæ Ministro dicti Ordinis professoribus per Apostolica scripta mandamus.

EPISTOLA XCV.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Alberto Brixiæ prædicante multæ virgines, & viduæ, religiosæ vitæ desiderium conceperunt, pro quibus vt Monasterium S. Claræ erigi possit, Ciues per Nuncium ab Eugenio Pontifice petunt; & cum eis etiam ipse Albertus datis literis, quas hic exhibemus, in quibus etiam amplissimi Hospitalis erigendi mentio est.

LAnguor diuturnus B. P. qui me toto & integro superiore anno afflixit, fuit in causa, cur non potuerim ad S. T. aliquid scribere, quando mihi vix pro valetudine viuere licuit. Nunc verò, Christo propitio, reparatis viribus, prima Ciuitas Brixiensis fuit, cui Sancta Christi semina, solito munere dicendi, præbuimus. Offendi sanè homines lenitate mirabili cereos, qui mihi antea de duritia cordis veluti ferrei fuerant incusati. In reliquis autem fructibus, quos pro mundi contemptu, & pro amore Christi, castimoniæ arua tulerunt, sexagesimus, & centesimus fuerunt imprimis: nam & viduarum, & virginum non despicabilis numerus Sancto amore continentiæ exarserunt, petentes à me instantius, vt apud Sanctitatem tuam diligentius agerem de Monasterio S. Claræ in Ciuitate Brixia construendo, vel iam constructo recipiendo, si quis locus idoneus in Vrbe reperiretur, de quo possit communitas, & concilium Ciuitatis, sine iniuria cuiuscumque statuere: sicut iam in multis Italiæ ciuitatibus, tua, idest Apostolica authoritate factum videmus, in quibus virginum flores, antiquam illam Sacratæ continentiæ gloriam referentes, rediuiua lætitia supernæ viriditatis & vernant, & redolent, cum pro Christo perseuerantes, quod natæ sunt, Angelas, vt ita dicam, se præbent in terris, de quibus, imò verò quas omnes, Christus accipiens Sponsas, omnes itidem transferat ad cœleste connubium. Hoc ipsum autem, de quo scribo, flagitant Brixienses, misso ad te celeriter, vt aiunt, nouello nuntio, qui etiam S. T. *super amplissimo Hospitali conficiendo* (1) exoret. Quibus vt de clementia tantæ Sedis postulata suffragia tribuas, supplices ego, & illi oramus, & obsecramus B. T. qui te frequenter facilem longè minoribus præbuisti, quam sit illa clarissima Ciuitas. Deus te tueatur Omnipotens B. P. Ex Brixia, die S. Martini Episcopi 1444.

NO-

N O T A.

Super ampliſſimo Hoſpitali conficiendo. Quem effectum iſta, & aliæ poſteriores Alberti Epiſtolæ, anni 1446 de Clariſſarum Monaſterio erigendo, apud Pontificem obtinuerint, præter alia, quæ apud Vvaddingum legenda notauimus, docet in Hiſtoria Brixiana Helias Capriolus à Patricio Spineo Italicè edita, de Hoſpitali quidem ſic. *Quo tempore cum Ciues noſtri magno Hoſpitali conſtruendo inſtarent, Petrus Montius Brixienſis Epiſcopus primum eius lapidam die 26. Martij, ſolito ritu, iecit, ſub titulo S. Spiritus*. De Monaſterio verò ſic: *Iiſdem ipſis temporibus* Petrus Montius Epiſcopus noſter, & Albertus Sarthianas ordinis Minorum, & Apoſtolieæ Sedis delegatus, nouum Monaſterium S. Claræ, iuxta ædem S. Chriſtophori Ciuitate poſtulante religioſiſſimis virginibus conſignarunt.

Lib. 11. pag. 170. & 171.

EPISTOLA XCVI.

THOMASIO BIBIO CYPRIO.

ARGVMENTVM.

Cypri Rex Ianus, à Mamaluchis Saracenis in prælio victus, & captiuus ad Aegypti ſeu Babiloniæ Sultanum ductus, annuali perpetuo tributo Saracenis pendendo redemptus eſt. Hinc illæ Regni calamitates, quas Albertus in hac Epiſtola, Spondanus in Annalibus anno 1426. *num.* 3. *& ſeqq. aliique illius temporis hiſtorici referunt. Eas vt effugeret Bibius cum familia in Italiam euaſit, ſcripſitque Alberto hæc omnia, & negotium aliquod ſuum illi commendauit. Reſpondet Albertus dolere ſe Regis, Regni, & populi calamitates, gaudere autem Thomaſium cum ſuis euaſiſſe, ſeque commendatum ab eo negotium amicè, prout opportunitas ferret, curaturum.*

Literæ tuæ, mi Thomaſi dulciſſime, prorſus non opinanti, mihi ante hoc triduum redditæ, magna me & voluptate & moleſtia affecerunt: quorum alterum iucundus mihi tuus ad nos aduentus effecit, alterum dolor pro pendula ſalute eorum, qui remanſerunt, quibus præter reliquas omnes calamitates, prout more hoſtili victoribus ſolet licere quodlibet, quotidie Barbarici hoſtis truculentiſſimus gladius ceruicibus imminet, acriter in eos ac celeriter ſæuiturus. Aduerſum enim illos, ſi non me fallit ſuſpicio, omnis miſeria parua eſt, qua ſolet ignibus odiorum accenſa crudelitas infidelium, in homines pios, ac fideles, impietate immaniſſima, proſilire: non damna modo inferendæ temporariæ cladis, vt ſe habet populatio, exilium, ſeruitus, flagella,

fames, & carceres, ac reliqua id genus, sed quod luctuosius est, ad prostituendam pudicitiam matronarum, immò verò inusitata rerum facie, ad perdendam omninò & vitæ, & fidei, & Christiani nominis claritatem, dignitatem, sublimitatem; nisi, miserante Domino, liberentur.

Inter hæc verò gaudeo mirum in modum, ac Deo nostro, lectis literis tuis, gratias egi, quod tute tandem aliquando, ex tam horrenda voragine crudelium periculorum beneficio Diuino præreptus sis. Indoleo tamen Regi illi amicissimo nobis, &, vt arbitror, vtinam non Dei, certè rectorum hominum, quantum mihi videtur, honesto & necessario præsidio destituto; Tœdet me miserrimi populi, piget & subiectæ patriæ: acriter fero desperationem tuendæ Prouinciæ tuæ, te tamen feliciorem puto, qui in Italia nostra, cum familiola tua, integra salute, pane tuto vescaris, quam si apud Cyprios, maxima cum iactura status, libertatis, vitæ, ac postremo animæ salutis, interim opum ac deliciarum vbertate affluetes. Negotium, de quo scribis, præ me gero, curaboque diligenter perficiendæ rei, cum se tempus idoneum dabit. Nosti enim credo, hominis ingenium, qui non admittat, nec homines, nec causas, licet grandes, si non animus eius, & Cœlum, & dies, & hora, & orbis, vt ita dixerim, valde suaptè tulerint. Vale ac mihi semper rescribe. Mitto ad te hunc nuntium, quo tibi cuncta certius perferantur. Ex Mediolano 3. Idus Febr. 1445.

EPISTOLA XCVII.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Monasterij Mediolanensis de Vedano, vt vocabant, de quo in hac Epistola agitur, historiam duobus locis tractat Vuaddingus: primò tom. 3. ad annum 1341. *n.* 8. *vbi fundatum refert sub regula S. Augustini, & alia quædam ex relatione Francisci Gonzagæ; secundo verò loco tom.* 5. *ad annum* 1448. *n.* 42. *vbi refert, quod ex quinquaginta quinque incolis Augustinianis, quadraginta duæ se dederint Ordini S. Claræ, ac tredecim tantummodo voluerunt in pristino instituto Regulæ S. Augustini permanere. Insolens, & inconueniens erat Moniales non vnius vitæ, & moris, in vna domo cohabitare, durumque videbatur alterutri parti ex eo loco migrare, in quo vitam longo tempore vixerit. Atque hoc est, quod in hac Epistola Albertus petit à Pontifice, vt scilicet neutra pars amoueatur, sed vt Monasterij ædificia, alioquin satis ampla, ducto per medium muro, in duo Monasteria diuideret, quarum alterum Augustinianis, alterum Clarissis cederet: & obtinuit eo modo quo narrat Vuaddingus secundo loco superiùs citato, vbi Clarissarum deinceps numeri, & Sanctimoniæ incrementa prosequitur.*

Post-

POſtquam ab ægrotatione vnius anni conualui, ſcripſi primum ex Brixia S. T. nunc prouocatus, & ſcandalo populi huius, & mœſtitudine Sanctarum Chriſti Sponſarum, quæ Sanctimoniales de Vedano vocantur, quæque me ſæpe rogarunt, vt ad Sanctitatem tuam aliquid ſcriberem, quantum mea mediocritas valet, commendo eas S.T. Summa autem rogationis earum ea præcipuè eſt, vt diuiſo ſenſibili quodam muro Monaſterij earum, quod amplum eſſe dicunt, pars vna alijs, quæ Sanctam Claram habere cupiunt, pars altera Monaſterij alijs, quæ Sanctum Auguſtinum profitentur, authoritate Apoſtolica conſignetur, quarum, vt dicunt, partium vtraque poterit in dies terminos ſuos, latius creſcendo, porrigere: nam quæcumque è Monaſterio emittatur, parte altera remanente ſe læſam putabit, tum famæ iniuria, tum ſumptuum magnorum damno, qui in ædificando Monaſterio expoſiti ſunt, tum denique penuria expenſarum, ſi quod aut nouum Monaſterium ædificare, aut vetus inſtaurare contigerit. Agat ſapientia Apoſtolici pectoris, quod & veritas, & pietas, & charitas Chriſtiana ſuggeſſerit: nonnulla ſcripſi Dominis Arſenio, & Matthæo Cubicularijs S. T. quæ ad S. T. per illos fideliter referentur, ne S. T. diutius loquendo moleſtijs onerarem. Ad Sanctorum pedum me mente ſubijcio humiliter oſculanda veſtigia. Ex Mediolano 8. Aprilis 1445.

EPISTOLA XCVIII.

THOMASIO BIBIO CYPRIO.

ARGVMENTVM.

Author titulum huic Epiſtolæ inſcripſit: De conditione amicitiæ, & de malitia inuidentiæ: At de his diſſerere, etſi in Epiſtola fiat, non eſt tamen præſtitutus eam ſcribendi finis: ſed cum non expediebat Alberto perſonas aut res detegere (vt diſerte profitetur) per quas ſtabat, quominus negotium à Bibio ipſi commendatum vix, aut ne vix quidem efficere potuerit; voluit hac circumlocutione ſignificare, quid eſſet impedimenti, ſolarique amicum, cuius non ſolius, ſed totius & generis, & temporis infelicitas eſſet, ſeu potius felicior ſors bonorum omnium, quod à malis inuidiam patiantur; quam & ingratitudinem exemplis veterum, turpique characteriſmo deteſtatur.

NOn ſecus vllo pacto fieri poſſe apud amicos cenſeo, Thomaſi chariſſime, quam vt graui animi moleſtia illi quidem in aduerſis amicorum afficiantur, qui reuera, vt ipſius amicitiæ ratio poſtulat, veri profectò amici ſunt. Atq; id certè cum in omni cauſa inter eos accidere ſoleat, tum verò ac maximè, quando bona quæque ſibi inuicem

exop-

exoptantes, ea per se se, neque pro alterutro queunt efficere, neque vt per alios efficiantur elaborare, sine fructu desudent. Verum ille omnium molestiarum locus est grauior, ille intra ipsa præcordia affligat acerbius, excruciat durius, non si qui amici reperiantur ingrati; id quod sæpe accidere solet, sed si ij qui amici ab amicis ipsis putantur (tanquam neglecta opera, vt non dicam non dedicata) non diligere eos, quos vel maximè amant. Frequenter fateor inter mortales reperiri contingit, vt in hominum perditorum fallacibus amicitijs plerique ingrati sint, non modo ad beneficia referenda, verum etiam ad maleficia pro beneficijs rependenda. Quo hominum genere adeò, mea sententia, nihil tetrius est, vt eos cane ipso immaniores existimem.

Sed ingenuus in amicitijs animus in ademptis ab ingrato, aut non redditis beneficijs, pro magnanimitate non gemit, pro virtute verò sibi sat est, nec expetit mercenariam repensionem, qui gratis amat. Cum autem illi maleficia referuntur, discit ipse imprimis quidem vt cum amico, id quod postremum aduersus beneficentiam est, non agat ingratus, quin potius, si homo is esset ingenti quidem gloria clarus, ac merito munere ornatus, veluti magna quadam virtute insignis haberi solet: si verò Christianus fuerit, fortiore patientia coronabitur, atque eo vberius, quo indigniore exagitatus facinore, grauiore fuerit iniuria lacessitus. Nihil est enim externis in rebus scelestius, & quod amicitiam magis diuellat, quam ingratam maleficentiam experiri: eum contra videamus quotidie feras belluas per illecebras beneficiorum, deposita immanitate, conciliari. At verò illud, supra quam dici potest, inter amicos amarissimum est: si quis credatur vel nolle pro re amici amplius fatigari, cum ne morte quidem, ne dum labore vllo, vera amicitia terminos habeat, amicis enim etiam post mortem plura debemus, quibus nos religio facit obstrictos, vel quod est consequens, non amare amicus ab amico animo ipso etiam paululum ambigatur; is maximè, qui sæpe probatus sit.

Itaque, id quod iterum ac sæpius libens repeto, illud est in amicitia vltimum scelus, si non dico quantolibet in rem amici amicus incumbens, laborem omnem tentati pro illo negotij frequenter amittat; sed si vehementer amans amicus, aut minus, aut nihil amare existimetur; tum præsertim, cum idem ipse, qui amicus habetur, iudicio sit electus à nobis, cumque eos rerum nostrarum, consiliorum, voluntatum vicissim facta communitas probatos effecerit; cum postremo fraude nos vlla nunquam deceperint. Quo casu qui amicum, aut deponit, aut abijcit, exhorret, fugit, contemnit, virum profectò exuit, feram vestit. In reliquis enim incommodis omnibus (si non ipsa opinio nostra atteritur, si non vita negatur, quod ipsum perrarò non accidit) res saltem familiares certò læduntur, quibus inter amicos sæpe, & acquirenda commoda comparantur, & quæ sunt parta conseruantur. At hic homo, qui tanti est, ipse offenditur. Ibi fauor, hic natura parens omnium violatur. Ibi virtus perditur, hic amor amittitur, incestatur, & perit, sine quo, vt amicitia vera, ita quoque virtus vlla esse non potest. Nam inter ingratum amicum, & offensum itidem amicum,

cum, ipsum atque amorem maximo interstitio summa distantia est, & omni inter se ratione, testibus etiam maioribus, plurimum differunt.

Verùm quis horum duorum, læsum dico, ac lædentem, suis gradibus alteri miseria, infelicitateque præstet, inimicus ne malitia (sic enim appellandus est amicus ingratus) an amicus beneuolentia, non facile dixerim. Nimium enim & iste offenditur, & ille offendit. Quæ cum ita sint, Thomasi charissime, velim penitus tibi persuadeas, nunquam me taciturum fuisse, quominus ad te & literas & nuncios destinassem, si in spem vllam aliquando venissem conficiendi illius, apud quos cupis, tam tibi necessarij, & honesti & vtilis, quam ardentissimi voti tui. Quod cum per nostrum ministerium ad diem istum, quo volebas, duci nequiuerit, hæc imprimis causa fuit, cur ad te nihil scripserim, ne vlla molestia te afficerem, qui erectum animum tuum fortè putares, tanquam spe fracta, à magno illo tuo, vel desiderio, vel proposito concidisse. Cumque hanc meam cauti amoris laudandam, nisi fallor, moderationem, ac modestiam, tu eo traieceris, vt te queraris à me non diligi, & tanquam errato quopiam tuo aliquid commerueris, te quoque aduenam, vt dicis, & peregrinum patriæ tuæ, à me malo tuo destitui, in quem spem omnem tui patrocinij magna fiducia collocaueras. Fateor tibi simpliciter, mi Thomasi, perinde me perculerunt huiusce opinionis literæ tuæ, ac si telo, & forti, & insperato quisquam grauiter appetatur.

Ego tibi certè honesta omnia prosperè cedere ac fauorabiliter prouenire percupio, vtque ea finem, quem optas, sortiantur, diligentius elaboro, sed nihil ago: impedimenti autem causas, ac multo magis personas, mandare literis honestum non puto, cum ne in aure quidem sapiens aliquis eas ad purum dicendas forsitan arbitretur. Vereor tamen, ne perditissima illa inuidia, pestis quidem communis optimorum omnium, atq; omnis præstantiæ, tibi æmula est: quæ etsi nulli ornato homini, sibi tamen ipsi, iudicio veterum imprimis grauis iactura est: nam & Græcorum est vetus illa & probata sententia nihil emolumenti habere inuidiam nisi, vt in quo fortè inest, eum digno supplicio pro scelere peccantis excruciet, quandoquidem ea labe, & tabe, inuidia ipsa detestabilis est, quæ bonos quoslibet insectetur, quæ honestissima licet carpat, quæ aspernetur præcelsa, quæ Sancta quæque profanet. Cui virtus, supplicium est; & amor, tormentum, aliorumque, quamuis proximi illi sint, omne emolumentum, detrimentum sui crudelissima facit. *Vide Stobæum Sermon. 36.*

Illi quoque ab ipso orbe condito, vt vno verbo cuncta complectar, bona omnia inuisa fuisse, nemo nescit, qui sapit. Nam quæ neque Deum in Cœlo reuerita est, cui per Diabolum Diuinitatem inuidit, quid putas in terra factura est? *Inuidia enim Diaboli*, vt Sancta Scriptura testatur, *mors introiuit in orbem terrarum*, cui quidem morbo teterrimo, oro te, quid homini efficere erit satis, si mortem mundo infligere parum fuit? nihil certè hac efferata bellua truculentius, procacius, insolentius dici potest: quæ semper aduersus pulcherrimam charitatem, si nihil aliud nefandi sceleris admitteret, omnifaria vbique perditæ nequitiæ

pugna

pugna conflixit. Non illam Sancti Abel innocentia, recenti mundo, compescuit. Non Iacob pura simplicitas ab æmulatione fraterna deliniuit, non pudici Ioseph impuberem imbecillitatem miserata est, nec puberem etiam adultæ ætatis castimoniam admirata. Quippe quæ mitem lenitatem, & mansuetam misericordiam Dauid fidelis Saulina illa insania persecuta est.

Quid quod per inuidiam cæcatus, verè tunc non probus Ioab aduersus Regiam beneuolentiam, fortissimo Duci Abner, Principi militiæ domus Saul, Imperatoriam exercitus Dauid gloriam metuens, vitam quidem proditione nefaria illi præripuit, sed morte ipsa ei gloriam auxit quam confratri suo nequissima æmulatione cauebat. Sibi verò ac generi suo maledicto Regis coercitus, inopiæ, lepræ, fluxus, imbecillitatis, & gladij maculam, ac damna grauiora insuflit, nullo remedio expianda. Cusiensis quoque sapientiæ salutare consilium Achitophelis verè felleo consilio inuidia vindicauit. Danieli sapientissimo mortem molita est. Hębræos denique frequenter afflixit, vt ne pueris quidem, immo infantibus recens natis, aut sub Pharaonis imperio; aut sub Herodis tyrannide pepercisset, in quibus, quoad in ipsius Herodis hostili odio fuit, mundi Saluator in cunis extinctus est.

O monstrum inueteratum, quod, antiquissimo more ac veterno vsu, humanum animum nunquam saturatum depascit? quod semper esuriens, pręcordia deuorat, quod gaudia mœsta ostentat, risum enim non habet, sed fingit inuidia, nunquam ex animo ridens, nisi in aduersis forsitan prosperorum verba lęta extorquet, quæ ipsa læta non est, publicèque deprehensa, inuito animo hilarescit, sed interim secretius mœret. Canos intempestos adducit, senectam perniciter prouocat, mortem accelerat, cuius spiritus tristis, Salomonis testimonio, humana ossa, imò verò medullas inuidorum, exhausto vigore, & robore consumpto, desiccat, verbis grauida turget, aspecta tetra pallescit, parata ad detractionem, armata ad obiurgationem, prompta ad infamiam, ingrata ad conuersationem, fastidiosa ad se, onerosa ad omnes, desperata ad Deum, pacta ad Dæmones, venundata ad scelera, idonea ad tenebras inferorum.

Taceo vesana studia æmulationis Iudaicæ, quæ Dominicæ iam præpollentis ætatis præclariorem primum in finitimis Prouincijs famam, malè solicita, toto orbe obscurare sategit, ac præpotentis Dei filij, & gloriam operum, & vires factorum conterere, ac conficere est frustra conata, cum tamen plebs illa malefica, & inuidia venenata cęcissima, sese magis in dies quam Christum nolens & inuita affecerit, quandoquidem ipsius Christi miraculorum splendorem, in medijs populorum turbis ingrata contempsit. Quæ quidem ipsa, licet Diuina essent, eademque prægrandia, nihilominus illa ad Dęmones authores, quod extremæ non dementiæ, sed blasphemiæ est, nullo pudore, nulla venia retulit. Illa illa Iudæa prophana est, quæ Saluatori omnium, ob solam, quam detestamur, & obiurgamus, inuidiam, in Sacerdotibus summis religionem, authoritatem, potestatem; in Scribarum peritia eruditionis præstantiam, in senioribus populi iudicij claritatem;

tem; in ſimulatione Phariſęorum Sanctimoniæ veritatem, impacato animo, imo verò implacata feritate, & obſtinato furore, ſemper inuidit. Poſtremo in ipſo falſo ac per ſpeciem veritatis decepto populo, honorem maieſtatis abiecit, ſpreuit, negauit: ſimulque omnes Diuinitatem veram, in præſtantiſſimo ſplendore rerum geſtarum, pertinacius contempſerunt. Ac ne infinita tam rudis vetuſtatis, quam noui nitoris percurram, ea, etſi primum ſui mordax, nihil mali non fecit inuidia: ſemperque virtus, vt noſter Hieronymus ait, excelſa licet, in propatulo fortiſſimos æmulos habet.

Si hæc immanis bellua tantos læſit, cur te Thomaſi, aut putes immunem, aut queraris offenſum? quippe qui magis mirari debeas, ab ea peſte te quidem & parum læſum, &, quod verius eſt, nimis dilatum: ſed ſpreta magis inuidia, ad charitatem nos potius referamus. Sumus in dies hinc abituri, vt agri feracis, hoc eſt religioſi populi & piæ plebis Mediolanenſium Ciuitatis, Chriſto propitio, haud vacuis manipulis, expleta iam meſſe, ad exemplum Saluatoris, Ciuitates & Caſtella, Oppida atque ſubvrbana eius circumeamus, conſtituentes vel in ordine pœnitentium peccatores. In quo nos grandi munere (ſi nobis meliora atque altiora Dei munere prouentura non ſit) vtinam tandem aliquando defungi contingat, cuius Apoſtolici miniſterij alto faſtigio, ſi ſenſu, ſi ſpiritu, ſi conſtantia, ſi eruditione, ſi cœleſti, ne dicam humana, quæ parum ad ſalutem valet, eloquentia careamus, ſi denique, id quod maximè opus eſt, magna illa diſcretione ſpirituum, ſimus impares; bona tamen ſpe eſſe debemus, vnius ſalutem, multorum precibus facilè conſequendam: cuius quotidiano labore, in gloriam Chriſti, & in ædificationem corporis eius, quod eſt Eccleſia, multorum ſalus & optatur, & quæritur. Vale ex Mediolano 20. die Maij 1445.

EPISTOLA XCIX.

PAVLO LIGNANO MEDIOLANENSI.

ARGVMENTVM.

Excuſat ſe à petito officio, quod preuidiſſet interpellationem ſuam nocituram potius, quam profuturam negotio, ob rationes, quas in Epiſtola explicat.

CONſulta grauius ratione, Paule Fr. videor mihi potius obfuturus quam profuturus negotio Sanctarum Chriſti Sponſarum, ſi, quod petis, non vocatus ipſe me ingeram. Opinor enim eos, qui à noſtra ſententia longè diſſentiunt, à ſua non facile diſceſſuros, eo maximè, quod nos arbitrantur non eſſe ſuarum partium fautores, quo fit, vt illis ſuſpecti, neque authoritate, quam nullam habemus, neque

beneuolentia, aut fide, *quam in hac re nobis non habent* (1) eos superare possimus: si tamen *honestior vlla, ac verior causa* (2) me vobis asciscceret, & studia animositatis ac contentionis sinceritati ac veritati, vt par esset, concederent, Christo propitio, illa persuaderem non obstinatè sapientibus, qui si nihil aliud efficerent præter vtilitatem communis boni, & simultatis finem, in egregiam saltem quandam ac iucundam conciliationem fractæ iam diu beneuolentiæ, in redintegrationem alienorum animorum ab illis qui huic tam honestæ rei pertinacius aduersantur, magno cum honore maximè verentium contumeliam, laudemque accederent: verum cum nos Sancta Scriptura diligenter admoneat: *vbi non est auditus ne effundas sermonem*: & contra ictum fluminis frustra conari hominis est, qui velit *stultitiæ suæ quamplurimos domesticos facere* (3) Hæc cum affini tuo, Patre meo, ex laude vetusto Abbate, si ipse in præsentia possem conferre, qui, quod tu cupis, ipse quoque exoptat, & tum itidem, cum illo sponte forsitan in meam sententiam veniretis. Vale *ex Busto Arsitio agri insubrium die* 30. *Maij* 1445. (4) dum illic pro nostro more prædicando circumeuntes, tuæ nos forte literæ comperissent, ad Cumensem deinde Ciuitatem celeriter profecturos. Iterum vale ac pro nobis ora.

N O T AE.

Nota I.

Quam in hac re nobis non habent. Hæc res enim, idest studium reformationis, quam hic tractari vel ex hoc ipso loco non ineptè fortè conijcimus, vnica causa fuit alienandi aduersantium animos ab Alberto, fidemque illi in ea re subtrahendi, quem cæteroqui & amabant, & venerabantur.

Nota II.

Honestior vlla, aut verior causa. Non quod ea in se honesta non esset, quam ipse author post pauca tam honestam vocat, sed quod ipsi minus honestum foret effundere in ea sermonem, vbi non esset audiendus, vel stultitiam suam prodere, in nitendo contra ictum fluuij.

Nota III.

Stultitiæ suæ quamplurimos domesticos facere. Idest conscios, & familiares, quasi diceret, stultitiam suam pluribus prodere, & propalare.

Nota IV.

Ex Busto Arsitio agri Insubrium die 30. *Maij* 1445. Ita habet codex noster sine inscriptione, aut notitia personæ, ad quã Epistola dirigitur, nisi quod ex textu ipso constet ad Paulum quemdam mitti. Codex verò Capistranensis habet inscriptionem quam supra præmisimus, *Paulo Lignano Mediolanensi*, & diem 20. Iunij. Debuit ergo eadem Epistola, vel ad eundem bis missa fuisse ex eodem loco, vel ad duos, quorum vterque vocabatur Paulus, vel amanuensis error interuenisse in alterutro codice: quo magis inclinor, cum B. Albertus dicat ex eo loco *se ad Cumensem deinde Ciuitatem celeriter profecturum*: si 30. Maij celeriter erat profecturus, non videtur hæsisse ad 20. Iunij, quo eandem Epistolam ad eundem vel alterum Paulum dedisset.

EPISTOLA C.

CAPITVLO PROVINCIALI MEDIOLANENSI.

ARGVMENTVM.

Deſiderium aliquod ſuum, quod per alios ante inſinuauit, Patribus commendat, hortaturque vt de bono gubernatore familiæ ſuæ ſibi prouideant, à quo nulla tentatio, nullus error, aut carnalis affectus eos auertere debeat.

VEnerabiles Patres, pax Chriſti vobiſcum, Amen. Nonnulla contuli cum Patribus Guardiano S. Angeli, & Cumenſi, & Fratre Timotheo, quæ hic non explico, ne verbis vos nimium onerem. Sed ea dicenda vobis nomine paruitatis meæ commiſi fratri Chriſtophoro harum latori, ſuper quibus prædicti Patres poterunt teſtes eſſe voluntatis, & deſiderij mei, ſicut ad illos locutus ſum. Deus vos inſpiret ſatisfacere poſtulanti mihi, pro honore Dei, quæ honeſta exiſtimo. Hortor præterea vos cum omni humilitate, abſens corpore, præſens ſpiritu, oratione, & deſiderio, vt quæ Dei ſunt ante oculos habeatis, nec vos à veritate auertat vlla tentatio, vllus error, vllus denique carnalis affectus, quominus de bono gubernatore familiæ veſtræ prouideatis, ſi non cupitis nauiculam veſtram ſcopulis, non dico minantibus, ſed facientibus naufragium, iactura pernicioſa collidi, ſano quippe capite, vt ait noſter Hieronymus, omnes ſenſus vigent. Præficiatis vobis hominem imprimis ſani capitis, qui zelet Religionem, & Euangelicam puritatem, qui iuſtitiam præſtet, qui miſericordia præcellat, qui diſcretione, tanquam habena, in omnibus dirigatur, *ſuſtinete oro vos modicum quid inſipientiæ meæ*: nec contemnatis fratrem veſtrum, qui etſi non vita ſua, ſaltem exemplis Sanctorum Patrum noſtræ Religionis, poteſt vobis XL. annorum indicem texere. *Quadraginta enim anni ſunt* (1) quibus ſum educatus *cum fratre C. & X. annorum* (2) Ex Mediolano 19. Aprilis 1445.

NOTAE.

Nota I.

Quadraginta enim anni ſunt, quibus ſum educatus. In Alberti vita cum ſcriptorum vnanimi conſenſu diximus ipſum anno Chriſti 1415. ætatiſque ſuæ 30. à Conuentualibus ad Obſeruantes tranſiiſſe, à quo anno ſi ad præſentem 1445. numeraueris, inuenies triginta tantum, non quadraginta annos effluxiſſe:

xisse: non secundæ igitur educationis inter Obseruantes, sed primæ inter Conuentuales, seu Franciscanæ professionis primi tyrocinij sui annum hic memorat. Ex quo & anno ætatis, quo ad Obseruantes migrauit clarè colligimus, quod huc vsque nos latuit, ipsum scilicet suscepisse habitum apud Conuentuales anno ætatis suæ 20. & Christi 1405. vnde vlterius habemus ipsum natum fuisse anno Christi 1385. nam tot solummodo restant, si ex 1405. demas 20.

Nota II.

Cum fratre C. & X. annorum. Quis fuerit iste senex certo affirmare non ausim, nisi fortè fuerit B. Bartholomæus Pisanus, quem constat hoc tempore centesimum ætatis annum superuixisse: cuius contubernij, vel magisterij allegatio, ad concludendum ipsius periodi Epistolæ argumentum, satis opportuna fuit; voluit author, vt tum ob propriam experientiam quadraginta annorum, quos partim inter Conuentuales, partim inter Obseruantes vixit, tum ob magisterium tam veterani religiosi, & æstimati eo æuo ordinis Historici, à quo poterat multa didicisse, Patres illi Capituli Mediolanensis ipsius consilio, in eligendo superiore, deferrent: experto enim credendum est. Marianus tamen Florentinus, & eum sequutus Vvaddingus, coniecturis innitentes dubia dictione aiunt, Bartholomæum obijsse centenarium circiter anno 1401. quod non potest conuenire cum assertione B. Alberti, si ipsius educatio, seu Nouitiatus, vt supra collegimus, incidit in annum 1405. nempe quatuor annis post mortem Bartholomæi sed in his etiam experto credendum est Alberto, qui rem determinatam, certamque, propria experientia doctus affirmat, modo per fratrem C. & X. annorum Bartholomæum intelligat.

EPISTOLA CI.

ANTONIO RAVDENSI.

ARGVMENTVM.

Postquam Albertus vidisset humilem locum natiuitatis Antonij Raudensis, hominis alioquin tunc virtutis & eruditionis fama clari, & audisset de domo & patria aliqua ridicula, inde Galeratam transiens, cum ob valetudinem à concionibus biduo vacasset, ne otio locum, aut tempus concederet, hanc ad ipsum scripsit Epistolam. In qua primum, ne ille se contemni putaret, eius beneuolentiam dextrè captat. Mox quorundam asperam, & rusticam nobilitatis absque virtute iactantiam redarguit; eruditorum hominum suauem consuetudinem describit. Eleganter deinde refert, quæ in Raudensi loculo vidit, & audiuit, & in conditionem loci non ineptè ludit: suam tum prolatam sententiam scribit, parua loca à magnis virtute viris gloriam; insignes vrbes ex aduerso itidem à vitio famosis, etsi sanguine nobilibus ignominiam non rarè deriuasse. Literis ergo, & virtuti studendum suadet, quibus & hic temporaria, & æterna in superna Ciuitate gloria remanet. Huic nec loci nec parentum humilitatem officere. Quod & Ciceronis, & Christi exemplis breuiter confirmat, suam denique Patriam, quod ante notauimus, Sarthianum disertè manifestat.

NE falſo forſitan arbitreris, Raudenſis Pater, vel generis tui, vel loci objici à me tibi temerè, & inſolenter, atque iniurioſè, humilitatem, hæc tibi lætus quidem, ac non tam ſerio, quam ioco, renuncianda conſtitui. Quæ ipſa, opinor, tanquam de amore in te meo deprompta, amica ac veraci interpretatione cenſebis. Nam is es, qui ſicut pro ſolerti ingenio grauiter dicta dijudices, ita quoque per animi lenitatem facetus, & gratus, ſales ac iocos honeſtæ humanitatis, & quę à religionis ſeueritate minus abhorreant, nullo ſtudio contentionis accipias. Quod ſtolidi quidam homines, & non tam ſtoica duritie, quam plebeia ruſticitate nobiles, nec tam Catoniana grauitate conditi, immò inconditi prorſus atque inepti, quam Neroniana crudelitate cruenti, cum nihil humanum ſapiant, multa atque maiora, & tumentis animi & venenoſæ iactantiæ argumenta, moleſta nimis ſuperbia præ ſe ferunt.

Cum quibus nec vitam ducendam, nec iura amicitiæ, nec ſigna beneuolentiæ communicanda exiſtimem: colloqui dico, & corridere, & viciſſim beneuolè obſequi, ſimul legere libros dulciloquos, ſimul nugari, & ſimul honeſtari, diſſentire interdum ſine odio, tanquam homo ipſe ſecum, atque ipſa rariſſima diſſenſione condire plurimas conſenſiones, docere aliquid inuicem, aut diſcere ab inuicem, deſiderare abſentes cum moleſtia, ſuſcipere venientes cum lætitia; Quibus ex rebus, ac ſignis, vti noſtri maiores tradunt, à corde amicorum per os, per linguam, per oculos, perque mille motus gratiſſimos, tanquam vnus, multorum per beneuolentiam conflatur mutua ac vera amicitia animus; à quibus cum ruſtici amatores, & vtinam etiam amatores, longe abſint, debere eos arbitror in ſua duritie ac ruſticitate relinqui, quod ad amoris argumenta, amicitiæque manſuetudinem attinet; etſi oratione iuuandi, & cum patiuntur, doctrinis, ac moribus excolendi, & cum egent ope Chriſtiana alendi ſint.

At verò, Raudenſis, vt propoſita perſequamur, tu, qui melle humanitatis reſperſus es iam me audias iucunda narrantem. Cum abs te primùm ex Mediolano diſceſſimus, hoſpites ſuos illa tua nos eo die ante meridianum tempus excepit: Illa tua, inquam, nos pranſuros excepit, quid dicam? illa tua, ſiue Vrbs clara Raudenſis, ſiue Colonia ingens: ſiue Oppidum inſigne, ſiue Caſtellum peramœnum: Abſit verò me quandoque audere dicere villam, aut, quam vulgo Inſubres tui vocant, caſſinam, quæ ipſa patrio more noſtræ Etruſcæ Prouinciæ Capanna potius vocaretur, ſed rectius nos, arbitror, erimus cuncta complexi, & omnem propriè, atque accommodatè, & Latinè dicendo abſoluemus proculdubio controuerſiam, ſi Inſubrenſem agrum, aut quod verius eſt, Inſubrenſium agri partem, atque eam perpuſillam dixerimus: quemadmodum & agrum, verbi cauſa, Veronenſem, aut Veranum, aut Picenum, aut de his ipſis agris cuncta appellare ſolemus, quæ ad priuatos ciuium focos atque ad ſuburbana iura, licet latius porrecta, pertineant.

Illic itaque primum paululum à defeſſione itineris recreati, magnam reuera ac ſeriò, tam publicè, quam priuatè, & ab omnibus, & à ſingulis ſumus humanitatem experti, ſed

& nos

tibus patta periculis, ad gloriam supernorum ciuium, & *ad immortalem Senatum lætos transferet triumphantes* (2) Nec tum nobis officiet ignobilitas huiusce temporaneæ nostræ ad modicum patriæ, immo verò omnis ista, aut mundi huius peregrinatio, aut parentum humilitas, nihil certò nocebit; quibus erit patria Cœlum, & Pater Deus, Magister Christus, Mater illa Maria, Regia Virgo, ac Regina Cœlorum, conciues Angeli, & Fratres & socij beatissimorum hominum cœtus.

Tunc, mi Antoni, erimus veri Hierosolymitæ, magis quam veri Quirites. Ciceroni tamen illi tuo, homini quidem consulari, atque vni ex illius, non Hierosolymæ ciuibus, sed magnæ Romæ Quiritibus, humilitas & loci, & generis ab inimicis, & inuidis in probrum obiecta est, qui tamen, vt sæpe alias, sicut de cæteris rebus ventosissimè iactitat, & genus suum, & patriam illustrauit. Sed vt potius Diuina dicamus, Saluator noster qui & Galilæus, & fabri filius per Iudæorum impudentiam dictus est; Bethleemitica rura natiuitati delegit, & saxum humilis diuersorij illustrissimum orbis terrarum monumentum effecit, ne locorum, in quibus nascimur, vlla nos depressio faceret aliquando mærentes.

Placuit mihi Raudensis his paucis primum ludere, nunquam enim ad te meas vllas literas scripsisse me recolo. Hæc verò Epistola, & initium fuerit mihi multa demum ad te dictandi, & tibi caput deinceps, vel ad me scribendi; vel, quod postremæ humanitatis est, pro iure postulationis meæ, claro tuo eloquio, plurima respondendi, qui tua ad me dictanda poscere, quam respondenda reposcere mallem. Opto tamen, & oro, vt eum nobis vitæ cursum præcipuis meritis Diuinitus comparemus, quo nobis relictis Raudensi & Sarthianensi, siue Oppidis, siue aliud nuncupare potius *natiuitatis nostræ terras* (3) volueris, tam ingentibus ac perpetuò fruentibus bonis interesse contingat. Vale ex Gallarate pridie Kalendas Iulias 1445. cum per imbecillitatem corporis à prædicandi solito munere biduo vacaremus. Iterum vale.

N O T AE.

Nota I.

Antonio Raudensi. Huius mentionem habet Vvaddingus inter Scriptores ordinis Minorum, vbi & patriam illam ipsius Falmentam vocat: sed non tam procul Mediolano esse oportet, dum Albertus ex ea Vrbe mane discedens, ibi ante meridiem prædicare potuerit, vt ipse in Epistola refert. Ego sanè Raudam dicerem, etsi hanc nec Blondus, nec Leander Italiæ descriptores habeant. Ipsum autem Antonium S.Theologiæ Magistrum, in omni studiorum genere insignem vocat, & tamen fatalem illius æui maledicentiam euadere non potuit: scripsit enim in eum nescio quid Laurentius Valla, quem nondum vidi; Flauius Blondus in descriptione Lombardiæ affirmat, eum eleganter doctum fuisse, eiusque rei testimonium facere opera eius. Ea verò non extant, preter Lactantium Firmianum eius opera puriorem editum, in qua ipsa editione quidam, præsertim Franciscus Philelphus, Michael Thomasius, & alij censuras quasdam Raudensis in Lactantium atrocitatis accusant, & alia noratione

digna

digna desiderant: sed quis ipso Philelpho in vituperando atrocior, vt eius inuectiuae demonstrant, cui proinde maior fides laudanti habenda sit: De Lactantij erroribus quid censuerint Sancti Patres, & Sancti Romani Pontifices, & Baronius, & Bellarminus Cardinales, Antonius Posseuinus in apparatu Sacro refert: sed ea est quorundam posteriorum scriptorum ingrata consuetudo, vt in anteriorum laboribus, non quid boni fecerint, sed quid non fecerint, vel si quid male fecisse videantur, facilius notent: cum & ipsis inuentis addere, quam primitus inuenire pronius sit. In qua re iucundum est, quod de Christophoro Columbo fertur. Is enim, vt aiunt, postquam primus nostratium Occidentalis Indiae oras detexit, in Europam reuersus, cum in nobilium virorum coena sedisset, iisque rogantibus nauigationis suae labores referret, alius quispiam: sed quid horum, inquit, quiuis nauigandi peritus non posset praestare? Tacuit Columbus, & famulo post tergum stanti iussit; vt ouum in orbe afferret, allatum in mensa deposuit, tum ad conuiuas quis vestrum Domini, ait, hoc ouum in cuspide statuere possit: renuentibus cunctis id fieri posse: at ego, inquit, facere possum. Dictum, factum, orbem ouo percussit, & retuso cuspide stetit ouum: sed, inquiunt, hoc quis non faceret? Tum demum ille, fieri quidem à quolibet posse fateor, sed multis nec animus, nec ingenium est: quo liuidum inuidiae cuspidem fortius quam oui retudit.

Nota II.

Ad immortalem Senatum laetos transferet triumphantes. Num pretiosae mortis suae triumphum clarè prophetasse videtur B. Albertus? quem in testimonijs vitae eius à nobis adiunctis, multi nobiscum contestati sunt, & elegantissimè descripserunt vltimi eruditi Academici Intronati Senenses. Nam quinto hinc anno Coelum triumphando conscendentem B. Ioannes Capistranensis tunc vidit, & palam, ac publicè retulit.

Nota III.

Raudensi, & Sarthianensi natiuitatis nostrae terras. Hic manifestissimè prodit Albertus patriam suam Sarthianum esse, quod natiuitatis suae terram vocet.

EPISTOLA CII.

MATTHÆO BISSARO VICENTINO. (1)

ARGVMENTVM.

Bissarum veterem Alberti benefactorem fuisse docet Epistola LXII. ad ipsum anno 1440. *ex Rhodo data. Nunc etiam scripsit se pecuniam duobus hominibus ad ipsum deferendam dedisse, quorum alter se misisse dicebat, alter non dedit. Albertus insigni pecuniarum contemptu, & proximi charitate, pro primo rogat, vt Mattheus nihil mali propterea illi moliatur, quod forte paupertate pressus, pecuniam sibi retinuerit, & verecundia fecerit, ne id alterutri fateretur. Ab altero pecuniam repetendam suadet, quam se nullo modo acceptaturum profitetur, affirmans amorem Bissari, quam aerarium eius, sibi esse gratiorem.*

Heri,

Heri, *qui fuit ſextus Octobris* (2) cum Bergamum ex Mediolano, & Cumis ac repertis in medio oppidis, gratiam verbi ſeminantes, perueniſſemus, offendi fratrem Franciſcum meum, tunc penè abs te cum literis, & rebus geſtis, in Teuchros redeuntem: in quibus ſanè de bonis, quæ legi, gratias Chriſto retuli, ſed ibidem moleſtè tuli, quod ſcribis And. Clementis audere procaciter dicere, ſe mihi miſiſſe pecunias, quas nullas penitus vnquam habui. Nam ſi illas miſit, nec forte redditæ ſunt, det nomen ferentis; ſi verò, quod magis arbitror, nunquam miſit, aut perfidiæ fuit non reddidiſſe commiſſas illi abs te, etiam me probante, pecunias, aut neceſſitatis, cum forte illum vrgeret inedia, afflictaret, vt ſæpe aſſolet, paupertas, grauarent debita, cogerent exactores. Quo caſu hoc mihi ſolum moleſtum eſt, quod ſuam fortaſſis neceſſitatem, nec mihi, nec tibi, verè in hac cauſa pijs hominibus, libera confidentia, & amica libertate ſignificauit. Profectò ſcio pari conſilio eleemoſynam inopi ſibi benedictione firmatam auxiſſemus. Nunc vero cum tergiuerſari potius videatur, non me cruciant nummuli, quos non amo, ſed cruciat illius violata exiſtimatio, corrupta fides, damnata conſcientia. Verumtamen te oro vehementer, pro mutua noſtra beneuolentia, ne illi pro hac cauſa aliquid moleſtiæ machineris. Ingens enim forſitan illum inopia compulit creditas ſibi pecunias auferre, & rubor verecundiæ exterruit confiteri. Quod verò ais pro mercede ſcriptorum, ne apud eos aliquam calumniam patiar, te miſiſſe de tuis nummis Cancellario illi ad numerum 12. aureorum. Ego licet hoc factum eſſe audierim à confratre noſtro, Cancellarium nedum vidi: ſed vnum eſt, quod apertè profiteor, longe abeſſe à corde, & inſtituto meo, vt te velim perpeti damna calumnoſiſſimè fraudantis. Itaque ab illo repete pecunias tuas, quoniam illas nulla ratione recipiam. Scriptoribus autem, Diuinitate propitia, non deerit ratio prouidendi: mihi certè ſine vlla comparatione ***gratior eſt amor tuus ab ærario tuo*** (3) quo tenui fortaſſe laboras, immo verò nec laboras, quando nec illud diues habere concupiſcis. Noſti enim & Apoſtolica authoritate ab Hieronymo conflatam eſſe ſententiam, qua auarorum cupiditas obiurgatur. Victus, & veſtitus diuitiæ Chriſtianorum: cuius certè ad te ſcripta in dementem illum Rufinum gratis & ſine argento vel auro aliquando tranſmittam. Vale ac pro nobis ora, cum amicis communibus, Ex Bergamo 8. die Octobris 1445.

N O T Æ.

Nota I.

Matthæo Biſſaro. Qualis hic fuerit non plenè reperio. Patria Vicentinum fuiſſe Albertus ipſe ſignauit: ego virum litteratum fuiſſe vel inde colligo, quod Albertus promittat ſe illi miſſurum ſcripta S. Hieronymi in Ruffinum; quemadmodum vel Eccleſiaſticum, vel pietatis; & religioſis operibus addictum oſten-

ostendunt, tum eleemosynarum prompta, & vltronea largitio, tum quod Albertus in vtraque Epistola se ipsius orationibus commendet.

Nota II.

Heri, qui fuit sextus Octobris. Sed Epistola data signatur 8. die Octobris: ergo vel in alterutro loco corrigendus est numerus, vel Epistola septimo die scripta fuit, sed octauo data.

Nota III.

Mihi gratior est amor tuus ab ærario tuo. Rarus est hic modus loquendi, sed non proinde bonis Latinis improbatus, qui innumeras notant significationes illius particulæ *ab*: & inter alia, quod aliquando ponatur, pro *præ*, vt sensus authoris nostri sit, *gratior mibi est amor tuus præ ærario tuo*, pro quo sensu Erasmus allegat A. Gellium dicentem, ab illo friget, idest præ illo seu comparatione illius: imo & Euangelium Christi sic loqui videtur, de Pharisæo, & Publicano; *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*; Luc. 18. idest præ illo, vel comparatione illius, seu malis Albertum Ciceronis sensu locutum fuisse, qui in Bruto, & alibi, eadem vtitur phrasi, à doctrina à natura instructus, ab omni laude felicior, à propinquis nudus, ab amicis vt existimatione inops, ab oratoribus solitudo: in quibus locis, eruditi intelligunt, id quod ad doctrinam, naturam, laudem, propinquos, existimationem, oratores attinet, vnde Alberti sententiam sic explicabis, ac si dixisset, quod ad ærarium tuum attinet, gratior mihi est amor tuus. Vide Thesaurum Linguæ Latinæ verbo A. & Ab.

EPISTOLA CIII.

FRATRI IOANNI PRATENSI.

ARGVMENTVM.

Duas Epistolas ad Albertum dedit Ioannes, quarum altera desiderium suum aperuit, vt illi tanquam Magistro suo, pro concionibus, vt socius, adhæreat; sed cum non obtinuisset, per alteras questus est priores suas à Beato viro contemptas fuisse, & suspicatus se per alios, apud illum male depressum fuisse, & fusissimè diluere nisus est argumentis, quæ ab alijs opponi sibi suspicabatur. Albertus prudenter, & religiosè querelas negat, & Ioannem cum ipsius laude, suique bumiliatione, à pratensi societate modestè diuertit.

QVas ad me datas Epistolas tuas nuper recepi, quia abs te manabant, qui me scio diligis, non contempsi, non risi, vt falso verebaris; hoc enim nimium superborum hominum est, sed fraterno eas amore complexus sum, & dulcibus osculis prosequutus. Risi verò, fateor, laborem inanem, quem in eis tam longis dictandis, siue saltem scribendis, si dictare non tibi labor est, nulla necessitate assumpsisti; præsertim cum, vt scribis, adhuc, vt soles, in capite vestigijs pristinæ molestiæ fatigeris, cui vel maximè multum scribere, sicut

ſicut multum clamare, flere, legere, vigilare, & teſtibus medicis, & experientia docente, plurimum nocet, quamuis Euangelicus P. N. B. Franciſcus, ardore Paſſionis Domini feruens, ab his omnibus ſibi ceſſandum nec propter cæcitatem corporis æſtimarit: niſi forte hoc facere maluiſti, quia vel tibi placuit exerceri, vel ſicut dictare, ſic & ſcribere, perfacile tibi eſt, quod pleriſque ſcimus eſſe duriſſimum, vel à languore capitis, leuata tum moleſtia, paululum reſpirabas: vel, quod forte verius eſt, amor ad me nunc ſcribendi ſicut omnia facit ſuauia, facit quoque tibi laborem eſſe leuiſſimum. Nam ſi, vt mihi perſuaderes, tanta dixiſti, vehementer contra me erras, qui & de te bene ſentio, & tibi in cunctis, ſi modo poſſem, vellem adeſſe. Quod enim in prima Epiſtola optas, & petis, & obſecras, hærere velle te mihi, & quod me verbum offendit, eſſe ſub pedibus meis, vt me audias prædicantem. Ego primum certe renuo te habere filium, ne dum ſeruum, ſed dignor habere fratrem, quid dico dignor? qui *profeſſione maxima teneor* (1). Deinde te venientem quandocumque apertis brachijs charitatis excipio. Tu modo vide quam inde vtilitatem conſequare, ſi veneris: quin & te puto non indigere meis in dicendo vllis inſtitutis, & me non facio tanti, qui tibi prodeſſe queam. In ſecunda Epiſtola laboras plurimum, vt te purges, & aduerſariorum apud me accuſationes argumentationibus diluis, ſed nemo te accuſauit frater: Et ſi accuſaſſet quiſpiam forſitan obtrectator tuus, non ſum is, Chriſti munere, qui ea leuitate cordis laborem, vt cito credam accuſanti, præſertim illum te; qui vt te toties mihi profiteris amicum, ita quoque me ſcio tibi vera neceſſitudine deditiſſimum. Nam ſi *Alexander ille Lacedæmonius*, (1) cum quiſquam apud eum accuſaretur, vna manu aurem obturare ſolebat, dicens, ſe apertam aurem exhibere delatori, clauſam vero ſeruare ſe reo, vt eſſet locus accuſato ſe libere defendendi, ſicut delatori fuerat accuſandi; Quid nos oro te facere oportebit, de quibus ſcriptum eſt. *In populo graui laudabo te*: & Salomone teſtante admonemur: *Leues corde eſſe qui cito crediderint*. Itaque Fr. æquo animo ſis, nec vlla ratione turberis, quia quem meum arbitror aduerſus obtrectatores, vt iuſtiſſimum, ita quoque acerrimum defenſorem, non vereor, non ſuſpicor, non credo vllo pacto fieri detractorem. De Fratre Franciſco ſcripſi plenius Fratri Petro, Sancti cognominis bono, qui nunc *Vicariam vicem gerit* (3) adminiſtrandæ Prouinciæ: fac vt tibi communes faciat literas ſuas, ſicut tu illi tuas, & totum ambo habebitis. Vale ac pro me ora. Ex Bergamo 8. die Octobris 1445.

N O T Æ.

Nota I.

Profeſſione maxima teneor. Vult dicere maximæ humilitatis: dignatio enim multò maiorum erga minores eſt, quæ proinde locum non habet inter confratres, maximæ humilitatis profeſſores, quibus omnia communia ſunt, & quaſi quædam æqualitas

tas conditionis, licet alius alio doctior, alius alio sanctior, alius alio reipsa iunior, sed propter hæc nemo superbire, vel se ipsum extollere, & multo minus fratres suos contemnere debet.

Nota II.

Alexander ille Lacedæmonius, Hoc non de Lacedæmonio, sed de Macedone Magno narrat Plutharchus, in Alexandro editionis Latinæ Venetæ, in folio anni 1572. pag. 332.

Nota III.

Qui Vicariam Vicem gerit. Qui eo æuo fratrum Obseruantium Prouincias regebant, Vicarij Prouinciales vocabantur: Et author hoc loco de Prouincia Tusciæ loqui videtur. Nam ad Tuscos scribit, qui ibi simul existentes, ipsius ad vtrumque literas sibi mutuo monstrare poterant. At ego illius Prouinciæ Vicariorum elenchum habeo, in quo nulla Petri Boni mentio est, sed hæc alterius: Frater Ludouicus Petri de Latinis Senensis electus Vicarius Prouinciæ, anno Domini 1444. in Capitulo Pisis celebrato, Prouinciam gubernauit annis tribus. Deinde sequitur qui ipsi successit electus anno 1447. ita vt anno datæ huius epistolæ 1445. non potuerit Petrus Bonus esse Vicarius Prouinciæ. Ergo vel author illius Elenchi, omisit bonum, vel hoc cognomen ipsi Latinio, ob vitæ innocentiam à fratribus impositum fuit, vel Albertus de Vice-Vicario loquitur, vel sermo de Conuentualibus est, qui vel absente, vel decedente Ministro Prouinciali Vicarium Bonum instituerunt, vsque ad electionem noui Ministri Prouincialis, vel reditum tunc forsitan absentis.

EPISTOLA CIV.

PETRO VERONENSI.

ARGVMENTVM.

Deprecanti Petro pro aliquo redintegrando, qui, vt videtur, prædicandi facultate sua culpa priuatus est, respondet Albertus, sibi non videri, vt id tam celeriter fiat, propter causas in Epistola expositas.

PRopterea quod me vrgent negotia, paucis tecum agam de illo amico charissimo, cui de sanctimonia vitæ, quam agit, testimonium insigne perhibuisti, & gaudeo, & indies, si non iuxta propheticam interminationem perdiderit sustinentiam, magis gaudebo, atque vtinam pro se eam gereret emendationis diligentiam, quam ego pro illo non opto solum, sed vehementer exopto. Verum difficile valde, simulque dignum est, vt qui toties fratres fefellit, non tanta celeritate existimationem recuperet, quam magno negotio seruant illæsam, qui etiam veraciter Sancti sunt. Quemadmodum prorsus è regione absurdum est, vt diu turpiter acta vita fastigio tanti ministerij honoretur, quo & Apostoli, & Apostolici viri insigniter claruerunt, quandoquidem magis tantorum scelerum pœnas diuturniores luere debuisset, qui non modo nomen suum omnino confudit, sed & reliquos similis ministerij,

Eccl. 2, 16.

rij, atque omnem quoque Religionem fœda colluuione violauit. Cuius fœtoris exalans teter, atque immanissimus nidor, vtinam solius Italiæ ac non etiam orientis delicatas nares complesset: atque adeo, vt ne redolentia quidem Sanctorum, qui Christi bonus odor omni in loco existunt, facile sensum offensi odoratus instaurauit. Quod verò ei dictum fuisse asseris, de illo quid sentiam, cum nil malo animo factum sit, non magnopere curo, cum ipsius auribus meas voces pro emendatione eius mallem ingerere, quam cuiquam de illo pro cautela cauendi mali aliquid scribere. Quorum duorum cum vllus alterum, vel vtrumque potuissem sine culpa efficere, illi quidem diffisus, non autem de illo desperatus (absit enim hoc à meo proposito) censui quidem sanioris consilij, si te de illo prudentiorem meis literis facerem, quam si illum, si mea monita contempsisset, molestius fortassis exagitarem, quamuis melius aliquando, vt dicitur, tumor capitis doleat, per cuius medicinam reliquis languoribus corporis subuenitur: Sed ego hanc cum eo causam aptius verbis præsentibus agi oportere, si quando Domino volente daretur, quam literis grauioribus arbitratus sum, præsertim cum ea sit causę turpioris conditio, *vt illicibili vllo blandiloquio agi non debeat.*(1) Vale ex Brixia Pridie Kal. Nouemb. 1445.

N O T A.

Vt illicibili vllo blandioloquio agi non debeat. Hanc vocem illicibile in sensu actiuo apud solum Albertum reperio, cum alia pleraque eiusdem desinentiæ, seu deriuationis verbalia, passiuam significationem habeant, vt amabile, docibile, legibile, audibile, ideſt amari, doceri, legi, audiri potens, aut facile sit & similia. Non desunt tamen alia eiusdem generis, & desinentiæ verbalia, quæ actiuè sumuntur, vt conducibile, rationale, seu rationabile, risibile, ideſt ad rem conducere, ratiocinari, ridere potens. Atque in hoc sensu Albertus noster blandiloquium illicibile vocat, quod illicere, delectare, & persuadere potens vel aptum sit, quasi illectiuum, attractiuum, persuasiuum, quo sensu alibi vocat illicibilia oblectamenta, quasi per delectationem illicentia.

EPISTOLA CV.

EPISCOPO BERGAMENSI.

ARGVMENTVM.

Ab Episcopo ad instruendum Ciuitatis populum aduocatus rescribit id sibi propositum esse, sed certum diem statuere non posse ob impedimenta, quæ à varijs occasionibus passim nascuntur.

Hu-

HVmanissimis literis beneuolentissimæ Paternitatis Vestræ, quibus patuitatem meam ad populum vestrum aduocari curatis, paucis verbis respondeo, propositum mihi esse, atque id imprimis, ad vos celerius pergere. Verum quia vbique passim discurrenti impedimenta plura, ex occasionibus populorum occurrunt, non queo vobis statutum diem, aut tempus veniendi, certius polliceri. Orate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam: Ego, quod in me est, spero ad vos celerius proficisci, nisi alia nobis impedimenta proueniant. Commendo me Reuerendissimæ Dominationi Vestræ. Ex Cumis 1445.

EPISTOLA CVI.

EPISCOPO BRIXIENSI.

ARGVMENTVM.

Huic etiam Episcopo, ad suos quoque ciues ipsum vocanti, id sibi in desiderijs esse respondet, sed superiorum, seu, vt vocat, Maiorum literis, & Arcanis quibusdam rationibus probiberi.

NOuæ nuper ad meam paruitatem allatæ, & literæ Maiorum & causæ, venerande Christi Antistes, quod dolenter dico, apud me non facile effecerunt, sed tamen necessario effecerunt, vt nequaquam votum ac desiderium, quod ipsum ratum & firmum habeo, veniendi ad vos, sed consilium, ratione consulta, in melius, vt arbitror, mutauerimus. Causas autem ipsas, si præsens ad essem, tuo Pontificali pectori libentissimè explicarem, cum eas literis non æstimem committendas. Sed in hac inuita mutatione Apostoli Pauli nos consoletur authoritas, qui cum impediente Sathana in Hispaniam, vt proposuerat, proficisci non potuisset, nequaquam se leuitate consilij vsum fuisse, sed intercurrente causa affuerat. Spes quoque præterea firmior ea sit nobis, non parua molestiarum leuatio, quæ optamus, si Deus dederit, damna præsentia commodiore tempore compensare: in quo, Deo tribuente, neque hyemis asperitas, neque vlla nobis impedimenta proueniant. Tu interim Dei Præsul ora, vt, quod cupimus, implere possimus, vt has schedas molestæ meæ excusationis, vt veras, ita quoque, vt poteris, gratas accipies: Opus est enim sapientis, vt nosti, vt & temporis, & causæ, & personarum habeat rationem. Commendo me tibi honorabilis Pater, & peto, vt hæ literæ meæ, sicut nec commune consilium Ciuitatis, sic nec singulos quoslibet lateant, qui tuæ discretioni videbuntur idonei. Ex Bergamo 1445.

EPI-

EPISTOLA CVII.

LEONELLO MARCHIONI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Cupidiſſimus Leonellus conſortij ſermonis Alberti, fortaſſis, vt, quod per literas ab eo huc vſque extorquere non poterat, Orientalis eius legationis res geſtas in aurem ediceret, literas tùm Apoſtolicas, tùm ſuperiorum ordinis obtinuit, quibus illi iubebatur, vt Ferrariam pro more prædicatum accederet, & ambas ad eum miſit, per nuncium qui ipſum duceret. Iis lectis Albertus hanc Epiſtolam reſcripſit, qua ſuum quoque illuc accedendi deſiderium aperit, & ſublatis obſtaculis profectionem promittit.

LEctis literis Apoſtolicis, ac maiorum meæ Religionis, quas inopinatus mihi tuus nuntius nuper attulit, intellexi continuo, Marchio Illuſtris, ſimul & riſi honeſtiſſimam tuæ artis induſtriam, & ſolitæ ſolertiæ laudabilem diligentiam: Quæ & ipſa, de amore quidem in me tuo profecta, id certò effecit, vt *me volentem longius proficiſci*, (1) in has improuiſas pedicas, vt non dicam decipulas, mihi tamen minimè moleſtas contruderes. Ego verò quantum euangelica manſuetudo ſinit, cum propoſito tibi quidem recompenſandæ vicis, tua vota libens complebo, niſi fortè, aut noua iuſſa me reuocent, aut Romana quæpiam cauſa ſe immiſceat, quominus tempore commodo Ferrariam accedere queam. Nec mihi, licet multo maiora pro Chriſto mecum ſæpius animo agitanti, erit ingratum, & ſi non parua cum iacturâ multorum, tuæ beneuolentiæ morem gerere, cum tamen per noſtræ falcis exiguum miniſterium pleriſque maturis, albiſque regionibus, quantum diuinitus fuiſſemus adiuti, meſſio ſalutaris adhibenda fuiſſet. Quod tu, quia tua, quamuis honeſta quærere maluiſti, conſiderare forſitan neglexiſti, vel, quod potius arbitror, diſſimulandum putaſti. Tribuat tibi Chriſtus pro te vitæ ſanctimoniam, pro tuis populis ſapientiam, & aduerſus iniquos hoſtes inexpugnabilem fortitudinem. Vale & Patri Epiſcopo nos commenda, ac Præceptori Communi. Mediolani 14. Kal. Iulias 1446.

NOTA.

Me volentem longius proficiſci. Hanc profectionem explicat Epiſtola CIX. ad Iacobum Primadicium, dicens: *quamuis cogitarem iam à Domino noſtro* (Pontificem intelligit) *& à Fratre Ioanne* (Capiſtrano ſcilicet) *factus liber,*

ber, ad omnes partes prædicando peragrandas in Ianuam, deinde poſt Paſcha in Siciliam, deinde in Cathaloniam, atque Hiſpaniam, in quibus regionibus multi, & boni viri, fructus mirabiles fauente Domino, pollicentur. Tam ardens erat Beati huius Viri Seraphicus zelus pro lucrandis omnium gentium animabus, vt cum olim Hieroſolymis eſſet, petierit ab Eugenio Pontifice, vt eum liberum faceret ad quaſcumque orbis partes, quamuis admodum remotiſſimas, ſiue fidelium, ſiue infidelium peragrandas, & ad quantumlibet barbaras nationes adeundas, & gentes extraniores conueniendas; Nimirum, quæ de Sancta Thereſia canimus, Chriſtum daturus aut Sanguinem: Et hanc licentiam ſicut ſe nunc habuiſſe ſcribit, ſic tunc fortaſſis obtinuiſſet, niſi Pontifex ipſius opera in rebus Orientalium, ad Concilij Florentini complementum diſponendis, indiguiſſet: Sed quantam poſtea libertatem, & quam ampliſſimas facultates eundi, & à ſe deligendos ſocios ad omnes mundi partes mittendi, obtinuiſſet, ipſum Pontificis diploma, quo ſecunda vice in Orientem Legatus fuit, apertè docet, & recentior facultas, in Epiſtola CX. ad Eugenium Pont. ſcripta allegatur.

EPISTOLA CVIII.

EPISCOPO RAVENNATI.

ARGVMENTVM.

Bartholomæo Rouerellæ, Eugenij Pont. prius à Secretis, Epiſcopalem dignitatem aggratulatur, ampliora certo promittens, modo is non nouorum vitam, ſed veterum Epiſcoporum virtutes imitetur, cum breui, &, vt aiunt, remiſſiua hortatione ad eaſdem.

DIv eſt quod ad te ſcribere diſpoſui, Pater Epiſcope, ſed quotidianarum prædicationum laboribus præpeditus, quas, vt ſcis, penè quotidie pro more noſtro antiquo propter Dominum ad fideles populos habemus, implere nequiui: nunc verò paululum à defeſſione reſpirans, his paucis me tibi commendo, agens ſimul Domino noſtro ingentes gratias, quod Epiſcopus factus es. *Neſcio an ſimul dicam, & tibi congratulans*: (1) Noſti enim pro tua prudentia cuius ponderis ſit non vocari, ſed eſſe Epiſcopum, præſertim hac tempeſtate noſtra, quando Epiſcopi, qui ſine crimine, iuxtà Titum, ſiue irreprehenſibiles iuxta Tymotheum, conſtitui debeant, vt reliquum Catalogum taceam, vix eſt, maximè apud multos, quod lugubriter dicimus, vt non ſint etiam in maximis criminoſi. Lege Hieronymum ad Pammachium, lege eundem ad Nepotianum de Vita Clericorum: Lege commentarios eius ad Titum: *Re*uolue Prophetale opus illius. Inſpice diligenter regulam paſtoralem Romani noſtri Gregorij, vt taceam documenta viri mirabilis Gregorij Nanziazeni, & liquido peruidebis, non quibus vitijs ſint noſtri temporis Epiſcopi irretiti, ſed à virtutibus Epiſcoporum quam longè abſint: & vt idem Hieronymus tuus, immò

immò noſter, veriſſimè ait. Quantò potentiâ Eccleſia, & opibus creuerit, tanto facta ſit virtutibus minor. Ego tamen cognoſcens indolem tuam, refero gratias Deo noſtro, qui te in numerum Epiſcoporum digeſſit, optans, & oratione ardentiſſima flagitans, vt longè omnium Epiſcoporum, tam veterum, quam nouorum, & ſanctiſſimus & doctiſſimus fias, atque in dies euadas in Epiſcopalibus virtutibus cumulatior, quo Mater Eccleſia mœſtior effecta per improborum inſolentiam filiorum, ſiue Epiſcoporum, tanto te alumno lætetur. Aderit autem tibi, ſi voles, Omnipotens Deus, *vt Chriſto propitio certus ſum*, (2) atq; ad ſumma ſcandendi, & optima quæque, vt Præſulem Dominicum decet, ac præclariſſima exoptanti, cunctis periculis huius vitæ, mille mortibus moribundæ: adhibebit & Dominus tibi cęleſte præſidium, maximè, ſi in tuo Epiſcopatu virtutes potius Epiſcoporum veterum æmuleris, quam vitam nouellorum. *Franciſco Mareſcalco*, (3) quem nuper Romæ contra vetuſta vota illius factum audio Sacerdotem, eadem, quæ tibi, votis ardentibus ſpiritualia bona depoſco, eumque peto per te noſtro nomine ſalutari. *Literas his alligatas* (4) oro ne curare graueris, quo tuo ſtudio ad Fratrem Iacobum Primadicium, nobis iam parentem animæ conſtitutum, diligentius perferantur. Ita enim & ipſe ſuis ad me literis fieri debere petiuit. Vale & ſi dignaris aliquid nobis cum presbytero Franciſco reſcribe. Ex Mediolano 5. Nonas Iulij 1446.

N O T AE.

Nota I.

Neſcio an ſimul dicam, & tibi congratulans. Dubitat an cum aliquo ad curam animarum promoto congratulandum ſit, propter rationes quas in Epiſtola exponit. Vide Epiſtolam 90 de ambitu dignitatis, & noſtras ibi notas.

Nota II.

Vt Chriſto propitio certus ſum. Sapientum Lectorum maturæ conſiderationi iudicandum relinquo, vtrum hæc B. Viri certitudo prouenerit ex ipſius prudentia & notitia ingenij Rouerellæ, quam ipſe in Epiſtola profitetur, an ex prophetico ſpiritu, quo hominis futuram proſperitatem, & virtutis profectum præuidiſſet, quæ pariter inſinuare videtur, atque, inquiens, *ad ſumma ſcadenti, & optima quæque, vt Præſulem Dominicum decet, ac præclariſſima exoptanti*: Bartholomæus etenim tantus Vir poſtmodum euaſit, vt poſt Eccleſiaſticarum vrbium varias præfecturas, pace, belloque geſtas, & Rauennatis Archiepiſcopatus honorem, pro ingentibus in Apoſtolicam Sedem meritis, Cardinalitia dignitate donatus eſt, in ea dignitate multiplici eiuſdem Sanctæ Sedis Legatione feliciter functus eſt, in quibus Principum, pluriumq;nationum elientelas ſibi quoq; obtinuit: Glorioſam denique vitam cum felici morte commutauit ſeu ſexaginta, ſeu ſeptuaginta annos natus, nam varie Vghellus & Ciacconus nouiſſimæ editionis tumuli eius Epitaphium deſcribunt.

Nota III.

Francisco Marescalco. Vide Alberti ad hunc ipsum Epistolas, & nostras ibidem Notas.

Nota IV.

Literas his alligatas. Sunt quæ hic immediatè sequuntur eodem die datæ.

EPISTOLA CIX.

IACOBO PRIMADICIO BONONIENSI.

ARGVMENTVM.

B. Albertus in rebus suis à superiorum nutu ita religiosè pendebat, vt absque illorum voluntate nihil sibi agendum censeret. Nunc igitur officio Vicariatus Generalis renuntiante Capistrano, & substituto illi Primadicio, quamquam Albertus Pontificis, & Capistrani voluntate, posset prædicatum ire quo vellet, ac iam destinasset ad ea loca proficisci, quæ in Epistola nominat, voluit tamen Primadicij iussione Ferrariam ire, quamquam eum fructum non ibi quem alibi prouenturum speraret.

LAvs Deo Omnipotenti, qui te nobis tribuit in Pastorem, ipse det tibi sapientiam, ac gustum, & fortitudinem Euangelicam, ad gubernandos apostolicos professores. Ego, in quo possum, volo tibi sincerissima affectione adesse. Ferrariam pro Quadragesima ibo, si non mihi talia impedimenta proueniant, per quæ tu ipse me censeres merito excusandum, quamuis cogitarem, iam à Domino nostro & Fratre Ioanne factus liber ad omnes partes prædicando peragrandas, ire Ianuam, deinde post Pascha, in Siciliam: deinde in Cathaloniam, atque Hispaniam, in quibus regionibus multi, & boni viri fructus mirabiles, fauente Domino, pollicentur. Ferrariæ verò ego tanto tempore prædicaui, vt me parum æstimem profuturum. Verum ex quo ita tibi videtur morem geram, reliqua cum Dominus voluerit, expleturus. Ago gratias humanitati, & liberalitati tuæ in me. Vale ex Mediolano 3. Iulij 1446.

EPISTOLA CX.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Acceptis Eugenij Pontificis & Vicarij Generalis Primadicij literis, quibus Fer-

Ferrariam ire iussus est, sicut Primadicio per praecedentem, sic per banc Eugenio respondet se per omnia pariturum.

Literas tuæ Sanctitatis B. P. ad quartum decimum Kalendas Iulias apud Mediolanum accepi, quibus me hortaris, & tibi gratum futurum dicis, si optantibus & petentibus Ioan. Episcopo, & Leonello Marchione Ferrariensibus, claris viris, illuc prædicaturus futura Quadragesima proficiscar: quorum ego vota poscentium sicut libenter exaudio, sic tuæ apostolicæ voluntati, & sine delectu fortasse potioris boni, non immeritò me substerno: statueram enim, aut Mediolani post biduum, rogantibus pijs Ciuibus, cum spe maximarum in Domino frugum, tertium explere annuum, aut si nobis Dominus affuisset peragrata Aemilia & Ianuensibus paululum salutatis, in Siciliam, Cathalauniam, ac reliquam Hispaniam, relicta Italia, pergere: Vnde mihi per testimonium & grauium, & Sanctorum virorum, albescentibus Regionibus, messio salutaris suggerebatur; sicut ipse cum tua beatitudine apud Senas, expleto iam triennio, simul contuli, & tu hoc ipsum, cum apostolica sapientia, plurimum comprobasse, tùm etiam diuina authoritate non parum roborasse compertus es. Quę cum ita sint, ego nihil de me mihi reseruans, totum tibi committens ibo libens Ferrariam, nisi Tua S. aliud faciendum statuerit, quod ipsum si mihi significari debere censueris, sapientiæ tuæ erit, vt ita fieri celeriter iubeas. Dominus te tueatur Omnipotens B. P. Ex Mediolano 5. Nonas Iulij 1446.

EPISTOLA CXI.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Cum adhuc Mediolani moraretur Albertus, importunis atque instantissimis precibus Monialium Monasterij S. Mariæ de Cantalupo coactus, ipsarum desiderium non intercedendo sed referendo Pontifici inuitus proponit, vt Sua Sanctitas disponeret, quod sibi melius videretur.

Ad eximiam tuæ Sanctitatis sublimitatem, & authore Deo, præcellentem nimis clementiam, Beatissime Papa, pro Sanctimonialibus B. Mariæ, quas vulgo *de Cantalupo* appellant, quæque apud Mediolanum B. Augustini Ordinem profitentur, non declamator, non orator, non persuasor accedo, sed earum, quæ abs te honestè, vt putant, postulant, simpliciter inuitus narrator, inuitus, inquam, atque abstractus, sed non illectus, quamuis potius victus, quandoquidem illæ ipsæ vix me diem integrum quiescere sinunt, quo minus instent, vr-

vrgeant, & muliebri importunitate penitus inquietent, vt meis literis causam illarum saltem apud te querar, si illam, quod sane mallent, tueri atque agere nolim. Nam cum viginti iam & quinque ante eo amplius annos, à Fratribus S. Angeli Ord. Minorum, & morum instituta, & consolationem sacrorum, & curam spiritualis vitæ susceperint, idq; magna cum vtrorumque laude pudicitiæ, mirantur simul, & quærunt, quid causæ sit, cur nunc ab eis fratribus, etiam iubentibus Religionis Maioribus, nullo vitio illarum, sed hac sola ratione relictæ sint, quod videlicet asseratur illas non esse Ordinis S. Claræ. Quæ quidem ratio, si iusta censenda est, orant alterum e duobus, aut dari sibi regulam Sanctæ Claræ, quam imprimis vehementer exoptant, aut quod est postremum, mandari per Sanctitatem tuam prædictis fratribus, vt eas, solito more, diligentius curent; Plena quidem authoritate corrigendarum illarum, si aliquando, quod absit, per lapsum imbecillitatis humanæ, emendatione piæ districtionis aliqua indigebunt. Nam hæc vel sola causa est, cur Fratres ab illarum cura abhorreant, ne cum sinistrum quicquam fortè acciderit, in eos verteretur earum calumnia, quas illa potestate cohibere nequiuissent. Illæ verò præiudicata sententia magis sibi moriendum existimant, quam vt pudoris, & castimoniæ gloriam violantes, sanctimoniæ quoque omnis honorem vlla occasione delinquendi euacuent. Itaque nihil suppliciorum non potius sibi subeundum arbitrantur, ne à vitæ integritate desciscant. Meminimus, inquiunt, quæ inter illas vetulæ factæ iam sunt, præteritorum dierum, ne dicamus malorum, quando ab alterius vitæ hominibus, non integris virtutum habenis errantes, per deuia ducebamur. Quo de periculo cum clementissimus Deus, per mysterium verbi suaueolentis, & recolendæ memoriæ, beati iam, & religiosi Patris Fratris Bernardini Senensis, nos eripuerit, nihil ambigimus, plurimum penitus interesse inter perniciosa laxamenta nostræ olim abolitæ dissolutionis, ac præsentis integritatis, quam modo auctore Domino possidemus. Quo fit, vt quantum verendum nobis putemus non perniciosam vitam, quam euomuimus, repetamus: tantum summo studio curandum existimemus, ne documentis salutaribus fraudemur, maximè quibus nos Vir Sanctus instituit, cui Dominus coruscis miraculorum luminibus quotidie perhibet testimonium. Ab ipso enim adhuc in carne viuente, ad emendatiorem vitam conuersæ, hoc ad diem istam gubernationis genus accepimus, quod abijcere nefandum putamus, præsertim cum certò sciamus, quantumlibet sanctas fœminas, licet altiorem Religionem professas, nulla penè maiore occasione à vitæ sanctioris proposito funditus concidisse; atque, vt palam est, omnino esse euersas, atque peruersas, nisi quod per incuriam malè eas tutantium, non tam alendæ pastoribus, quam vorandæ lupis, passim expositæ sunt. Petimus ergo, inquiunt, B. P. vt aut scandere ad altiora volentibus, id quod potissimum semper, & optamus, & flagitamus, atque exposcimus, arctior nobis viuendi norma, quam diximus, per tuam clementiam concedatur, quando hoc fieri de-

debere cum ratio consulta, tum veteres Patrum Ecclesiæ sanctiones facilè persuadeant: aut, quod minimum est, ad pristinum gubernationis genus, etiam durioribus præceptis, & sanctæ disciplinæ vinculis arceamur: quamuis infirmæ vt sumus mulierculæ, magis optemus communem illum cum prædijs monasterij viuendi modum faciliorem paritèr exequi, quam altissimum omnium prorsus abdicandarum rerum gradum audeamus expetere. Hæc est cura nostra B. P. quam supplices à Tua Sanctitatæ compleri petimus, ne si in manu aliorum, atque à spirituali vita alienorum traijciamur, minus sancta discentes, perdamus tandem vitam, quam longo iam tempore, Christo authore, laudabiliter viximus. Exposita est à me breuiter sanctarum fœminarum conquestio, atque illarum, vt mihi videtur, magna ex parte rationabilis postulatio, B. P. Doceat te Dominus Iesus Christus, omnium vere Sanctimonialium fęlicissimus sponsus; quid tandem hac in re agere debeas. Ex Mediolano 2. Nonas Iulij 1446.

N O T A.

Huius Epistolæ ac rei totius euentum, & Monasterij historiam narrat Vvaddingus tom. 5. sub anno 1447. nu. 92. & Nicolai Quinti Pontificis diploma inseruit eius tomi regesto pag. 357.

EPISTOLA CXII.

POPVLO BRIXIENSI.

ARGVMENTVM.

Episcopus, duo successiuè Prætores, & Populus Brixiensis omni studio per literas, & nuntios flagitabant Albertum, vt ad eos prædicatum, & ciuiles eorum discordias compositum accedere vellet: sed semper erant obstacula, & nunc noua nata sunt etiam pericula maioris mali quam fructus. Ille propter hæc se etiam nunc à profectione excusat, spem præferens illis ablatis accedendi. Monet interea, vt ipsi rem benè disponant, vt cum veniret, ea facilior esset, & causas dilationis, quas chartis committere non conueniebat, ipsorum nuntio referendas committit.

VSquè adeò magnæ atque periculosæ ad vos veniendi difficultates nuper exortæ sunt, clarissimi ciues, ne præteritas replicem, vt si ipse contra illas frustra conatus, ad vos, vt deuotius flagitatis, omninò perrexero, cum inde fortè aliquid incommodi, vt factu fa-

facillimum est, tandem emerserit, non prouidentis planè solertiæ, sed inconsideratæ temeritatis, potero à rectè sapientibus digna reprehensione coargui. Cumque præuisa pericula, quod est longè grauissimum, pro honestate Religionis, à me vlla ratione palàm dici non debeant; fit profectò, vt me voto dumtaxat, desiderioque præsente, & si absente corpore, vos in illa à me quondam facta, ac gerenda proposita, omni studio diligentiaque conemini; quæ talia reuera sunt, vt ea per alios viros idoneos, ac per vos ipsos, ad maiora perficienda probissimos, Christo adiutore, sine me compleri magna cum sufficientia queant.

Si quando autem cessantibus, quæ nos in præsentia, ne ad vos pergamus, præpediunt, grauioribus causis, tempus vllum rebus agendis commodius, orantibus vobis, pius Deus, vt bona spe esse nos conuenit, aliquando tribuerit, non deero vobis, si vita fuerit comes, quominus vos totos in Domino meos, & præsentia mea, & gratia qua à Christo donati sumus, vberius in Domino consoler. Interim dum venio, instate diligentius cuncto gerendo negotio; ne tùm solum comperiamini aliquatenus de mea voluntate sollieiti, cum me tantum præsentem oculis intuemini: Alioquin non tam amoris erga me vestri dignè laudabimini, quam culpandæ negligentiæ, ac non verè dilectionis merito arguemini: Cœterum quæ restant scribenda, imò, nec scribenda, exponet harum perlator, quem ad me ipsi misistis. Commendo me maioribus, & natu, & auctoritate, & dignitate, omnemque populum, & qui nos in Domino diligunt, opto, & oro cœlesti vberius nobiscum gratia benedici amen. Valete in Christo Iesu D. N. & orate pro nobis. Ex Mediolano Kal. August. 1446.

EPISTOLA CXIII.

ANTONIO CREMONENSI.

ARGVMENTVM.

Antonij sui, quondam in Orientem proficiscentis religiosi, & Christianissimi Socij simplicem, & sinceram confidentiam, qua ipsum fortassis ad patriam suam concitabat, ironia festiuissima deludit. Accessum tamen, & quidem in certum diem, ad aurem nuncio dictum promittit, si nihil interim obstiterit.

O Fortunatos fontes; & felicia flumina, quibus contigit Antonium Cremonensem ceruum minimè omnium nasci: profectò tum verendum fuisset, nè fortè vos totos, ò pluuiæ, ò nimbi, ò què latè affusum Oceanum, ingenti illius siti exhaustos, siccatis venis, vacuos reliquisset, ò beatum illum Ciceronem Romanæ Vrbis illu-

luſtratorem, & eloquentiæ Principem, cuius linguam penè omnes mirantur, *& ſi pectus non ita*: (1) cui quod, niſi fortè Demoſthenes, nullus præripuit, ne eſſet primus orator; cum quo tamen & ipſo Demoſthene, benè quidem, vt ratio poſtulat, actum eſt: ne quis ei in perſuadendi ardore ac viribus præferatur: primaſque in dicendo ac ſcribendo partes ſibi inſolenter vſurpet. Quod certè munus dicendi inſigne, ac flectendi humanos animos, ſi cui mortalium dandum fuiſſet, & ea Antonio Cremonenſi, imprimis meo, fortè ſors adueniſſet. Ieſu bone quid agerem? quo me me verterem? quo me ingenio tuerer? qua deniq; claua illum herculea me tam forti ſtylo aggredientem repellerem? Nam en modo quanta vi, quanta arte ab eo res agitur, quando vix modicè diſertus eſt: quid tunc ageret, cum non modo eloquens, ſed etiam orator, iſque perfectus, ac ſingularis euaſiſſiſſet? ecce modo quantalibet ſit eloquentia tinctus, diſertitudine tamen victos, & ſtylo ſuperatos, ad ſeſe nos conatur attrahere, blanditur, terret, pollicetur, minatur. Illecebroſa proponit, amœna parat, ſpiritualia oſtentat, populorum expectationem denunciat, qui audire nos geſtiant, neceſſitatem ingerit, vt anxium iuuem, vt laboranti ſubueniam, vt fidem ſeruem, ſcandala vitem, ne in via deficiat, neu pereat. Nihil nobis defuturum, neque ad otium, neque ad negotium, dicit adeſſe omnia, domum, locum, gymnaſium, cubile, pomaria, hortulos, ac prata irrigua, & quo me magis alliciat, & ad ſe cito, celeriterque trajiciat, murenulas aureas pollicetur, & declamatorium, ve vocitat, ſolium, quod nos vulgo pulpitum, ſiue ſuggeſtum dicimus, ſæculi autem homines roſtrum appellauerunt. Cui oro te, hæc pollicitatio, non etiam magnam incutiat voluptatem, ſed Epicureo cuipiam, nobis nequaquam. Quos quia ſpirituales homines putat, & Sanctos cum Abraham, ſub arbore repromittit quietem. Quia verò profeſſos Chriſti paupertatem nouit, poma mitia proponit, atque caſtaneas, victum caſtitatis, & parſimoniæ; vt tandem nullo genere nobis, quod optat, non perſuadeat, non extorqueat. Ego mi Antoni, vt ad te ſermonem conuertam, modo, quem voles, ſiue ſpiritualem, ſiue carnalem, abs te verò victum me fateor. Viciſti enim nos Cicero, ait Cæſar; & ne me hominem arbitreris inexorabilem, ad te conuolans venio, cum primum potero, ſi tamen non ſe aliquid impedimenti (quod ſcio dicis abſit) noſtro propoſito importunè immiſceat. Dies autem condicta profectionis ad te noſtræ huic perlatori comperta eſt. Interim tuo ſtatu, & opera parentur abs te noualia, ideſt, arentur corda aratro illo eloquentiæ tuæ terrificæ, ſimul blanditioſi leporis, cum opus eſt, ſuper quo iacta per nos poſtea, vt expetis, Chriſti ſemina, & tricenos, & ſexagenos fructus, atque centenos incremento Dominico lætis frugibus afferant. Vale ex Mediolano 11. Aug. 1446.

NO-

N O T A.

Et si pectus non ita. Familiare huic Beato viro est, dum Ethnicos, aut Schismaticos aliqua ex parte laudat, illam excipere, qua laudandi non sunt: sic hoc loco Ciceronis eloquentiam extollit, sed Ethnicum, & fide Christi vacuum pectus excipit.

EPISTOLA CXIV.

EPISCOPO FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Hoc anno 1446. *die* 24. *Iulij obijt in Domino B. Ioannes Tauellius à Tossiniano, ex Ordine Iesuatorum, Episcopus Ferrariensis, Vir Sanctissimus, cui, vt acta consistorialia me docent*, 6. *Id. Augusti Romæ suffectus est Franciscus à Padua, Thesaurarius Pontificis, quem Vghellus de ligamine cognominat: atque hic apud se reputans optimam boni regiminis dispositionem fore, si Albertus per sequentem Quadragesimam Populum Ferrariensem sermonibus erudiret, per literas Romæ die* 21. *Octobris datas, vt id faceret, enixe rogauit. Venturum se rescribit Albertus, & hac occasione Franciscum ad onus Episcopale pro dignitate ferendum hortatur, proposito ipsius immediati prædecessoris exemplo, multisque alijs ad rem pertinentibus, qua monitione non obtusum stimulum addidisse credendum est ei admirandæ mutationi vitæ, quam refert Vghellus, cum dicit Franciscum ex licentiosa vitæ ratione, repente Spiritus Sancti gratia, cunctis admirantibus, in virum optimum mutatum fuisse, inæstimabilis bonitatis, magnæque existimationis præsulem euasisse: adeoque Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. & Pio III. Pontificibus eximiè charum fuisse.*

AVdiueram iam pridem quod tuas ad me dares, Francisce præstantissime, atq; ex amico quondam, nunc, quod libens dico, & amice & Pater, non parua omnium admiratione, te factum esse Episcopum. Opus sanè arduum, atque difficile, & si bonum olim ad desiderandum, nunc vero, & ad optandum temerarium, & ad administrandum periculosum est, cum pondera quidem rerum vrgentium nostra quam priscorum maiora sint, atque ea vtinam salutaria, sed vigor spiritus adiuuantis, à feruore Sanctorum Patrum tepescens, vt non dicam nullus, certe exilior factus est, &, vt noster Hieronymus de temporibus suis queritur, quæ & fęces vocat; nostra verò quæ appellentur? semper Ecclesia quanto potentia & diuitijs creuit, tanto virtutibus minor fuit. Quis ergo ad tantæ molis, id est, ingentis dignitatis altissimam

turrim ædificandam, ſumprus, vt par eſt, iuxta veritatis ſententiam idoneos afferat: ne tandem, & præſumptæ temeritatis iacturam luat, & à ſpectantibus contumelioſè illuſus merito irrideatur. Quo fit, vt Epiſcopatus opus, opus inquam, non otium, quod dudum præclarum in Pontificibus, qui primi ad necem rapiebantur, martyrij decus ſacrabat, & pretioſa pro Chriſto Sanctorum Epiſcoporum mors, inſigne ac ſplendidum faciebat; id ipſum modo non tam durum ad exhibendum effectum ſit, quam miſerum ad optandum, quandoquidem pro moribus noſtræ huiuſce tempeſtatis, eo res tanta deuenerit, imo collapſa atque euerſa ſit, vt aut omnes bonos malitia temporum ab hoc onere ſubeundo deterreat, aut malos magnitudo ponderis atterat, aut vtroſque viribus impares, ſumma cum iactura, & dignitatis & perſonarum excipiat. Quo enim pacto, vt cætera ſileam, corruptos emendatura eſt dignitas tanti honoris, in qua, & per peccandi licentiam, & per poteſtatis inſolentiam, & per occaſionum illecebroſa fomenta atque irritamenta, vix raros integros ſeruat. Ego tamen, Franciſce, Pater, ciuitati Ferrarienſi pro te Præſule valde congratulor, quæ te meruit habere Antiſtitem, quem ipſum longè ante plerique ad maiora tollendum, ſiue ſuſpirabant, ſiue ſperabant. Itaque, vt ante prædixi, non parua omnium, qui te nouere, admiratio fuit, te illi tributum fuiſſe honori, qui grandiora de te futura vaticinabantur. Tibi tamen à puero in Eccleſia, atque in conſpectu Pontificis maximi educato, in tantis temporum iniquitatibus, non parua felicitas eſt, te inter cæteras Chriſtiani Orbis Eccleſias illi præſertim iam eſſe Prælatum, in qua nuper, in pace defunctus, tam Sanctæ memoriæ Epiſcopus, diu laudabiliter præfuit: qui tibi, & pro ætate magiſterio, & pro ſanctitate exemplo, & pro meritis, ac factorum claritate incitamento futurus ſit: Vt tibi non modo diligenter curandum exiſtimem, quo nitaris apud quoſque Sanctum atque egregium virum, verùm etiam, vt Chriſto authore, coneris præceſſorem tuum ſuperare, virtute vincere, meritis, & rectè factorum gloria illi præſtare: quem, vt pudor erit, quod abſit, permaximus, ſi ab illo deciſces, ità quoque, incomparabilis, & gloria, & corona, ſi illum re, ſi æſtimatione, ſi gratia ſuperabis: ſi quidem non ſum neſcius nihil, & tibi, & cuiquam hominum, aut meriti, aut honoris poſſe clarius obuenire, quam ſi non dico aſſequare, quod præcipuum eſt, ſed ſi vel dedita opera magnorum in Domino ſtudia, laudem, & gloriam ęmuleris: quoniam profectò ea res eſt, quæ & ſi nos ad ſumnia non peruehat, ac præcellentibus virtutibus dedat, certè & ab imis eripiat, & à turpibus, ac perditis ſceleratorum hominum moribus auocet. Quæ ſanè omnia, vt cumulo tibi proueniant, ſicut voto, ſicut oratione ad Deum; ita quoque, vt poſtulas, meo ſatu, imò Chriſti munere, quod quidem attinet ad miniſterium verbi Dei, in futura Quadrageſima te lubens, ac tuum populum, adiuuare conabor. Quid eſt enim, quod tibi tanta hilaritate, atque inſtantia, & tam honeſtum negotium poſtulanti, niſi impudenter negare queam, qui potes, & pro iure amicitiæ paucis impetrare, & pro

reuerentia Pontificij apertè iubere: Equidem enitar commodo tempore me tuo populo exhibere. Tu si aderis præsens, magno mihi solatio futurus es. Sin minus, Leonellus ille Marchio Illustris, tam diu meus, pro te mihi erit, quod solet: Bonum tamen arbitror, vt quæ commoda putabo, à tuis tua in Ecclesia fiant pro Verbi Domini fructu cumulatiore liberius augendo. Vale mi Pater, nec sus putetur docuisse Mineruam, sed amicus, amicum familiariter monuisse: Sanctissimo D. N. me commendabis, quàm pro eximia eius dignatione illius maiestatem mea decet humilitas, ex Papia 17. Nouembris cum tuas recepissem hesterno die, Romæ datas ad 21. Octob. 1446.

EPISTOLA CXV.

GVARINO VERONENSI.

ARGVMENTVM.

Incolumitatem suam, & futurum post Festa Natalia Christi, Ferrariam accessum, Guarino Veronensi præceptori denuntiat, cuius pignora mittit noui Ferrariensis Episcopi, & suarum ad hunc literarum exempla, Leonello Marchioni & ipsi Guarino legenda, sibique in aduentum studiosè seruanda.

VT, quod scio, peroptas, præceptor insignis, quid de nobis agatur, noris, & quod præterea vita, & sanitate comite, & Christo authore, facturi simus, breuibus accipe. Ticinum nos tenet, nec inde diuelli fas est, antequam Natalis Domini religiosa solemnia celebrentur: deinde ad vos, quam celeri poterimus itinere, *aut terra, aut mari* (1) pergemus. Ita nos, & Summus Antistes, *vestro, vt arbitror, astu* (2) (te intueor, & Leonellum) ante hoc semestre fieri iussit, & nuper designatus Præsul Ferrariensis, magno hortatu literarum suarum, ad diligentiam Sancti præcessoris, quem in Domino defunctum reor, adijcens, à nobis facile exorauit. Cuius ad me literas, & item ad eum nostras tanquam vades nostræ ad vos profectionis, & Illustri Marchioni, & tibi legendas diligentius mitto, & tu illas, quo ad venerimus, omni studio custodiendas, reddendasque seruabis. Vale, nostri ætate memor, & si id tibi suggerit amor, aliquid ad nos scribito. Ex *Papia* 1446.

N O T AE.

Nota I.

Aut terra aut mari. Inter Ticinum, seu Papiam, & Ferrariam Mare nullum proprie dictum est, sed Padus Pluuius, Ticino in Adriaticum mare diffluens, Ferrariam præterlabitur: ergo fluuiatile nauigium per maririmum iter intelligit: mare enim significat quamcumque congregationem aquarum.

No-

Nota II.

Veſtro, vt arbitror, aſtu. Leonellus nimirum & Guarinus Albertum per omnem modum habere voluerunt, qui proinde omnem hunc mouerunt lapidem, vt & Primadirius ordinis Præfectus, ac defunctus, nouiterq; electus Epiſcopus, & ipſe ſupremus Antiſtes Eugenius ipſum ad Ferrarienſem profectionem hortaretur, quorum vel nutus Alberto, pro religioſiſſima ſua conſuetudine, in præceptus fuit.

Nota III.

Papiæ 1446. Non ſignatur dies menſis, quoniam ex altera ad Epiſcopum ſatis intelligitur quæ ſimul cum iſta & ſcripta & miſſa fuit, hoc eſt 17. Nouembris Ticino ſeu Papia, quæ eadem eſt.

EPISTOLA CXVI.

ANTONIO RAVDENSI.

ARGVMENTVM.

Epiſtolam debitam, promiſſamque repoſcit, & biennale ſilentium amica obiurgatione caſtigat.

SI Epiſtolam ad me tuam, Raudenſis Pater, quam iam toties, & ſi fruſtra, pro me abs te iure repoſco, nunc tandem aliquando per harum baiulos, licet cum detrimento tui pudoris, nequaquam cito reddideris, profectò meæ negligentiæ ſit, imò potius læſi amoris erga te mei, ſi non illam deinceps veluti clauam quandam herculeam, quæ omni mihi aduerſum te & iuſtitia & ratione debetur, non tam negando, quam carpendo per acerbiora conuitia, mihi ab inuito te, tanquam Hercule de manibus conſertis extorquere curabo. Atqui id ego pro meo æquo iure, probantibus æquis iudicibus, & rectè, & ſapienter efficiam; quandoquidem tu mihi illam interdum, nec roganti, fueras ſuperiore anno tua ſponte pollicitus. Quod certè cum violata fide minus impleueris; conſiderandum tibi non negligenter exiſtimaui, cuius ſit humanitatis, ne dicam virtutis, vt mihi tam amicè, atque ante hoc fermè biennium, tibi primum ſcribenti, ne tres apices quidem vnquam reſponderis. Neque enim podagrę valetudinem amplius obtendere potes, qui mihi à pleriſque aut quotidie ſulcare longiora domorum ſpatia inſimularis; clauſtra dico, & amplas porticus, aut firmius aſtare *fauci illi* (1) horrendæ, qua cornicularum, vt ſoleo dicere, ſiue mihi coruorum, infeſtior aditus promiſcuè frequentatur. Sed tu fortè per anguſtiam temporis te ab accuſatione purgabis. At verò *biennium iam agitur*, (2) quo noſtra tibi epiſtola reddita eſt: Num occupationes tuas pro dilutione mihi obijcies; at tu, vt ſcio, otioſiſſimus es. Itaque vel negligentiam liberè accuſabis tuam, vel Epiſtolâ me tuâ illa, pro qua dura quidem,

ſed debita apud me ſponſione obſtrictus es, libens non inuitus placabis, ſedabis, lenies; ni, quod poſtremum ſummopere tibi cauendum eſt, alteram meam aſperiorem expectabis epiſtolam, meritò tui obiurgatricem, qui haud quaquam ſuperiorem tam dulciter tui exhortatricem exaudire dignatus es, vtrum vitio tuo, an conuitio noſtro, tu cenſeas. Vale & nos ama, quia nos te in Domino diligimus. Ex Papia 22. Nouembris 1446.

N O T AE.

Nota I.

Fauci illi. Aditum aliquem, ſeu feneſtram cœnobij intelligere videtur, coruis, vel corniculis peruiam, ad quem Antonius Senex, & valetudinarius captandæ fortaſſis auræ cauſa perſiſtere ſolebat.

Nota II.

Biennium iam agitur. Non dixit biennium iam eſt, ſed biennium agitur, ſeu vt ſupra dixit, ante hoc fermè biennium. Priores enim Alberti ad Antonium vltimo Iunij anno 1445. datæ fuerunt, & præſentes 22. Nouembris anni ſequentis: erat ergo menſis ferè abſumptus decimus ſeptimus, in quo non eſt completus, ſed agebatur annus ſecundus, quo prima Epiſtola Antonio reddita fuit, accipit ergo partem pro toto.

EPISTOLA CXVII.

FRANCISCO BARBARO VENETO.

ARGVMENTVM.

Beatus Albertus octo iam annos à Brixianis flagitatus, vt pacem diſſidentibus ciuibus allaturus accederet, varijs obſtaculis inter ea prepeditus, nunc tandem opportunius venit, concionatus eſt, & pacis pacta firmauit. Quæ ciuium Primores cupiebant Senatus Veneti decreto perennari. Quod vt fieret, Albertus per hanc Epiſtolam aduocat Barbari auxilium.

ANnus octauus nunc agitur, humaniſſime Barbare, ſi non me fallit opinio, quo me tunc Præſes Brixienſis ſummo illuc ſtudio vocare curaſti, vt populum, & homines, quos bellicoſiſſimos nominabas, & vt quiſquam adijceret, periculoſa ſimultate inuicem diſſidentes, ad pacis atque concordiæ vnitatem, noſtro quidem ſatu, ſed Dei incremento, per Euangelica documenta reuocaremus. Verum quod intercepto itinere noſtro, eo tempore fieri per varias occaſiones non potuit, idipſum in hanc diem Chriſti Domini miranda ſapientia ſalubriter diſtulit.

Et

Et ecce in his penè omnibus, qui maiores ciuitatis & natu, & autohritate habentur, vt miraculum præſtantius putes, is animus diuinitùs, atque ea mens eſt, vt omnes præter reprobos, qui perpauci ſunt, cum fratribus conciliari vehementiſſimè expetant: ſed ne aliquando ipſa malitia paucorum coactos ſemel in amicitiam per inſolentiam ac leuitatem diſpertiatur, optant, vt Veneti Senatus Conſulto, quæ maiore ex parte ſtatuerint, immortalis firmitatis ſententia roborari. Oro igitur te, vt honeſtiſſimæ cauſæ tanti ponderis velis adeſſe, quam iſte perlator, qui tibi, vt aſſerit, notiſſimus eſt, diligentius explicabit. Vale ex Brixia 5. Idus Ianuarij 1446.

EPISTOLA CXVIII.

FRATRI LVDOVICO VICENTINO. (1)

ARGVMENTVM.

Ludouicus hoc tempore, etſi iuuenis, neſcio ad quod ordinis officium præter ſpem euectus eſt, in quo, & viros, & fœminas regere debuit: Albertus congratulatur ipſi promotionem, &, arrepta ex ipſius literis occaſione, caſtitatis cultum in eo laudat, eiuſque diligentiſſimam cuſtodiam pluribus ſuadet.

MAgnam mihi iucunditatem attulit Antonij noſtri inſperatus aduentus, Ludouice fili dilectiſſime, imo ex filio iam, per aſcenſum prælationis, pater: Cuius gradus honoris præter ſpem omnium, ac præſertim meam, celeriter quidem, vtinam etiam ſalubriter, ſcandens, eo ſtatim peruectus es, vt te mecum plerique filij, filiæque parentem ſuauiſſimum arbitrentur: Sed illud tibi inter hæc ſummopere puto perſpiciendum, vt cures ſemper ſpirituales filios aggregare. Contra vero cautiſſimè caueas, ne, quod abſit, per alicuius malè liberæ auctoritatis inſolentiam, atque incuriam, auctore omnis mali fallente, & ſatore prurientis libidinis flatu inſani amoris incendente, & pater in virum, & filiæ vertantur in coniuges, imò vero vtrique potius in adulteros; ſcio te mecum in Epiſtola tua voluiſſe paulùlum verbis ludere, ſed verè amantis metu non parum vereri me fateor, ne fortè in occaſione licentiæ inimicus nobis aliquando conaretur illudere. Si is es, qui mecum olim eſſe ſolebas, noui te intus, vt aiunt, & in cute caſtiſſimum. Quæ res in adoleſcente meo adeò mihi ſemper, de Chriſti munere, miraculo fuit, vt vel hæc ſola cauſa te magis amauerim continentem, quo Dominum legimus, & Virginem, & Apoſtolum dilexiſſe Ioannem. Vides in hac cauſa latiſſimum, & iucundiſſimum magnæ, atque diſertæ orationis campum: verùm quia tu eo genere exhortatio-

nis,

nis, Deo authore, non indiges, & ego celeris profectionis Antonij, & vocantis nos iam ad pulpitum populi angustijs coarctatus, plura dictare non possum, hoc te solum solertissimi parentis affectu diligenter admoneo, vt si vis tibi indies augeri sapientiam, ad quam flagras, seruari nitorem famæ, conflari animæ tuæ salutem, &, quod ad rem maximè attinet, tutam esse adolescientiæ, & omnis ætatis, & temporis castimoniam, nullam omnino fœminam, neque consilij, neque Sacramenti, multoque magis, neque tormenti, hoc est, tentationis vllius occasione vllo tempore colloquaris. Tædet me finis: Sed cum plura nequeam, pauca ista sufficiant, ac vale. Ex Brixia 18. Ianuarij 1446.

N O T A.

Ludouico Vicentino. Tantus vir inde fuit Ludouicus, vt præcipuas Franciscanæ familiæ Regularis Obseruantiæ dignitates in partibus Cismontanis obtinuerit: Nuntius Apostolicus pro bello sacro, Generalis eiusdem familiæ Vicarius, iterumque Nuntius, perpetuusq; Bohemiæ, & Poloniæ Prouinciarum Commissarius, & Vicarius Candiæ fuit, quæ vltima ipsius in Annalibus nostris mentio est.

EPISTOLA CXIX.

FLAVIO BLONDO.

ARGVMENTVM.

Dum B. Albertus Ciues Brixienses quotidianis sermonibus à diffidijs ad concordiam, & pacis pacta conuerteret, ijsdem sermonibus effecit, vt vltra quinquaginta honestæ fœminæ religionis propositum conceperint, suaque industria fecit, vt ipsa Ciuitas construendi Monsterij locum, & necessarios vitæ sumptus illis constitueret: Sed quoniam erectio Monasterij, & aliarum Ecclesiarum bona illis assignata subsistere sine authoritate Apostolica non poterant, missis duobus fratribus, hanc Epistolam ad Blondum, tunc Pontifici à secretis, dedit, rogans vt Fratribus ad rem perficiendam, ac obtinendum diploma assisteret, quod pro ipsius reuerentia, & causæ bonitate facile factum fuit. Rem narrat Vvaddingus tom. 5. ad annum 1446. num.24. vbi hanc Epistolam integram descripsit.

LIcet pleraque *tot iam per annos explorata beneuolentiæ argumenta* (1) facilè me docuerint Blonde frater, quantam ad rectè gerendæ vitæ studia (si quis ad ea flagrat) fauore mirabili soleas adhibere solertiam, atque ideò non opus habeas, cum honesta exposceris, vllis

lis ad ea explenda exhortationis noſtrę calcaribus incitari; non deſinam tamen rem tibi periucundam breui exponere, cuius ſobria voluptate caſtè affectus, agas etiam iucundius, quod acturus fuiſſes longe minore occaſione, ſine vllo dubio feſtinantius, & quidem quod attinet ad ſacræ Deo pudicitiæ grande propoſitum, vt quod dicere inſtitui, explicem, nequaquam paucæ populi Brixienſis (quem quotidie commoneo, quam bene hic viuant, vt poſt hanc vitam viuere illos etiam beatè contingat) cum nobiles, & graues, tum vero caſtiſſimæ *ad quinquaginta & eo amplius* (2) fœminæ ſe ſe Domino feruentius deuouerunt, quæ & ipſæ ſpiritu ſublimiore perfuſæ, & vt bona ſpe eſſe nos conuenit, *maiore in dies Dei gratia imbuendæ, cupiunt* (3) terrenis facultatibus, & illecebris abdicatis, quo cœleſtia poſtremo ſalaria ſibi conquirant, vno in loco à ſeculo tumultuante concluſę, Chriſto tam Sponſo quam Domino, ſub inſigni titulo S. Claræ, ſincerитèr militare. Verum quia id niſi Apoſtolica auctoritate prælata non queunt efficere, mitto in præſentia ad Sanctitatem Eugenij Papæ beatiſſimi duos fratres, vt illius præſidio fructuoſa in futurum opera pariant, quæ corde, & animo hactenus propoſitum pepererunt. Quare maiorem in modum, atque id imprimis, Blonde Flaui, abs te peto, vt ſolitum erga nos ſtudium tuum, pro iure communis beneuolentiæ noſtræ, etiam illis adhibeas, nè vlla diuturnioris moræ noxia tandem & cauſæ & nobis intercapedo illud fortè efficiat, vt ſe tam honeſtæ rei aliqua ex parte culpanda negligentia intermiſceat, quo fiat vt negotium, de quo ſcribimus, tardius expeditum, damnoſa iactura longius protrahatur. Vale in Domino ex Brixia 20. Ianuarij 1446.

NOTAE.

Nota I.

Tot iam per annos exploratæ beneuolentiæ argumenta. Hæc profecto tot annorum beneuolentiæ Blondi in Albertum argumenta ſine mutuis literis præſtita credere non poſſum: ſed & iſtæ nobis deſunt, forſitan quia familiares neglectę, præter hanc ſolam, quam exhibemus: Albertus enim tam multa habuit in aula tam ordinis quam Eccleſiæ negotia, & Blondus interim Pontifici à Secretis fuit, cui propterea tam beneuolo videtur oportuiſſe plura commendari, quod amplius indicare videtur illud, *non deſinam tamen*: quaſi viſitatas commendationes proſequi porrò velle videretur, non enim niſi à re ſaltem inchoata deſinimus. Sed per multos annos iam continuata argumenta ſuperius, & pleraque affirmat, atq; inferius *ſolitum ex me ſtudium tuum*. Hanc certè beneuolentiam ſuam Blondus ipſe ſignificauit ea Alberti memoria, quam inter teſtimonia poſt vitam ex ipſo deſcripſimus.

Nota II.

Ad quinquaginta & eo amplius. Si tot nobiles, graues, & caſtiſſimas, vt ipſe loquitur, fęminas, paucis diebus, in vna ciuitate, à ſeculi voluptatibus, & illecebris, ad religioſam, & monaſticam vitam adducit, quis eorum vtriuſque ſexus numerum cenſebit,

quos

quos per tot annos, in plerisque, & præcipuis vrbibus conuertit? quos plurimos fuisse, vitæ eius historici commemorant.

Nota III.

Maiore in dies Dei gratia imbuendæ cupiunt. Iam in B. Alberti vita notauimus harum numerum, iuxta Beati Viri spem, adeò creuisse, vt anno sequenti nouum illis monasterium, seu secundum erigendum fuerit, de quo eo anno Vvaddingus.

EPISTOLA CXX.

D. MATTHÆO CVBICVLARIO APOSTOLICO.

ARGVMENTVM.

Eandem superioris Epistolæ causam commendat.

Circumuallatus negotiorum Sanctorum agminibus, quibus, Christi munere, pro virili meo quotidie catholicis populis, quamuis negligenter, deseruio, non possum tibi Matthæe suauissime, & honorabilis Pater, multa dictare. Quod & ipsum, si possem, superfluum arbitrarer, sicut enim opto, & oro, vt credas etiam sine literis, non te à me diligi minus, ita de tuo in me amore mihi facile persuadeo. Quare quia amanti satis est indicasse, quod cupias; Ecce nunc duo è fratribus, & socijs nostris, ad S. D. Nostri pedes se conferunt, pro augmento Religionis honesta quædam à Sancta Sede postulaturi. Quibus expediendis, oro te, curam adhibeas, vt solatia tribuas, quæ nobis præsentibus illa humanitate, quam tenes, adhibere solebas, simulque vellem pro amicitiæ nostræ tanquam de pluuia charitatis perfusione, vt aliquando quippiam ad me scribere dulcedinem tuam nulla ratione pigeret. Crede præterea harum latoribus Io. & Mi. suauibus viris, qui ad te veniunt à nobis missi, de omnibus plenius informati. Vale amantissime Pater, nec cures ineptos apices, cum charitas erga te mea pulcherrima sit. Ex Brixia noctu, ac summa celeritate 20. Ian. 1446.

EPISTOLA CXXI.

BEATISSIMO PAPÆ EVGENIO.

ARGVMENTVM.

Id ipsum, quod expediendum Blondo & Matthæo commendauit, & suo & Religionis, & Episcopi, & Ciuium Brixiensium nominibus à Pontifice petit.

Ter-

TErnas iam extra iſtas B.P. vno interim anno, ad S. Tuam literas exaraui: Nunc verò, vt paulò ante per epiſtolam eram pollicitus, (1) communi quidem ſententia, & Pater qui præſidet huic Chriſti familiolæ,(2) & ego ad S.B.T. pedes mittimus duos fratres, te humiliter & inſtanter in augumentum Religionis exoraturos, vt poſtulantes Brixienſes, vt deditas Deo fœminas, vt poſtremo nos filios S. T. qui labores multos in hac cauſa pro Chriſto ſumus perpeſſi, pontificalis clementiæ pietate perfundas, atque illa celeriter præſidia exoptantibus conferas; quibus Sanctæ continentiæ decus ſublimiter efferatur, & conſtructo tua, ideſt Apoſtolica auctoritate, celebriore Monaſterio Beatiſſimam Claram, vt S. Franciſcum taceam, nouis tibi beneficijs obliges. Cum Chriſto Regi offeri poſt eam, atque in Dei templum adduci iuſſeris, ſiue intemeratæ Virginitatis vernantia floribus caſtimoniæ germina, quæ tanquam in horto concluſo ſignaculum virginitatis, & clauſtrum integritatis cuſtodiant, ſiue viduas grauitate pollentes, quæ velut in campis ſyluæ requieſcentes ab æſtu incontinentiæ, documento ſancti pudoris ipſis virginibus magiſterium ſeruandæ integritatis exhibeant. Ad hoc autem bonum facilius in gloriam Domini conſummandum, non minima authoritate accedit cura & deſiderium Epiſcopi Brixienſis, quemadmodum ex eius literis poterit tua Sanctitas peruidere. Oro itaque, imò oramus B.T. vt vota honeſtiora exaudias, quæ harum latores, è quibus vnus comes & Socius nobis eſt, ne S. T. nimium oneremus, latius explicabunt; accepta à nobis formula, ſiue vt dicitur inſtructione omnium dicendorum. Quibus S.T. cuncta noſtro nomine referentibus, dignatione ſolita, & acquieſcet, & credet. Dominus te tueatur omnipotens B.P. Ex Brixia 20.Ian.1446.

N O T A.

Nota I.

Ternas iam extra iſtas, & poſt *paulo ante per Epiſtolam eram pollicitus*. Binas tantum hoc anno ab Alberto ad Pontificē ſcriptas exhibuimus; nam tertiam illā extra iſtas non vidimus.

Nota II.

Qui præſidet huic Chriſti familiolæ. Iacobum Primadicium intelligit, Ciſmontanæ familiæ Regularis Obſeruantiæ Vicarium generalem.

EPISTOLA CXXII.

FRATRI IOANNI CAPISTRANENSI.

ARGVMENTVM.

Idem negotium noui Monaſterij Brixienſis commendat: aliquas moleſtias patienti condolet, opemq; ſuam, ſi quam vtilem exiſtimet, liberaliter offert.

Ex Mediolano & Bergamo *sæpius ad te scripsi*, (1) optime Pater, nec tamen huc vsque responsum merui. Nunc autem ex Brixia scribo, quo me instanter, & Episcopus, & populus attraxerunt. Venit ad S.D.N. & ad tuam Paternitatem socius noster Fr. Io: harum perlator, & tibi, vt scio, notissimus, cuius cum plenè comperta sint omnia, quæ pro Dei honore percupio, eique commiserim, vt te auctore cuncta perficiat, non opus arbitror, vt te verbis plurimis onerem, cum causis durioribus pergrauatum nuper doluerim: Fuit enim ante paucos dies certioribus nuntijs ad me certo perlatum, grauari te nonnullorum insolentia, qui tibi nescio qua temeritate, siue errore pertinacius *in tua gubernatione resistunt*. (2) Quod ego, verè loquor, cum grauissimè tulerim, simul condolui, orans nunc te, vt si de mea paruitate putas vllo pacto posse tibi leuari molestiam, pro tuæ in me iure prælationis vtaris, si qua in re me æstimes posse te aliquatenus consolari. Non laboro rogare te, vt apostolica, & tua præsidia in re Christi nobis mittere non graueris, cum hoc te facturum, & spes mea, & diligentia narrantis mihi facile persuadeant: Cui oro te, sicut fidem, ita quoque curam adhibere non cesses, quo celerius ad nos, fauore fretus idoneo, reuertatur. Vale & ora pro nobis Venerabilis Pater, ex Brixia summa celeritate, *Amantissima vetula mea*, (3) Antonius Cremonensis se valde tibi commendat, & offert & subijcit. Die 20. Ian. 1446.

NOTAE.

Nota I.

Sæpius ad te scripsi. Nec istas habemus.

Nota II.

Tibi in tua gubernatione resistunt. Præterita Pentecoste resignauit Capistranus officium Vicariatus generalis familiæ Cismontanæ: suffectus est ipsi Iacobus Primadicius. Ille, cum Albertus hanc Epistolam dedisset, Romæ fuit, vbi commendatum negotium apud Pontificem vrgere posset. Quam verò gubernationem hoc tempore habuerit, in qua resistentiam pateretur, non reperio. Vvaddingus tom. 5. ad annum 1446. num. 12 ait, cum officio Vicarij Generalis liberum, ab Eugenio Pontifice ad diuersas mundi partes, præsertim in Galliam, sedis Apostolicæ grauia negotia cum Regibus & Principibus tractatum, Nuntium misisse, & quidem ante diem primam Octobris in Galliam appulisse constat ex literis salui conductus, & Cardinale nostro Fuxensi eo die ipsi ibi traditis, quas eo annalium loco descripsit Vvaddingus; reuertisse verò in Italiam ante mortem Eugenij quæ fuit 7. Kal. Martij seu 23 Februar. constat, tùm ex hac ipsa Epistola Alberti 20. Ianuar. data; tum ex eo quod narrat Vvaddingus anno 1447. num. 6. Capistranensem tempore mortis Eugenij habuisse conciones Quadragesimales in Vrbe Aquilana, sed nullum ordinis guberniuin habuisse legitur. Ergo vel commissio aliqua particularis fuit, quæ mihi nondum innotuit, vel Albertus loquitur de turbis generalibus, quorundam subterfugientium obedire mandatis Vicariorum obseruantiæ, quæ ad Capistranum tunc aliter non pertine-

nebant quam ex perpetuo zelo & cura, quam semper gerebat illius familiæ, & obseruantiæ regularis conseruandæ, & promouendæ, de quibus turbis extat Eugenij diploma apud Vvaddingum anno 1447.num.2.

Nota III.

Amantissima vetula mea. Sic vocat Antonium Cremonensem, cuius finceram simplicitatem, per literas à nobis exhibitas, amanter & confidenter antè deludebat.

EPISTOLA CXXIII.

LEONELLO MARCHIONI FERRARIENSI.

ARGVMENTVM.

Humaniter sed prudenter intercedit pro cuiusdam amici minùs, vt videtur, prudenti desiderio.

ANgimur aliquando, vt optimè nosti Leonelle illustris Princeps, etiam illis causis acquiescere, quæ nobis persæpè molestæ sunt, cum putamus eas fore in re sua amicis commode opportunas. Licet enim à nostro proposito prorsus abhorreant, quia tamen his, quos diligimus, turpes non sunt, humanitas ipsa nobis facile persuadet, quominus eas postulantibus nos, vt duri homines faciunt, exibeamus inexorabiles. Quapropter Iac. quidam Ciuis Brixien. cognomento Cuchensis, in eis, qui nos diligunt, non postremus, me orauit; vt ad te scriberem, quem arbitratur mihi, vt verissimè se res habet, amicitiæ charitate deuinctum, quo tuo præsidio in tua Prouincia aliqua illi liceant, quæ tibi fideliter referet harum baiulus literarum. Tu modo videto, quid te deceat, quid illi honestè conducat, ac pro tua sapientia, & clementer, & iustè cuncta decernito. Commendo me Patri Episcopo, communique Præceptori; & amicos per tuam mansuetudinem amanter ac diligenter saluto. Gratissimum mihi esset ex tua ac Guarini manu, vel tres apices beneuolentiæ vestrę iucundis oculis expectare. Vale ex Brixia 21. Ianu. 1446.

EPISTOLA CXXIV.

PAVLO ROMANO COMMVNIS RELIGIONIS.

ARGVMENTVM.

Paulus, tanquam ab Alberto læsus, questus est, propterea quod hic aduersus fratrem quendam scandalosæ conuersationis ad Religiosos amicos,

cos, qui hominem pro ipsorum charitate monerent, & ad superiores, qui pro authoritate compescerent, aliquid Seuerius conscripserit. Albertus Pauli imprimis Apostoli locum opponit, quo corripiendos insolentes persuadet, eumque egregiè explicat, suæque causæ iustitiam tota oratione tuetur: in qua neruos & ossa eloquentiæ pulchrè, & ornatè compacta exhibet. Propositum deinceps multa, solidaque ratione, sacri codicis documentis, exemplisque ex Sanctorum Patrum authoritate confirmat, præsertim Hieronymi, cuius acrimoniam in reprehendendis vitijs fusè, fortiterque tuetur, & laudat: Hinc obijcendum fortè sibi fraternæ correctionis ordinem præoccupans, eum etiam iubente charitate, non semper obseruandum doctè demonstrat. Nec satis ad omittendam increpationem, si qui increpari debent, præsertim cum publicè peccauerint, quòd emendationem pre se ferre videantur, vt quorum doctrina multo plus nocet, si cum vitæ munditia Sanctimoniæ morum fama non adsit. Demum reprehensò illi modo vel emendatus sit, vel se emendaturus, omnem fælicitatem exoptat, suamq; beneuolentiam & offert & promittit. Hortatur tamen vt post tot præbita male actæ vitæ scandala, populum publicè docendi munere abstineat, ne & sibi & melioribus magistris noceat, & Religionis Sanctitatem, in opprobrium; & verbum Dei in risum, contemptumq; populorum conuertat: idquè illi non facile permittendum suadet.

CVm Apostolus Paulus, qui & Magister gentium eximius, & Romanæ quoque vrbis Ciuis clarissimus erat, quamuis Tarso Ciliciæ natus, (ò tu itidem & Romane, & Paule, vtinam etiam pari sorte, tandem aliquando, & Iesu Christi Apostole, & gentium perditarum didascale) Thessalonicam amplissimam Macedoniæ Ciuitatem, ad morum Christianorum, & vitæ normam religiosissimam instituerет; potissimum arcentis disciplinæ salutaria fundamenta, mixta decenter mansuetudine, & iacere, & firmare curauit. Inter magnorum verò documentorum præclara præcepta, quibus ad cohibendam peccantium insolentiam, credentes in Christo suos filios imbuebat, ea ad nostram causam vel præcipua sunt, vbi illos hunc in modum clementia parentis hortatus est. *Rogamus vos fratres corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes:* Quæ quatuor sublimiora sapientiæ Apostolicę sensa, quum à nobis per omnem epistolam sparsim tractanda sint; præsertim tamen fert animus, debere nos in primo omnium, tanquam simul præsentes colloqueremur, specialiter immorari.

Mirari itaque imprimis apud te, Paule Frater, satis non non possum, quum te queraris vehementius à me læsum, vt Antonius noster Parmensis locuples testis est; propterea *quod quædam in fratrem illum*, (1) communem quidem, sed olim perniciosè nimis ac diutius (tribuat Dominus ne & nunc) à Religionis itinere aberrantem, ad familiarissimos scripserim, quæ tu ipsa, vt aiunt, videris statuisse, velut maledica, æquo animo ferri non oportere. Super

qua-

qua interim tua non satis æqua, & vt mihi magis videtur, iniusta certè omni ex parte conquestione, quo ad ista scripta nostra susceperis, Antonium meum, modo ad te proficiscentem, patronum constitui; qui me tibi, veritate certissima fretus diligentius satisfaciens, cum non rectè exagitato, tum falso lamentanti conciliet: cui si, vt debebis, assenties, videbis nihil à me factum, quod non à quolibet Sancto & sapiente viro fieri sine reprehensione, imò cum laude, & possit, & debeat.

Quale est enim, oro te, vt de quouis hominum genere, ne nominatim quempiam apertius carpam, qui tam multis annis, tam multis in locis, publicam in fronte perditissimæ vitæ maculam, non facile abolendam, maximo cum dedecore tulerint, ego bono animo, & prudenti consilio, astutè cauendos, si qui fortè eiusmodi sunt, scribere sine culpa, vel inuidentiæ, vel maleuolentiæ, vel postremo obtrectationis nequiuerim? Potissimum verò ad Maiores Religionis, qui gubernaculis sanctimoniæ moderantur; ad antiquiores patres, qui per veterem practicam, rectæ vitæ regulam callent; ad amicos denique, filiosque charissimos, quippe qui omnes per animi bonitatem, & charitatem, obesse nemini, & omnibus prodesse percupiant. Non te exasperet frater veritas diligentis, quamuis ea salutaria vulnera videatur inferre, sed euita potius insidiosa oscula adulantis, quæ per illicibilia blandimenta, improbos & peccantes malè miserta, in perniciem præcipitationis adducunt, dum nos palpantium fraudulentijs imprudenter assensos, periculosis mendacijs circumueniunt. Atque ea quoque, quæ potius emendare illi quidem callidissimi homines vel cum dolore debuerant, errata nostra dissimulantes, per illecebram subdolæ laudationis, & fragilis gloriæ, in vitijs nos animorum, summa cum pernicie fouere conantur.

Columbinę simplicitatis Dominus esse nos iussit, ne cuiquam moliamur insidias: sed non minore studio prudentiam serpentis adiunxit, ne aliorum fallacijs supplantemur. Paulus Vas electionis, qui periculorum suorum catalogum falsorum fratrum notione signauit, post perfectam ad Christum conuersionem, post raptum in Paradisum, vbi arcanorum secreta rimatus est, post constans de Christo per Euangelicæ tubæ ministeria testimonium, post pericula mortis ex Iudæorum insidijs, post fugam Damasci, ne in præpositi Regis Arethæ manus incideret; quo maiora, quæ inde facturus erat nequaquam nimia iactura præpedirentur; vix tandem à summis Apostolis, nisi Barnabæ assertione, verè discipulus Christi creditus est. *Act. 9. 27.* Et tu miraris, si quilibet, molestia læsæ virtutis, & odio insectandæ malitiæ, ab his, qui ad maxima Dei allecti, studio sanctimoniæ flagrant, paulo durius, quam tu censeas, lacessatur, castigetur, carpatur; præsertim qui longa vita, & moribus insolentior, & famâ obscurior, ne dicam fœdior, fuerit, absque vlla culparum suarum flagitiosarum conspecta emendatione: sicut labes ipsa male diutius actæ vitæ, terra marique, maximo scandalo, & dedecore palam fuerat ante conspicua.

Humanum dico, ait Apostolus, *Rom. 6. c. 19.*

prop-

propter infirmitatem carnis vestræ, hoc est compatientis affectu, quem mihi per viscera charitatis, infirmitatis vestræ consideratio suggerit; infirma itidem emendatioris vitæ experimenta deposco, qui debueram potius ad veræ conuersationis consummatam instaurationem altiora vobis documenta præcipere, statimq; infert. *Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*. Et rectè quidem omnia, maximaque Doctoris eximij lenitate, atque elegantia, vt interim de eloquentia sileam: qua tanquam in catena pulcherrima, immunditia ad sanctificationem, iniquitas ad iustitiam referuntur. Eo vero quod additur, *ad iniquitatem*, cumulum scelerum exaggeratione quadam malitiæ, & malæ intentionis, & perditi finis significari existimo.

Ibidem.

Verum sensa eius potius prosequamur: sicut, inquit, *exhibuistis*, & cœtera quæ prætulimus. Magna profecto æquitas, iustum pondus, æqua statera lance sincerissima appenduntur. Par enim fuerat, inquit, vt iustitia, cuius certè non minor esse debet in omni honore claritas, in erigendo potestas, quam vitiorum in æstimatione obscuritas, atque in præcellendo in peccatoribus mortifer vigor, vos seruituros sibi, suo quidem æquissimo iure altius vendicaret. Verumtamen ob carnis vestræ, ait, fragilitatem, rigoris remissione adhibita, per humanitatem, cuius reliquæ animantes expertes sunt, imbecillitati plurimum concedatur. At verò hoc ego, Paulus Apostolus, eo dixerim pacto, vt tantum de vobis in sanctificatione iustitia mereatur, quantum sibi primum immunditia & iniquitas vsurpauerant. Quo certè Apostolico sensu, si non me fallit opinio, læsæ existimationis nostræ ad proximos & emendandæ quoquè turpiter gestæ vitæ, tùm ad nos, tùm ad virtutem, tùm imprimis ad Deum, solidior nobis satisfactionis norma præfigitur.

Quod certè genus correctionis, si proximorum nostrorum instaurando discrimini quispiam, qui multos antea vitiauerat, non exhibuit; etiam si Deo, si suæ conscientiæ satisfecisse sibi forsitan videatur; tu grande piaculum arbitraris, cum de illo aliquis durius quidquam, aut in zelo mulctandi sceleris mussitauerit, aut in præclusione operandæ fraudis vtiliter, ac salubriter scripserit, aut postremo in præsaga cauendæ malitiæ coniectatione quadam prudentiæ integros & religiosos homines admonuerit? ea maximè causa, ne fictè bonus, vt hypocriseos occultator, perniciosius lædat, neu, sicut illi penè semper antiquum fuit, Dei gloriam flagitiosa, imò facinorosa, vita euertat, Religionem infamet, doctrinam veritatis, quantum in ipso est, contemptibilem reddat, & confratres denique suos, eruditioni populorum sinceriter incumbentes, cui tamen ille sacro ministerio & indignus & impar est, tanquam prauis moribus, & omnis generis improbitate notabiles, faciat esse suspectos.

Hanc verò, tu Frater, præuisionem sapientissimæ cautionis, si ad conseruandam bonorum innocentiam nobis præcludis, ne, vt putas, temerè de aliquo suspicemur, præsertim qui palam fuerit sceleratus, pace tua dixerim, imprimis hoc loco grauiter

uiter

uiter erras, quaſi verò in ſanctis viris dubitatio bonitatis locum non habeat: quum tamen Abraham ille Dei electus; & Propheta Domini, communis quoque fidei patens, Abimelech Regi interroganti; cur Saram ſororem ſuam dixerit, non vxorem? audacter reſponderit: *Cogitaui mecum*, inquit, *forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me propter vxorem meam*: cuius profectò ambiguæ cogitationis merita dubitatio nihil integræ conſcientiæ tanti viri ſanctitatis ademit. Quumque nos ideò homines à belluis eo maximè diſcernamus, quia illæ aſtu cuiuſdam ſolertiæ, & inſtinctu quodam naturæ, illi vero rationis & intelligentiæ virtute regantur; ſine vlla dubitatione is qui vtilem prudentiæ præuiſionem hominibus præripi debere cenſuerit, non eos homines, ſed feras belluas putare credendus eſt: ac per hoc ne ipſe quidem homo habendus eſt, qui homines à beſtijs non digno officio rationis diſcreuerit.

Gen. 20.

Hoc Dominus præcepit, hoc Apoſtoli admonent, hoc Scripturæ Sanctæ proclamant, cauendum nobis eſſe, ne ſub ouina pelle luporum rabies protegatur: cui veritati, licet clariſſimæ, aſſerendæ, ſi ad conuincendam perfidiam cuiuſpiam non credentis teſtimonia de ſcripturis adhibenda putarem, auctore Domino, non tam nobis dictorum nubes, quam nos tempus explicandi deficeret. Sed tu fortaſſis pietate, vtinam non falſa, in te affectus, quùm tibi Chriſtiana manſuetudo venit in mentem, nullorum æſtimas vitia, aut ſtylo verborum, aut telo factorum, acerbiùs aliquando plectenda. Quæ ſanè inepta concluſio adeo nihil virium habet, vt etiam eis anguſtijs coarctetur, quibus ſæpenumero angitur falſitas. Nam tum certò ſequetur, ſi res ita ſe habet, cum euerſione nimia etiam veritatis, atq; virtutis, vt zelus ille Sanctorum ſemper erectior, qui electos Deo maxime facit acceptos, & quo malos non modo odio habendos, ſed aliquando inſuper perſequendos æquitas ipſa proclamat, penitus ex mentibus proborum hominum extinguatur.

Nulla demùm cenſura ſuccenſeamus peccatis, nullo flagello pudoris, aut timoris, aut poſtremo doloris tundatur impius, arceatur maleficus, caſtigetur impurus. Sed damnabili potius negligentia corrigendorum morum, omni prius emortua diſciplina, non modo qui mali ſunt, verum etiam qui boni, & ſunt & habentur, impunitate vitiorum pellecti, & à veritatis arce deijciantur, & à bonitate vitę ac morum omnino deſciſcant. Qui & ipſi tamen poterant per acrimoniam ſanctæ ſeueritatis, tanquam loris ſalutaribus irretiti, in ſanctitatis veritate conſiſtere, ſi cura percuſſionis ſanandos magis eos exiſtimaſſemus. Cum verò contrà perfectorum ſemper penuria ingens fuerit, imbecillium autem hominum, qui permulti ſunt, irritata ſordibus per naturam corruptio, & prona per vitia in malum fragilitas ex licentia parere ſoleat impudentiam, quando & qui perfecti habentur homines, tamen & ipſi ſunt & qui imbecilles, magna præterea ex parte multum infirmi, fit profectò, vt vbi à maioribus improbis caſtigandis coercitionis aſperitas deperierit, ibi non ſolum iactura cunctorum maiorem in modum ſæpè reperia-

periatur, verum & optandæ emendationis desperatio subsequatur. Nam quis vnquam vlla spe melioris vitæ, nisi frustra nitatur, si hi qui per amorem virtutis non corriguntur, quum mali sint, illos ne timore cohibendos putemus? Actum profectò esse de splendore sanctimoniæ arbitrandum est, quando consulto malos ad remissionem scelerum, vt non dicamus ad morum sanctissimorum præstantiam, nec virtutis amor impellit, nec prementis supplicij timor cogit.

At verò hoc loco, cur ad eum ipsum, dixerit aliquis, non magis reprehendenda scripsisti, quem abs te argui debere putasti? Quasi verò de his, qui mali habentur, ad rectos homines præmonendos scribere non possimus, nisi etiam ad eosdem malos scripserimus. Nonne Ioannes
3. Ioan. 1. Apostolus ambitiosum Diotrephen in se verbis maledicis impudentius garrientem, ad Gaium scribens, in epistola sua coarguit, eique grauiter supplicia comminatur, nec tamen ad eum, sed de eo aliquid discipulo scribit? Apostolus Paulus in secun-
Cap. 4. da ad Thimotheum epistola Alexandrum Aerarium accusat pertinaciæ, cui & mala ex Deo prognosticatur, & vitandum diligentius commonet; nihil tamen ad eum scripsisse Apostolum legimus: Nisi fortasse stultè putemus in causa fidei hoc à nobis fieri semper debere, in morum verò correptione id nec vnquam, nec aliquando licere: cum tamen minimè dispar ratio castigandorum malorum putanda sit, vbi est causa cognata perdendæ salutis. Interest enim nihil qua ex causa pereas, si modo turpi, si iniusta causa pereas: sicut è contrà non multum distat, quam ob causam consequare salutem, dum eadem semper honesta sit, &, de rationis fonte purissimo manans, à iustitiæ æquitate proficiscatur.

Proinde ergo de fructibus rectè censebimus, si origines causarum comperiamus. Nam cùm de causis constat, tùm de fructibus sententiam æque ferimus. *Qualis arbor tales & fructus, non potest arbor bona fructus malos facere; neque arbor mala bonos fructos facere.* Meminisse itaque debes, non esse criminis de aliquo ad aliquem scribere etiamsi ad illum, de quo scribitur, non scribatur, quando & scribendi & non scribendi ratio, quæ idonea subesse potest, ita fieri debere suggesserit. Quarum ego rationum, etsi illæ quidem permultæ sint, eas potissimum præ cœteris abiectas non æstimem, sed forsitan etiam potiores, quum aut comperta fraus, aut expectatio aptior, & temporis, & loci, & personarum commoditas, aut desperata emendatio delinquentis, nè ad illum scribamus, de quo tandem scribimus, nobis hoc facile persuaserint. Nam tùm ratio prima viribus iustitiæ nititur: Iustum est enim, sicut Apostoli documenta præcipiunt, vt publicè peccantes coram omnibus arguantur.

Altera verò charitatis consilio confouetur. An non de fonte ipso Christianæ dilectionis manare tibi videtur, si quis errantem fratrem per alium commodius arguendum existimet? qui certe per domesticam magis familiaritatem, ac mutuam conuersationem, communemque conuictum, amici monentis increpationes leuiori animo feret, eaque ex causa, nulla nimia tristitia, tanquam verecundia deiectus, absorbeatur.

Quem

Quem ipse dico errantem, si alius quispiam castigasset, immodica desperatione, & rubor, & pudor, & postremo confusio subruisset. Nouissima autem ratio, quæ & tertia est, ne quis forte frustra conetur, sapientiæ sustentaculis gubernatur. Nam omnis qui rectè sapit, nunquam in ea, quæ factu impossibilia putat, nisi cum stultitiæ testimonio, totus incumbit, ne tandem inaniter vires suas frustratus labor exhauserit, quas perdita opera consumptus conatus aliquando perfregerit. Quæ cum ita se habeant, animaduerte hic obsecro, quanta modestia vsus sim, vt videlicet, cui vnica, & expedita ex omnibus ratione patebat aditus, passim ac palam scribendi ad omnes, atque id omni cum venia, haud quaquam tamen, etiam cunctis itidem rationibus impellentibus, nisi ad amicissimos quidquam scripserim. Per quos certè ipsos, si his qui meo stylo petuntur, ea, quæ asperius dicta putas, reuelata innotuerunt; aut hoc maleuolentia fecisse probantur, & tum nec tibi nec mihi amici sunt, sed Deo potius detestabiles, quando seminant inter fratres discordiam; aut bono quidem animo, quod magis opinari licet, vt scilicet ad recta cogant errantes, & in hoc eos prudentes esse dixerim. Sin autem, vt sæpe assolet, simplici id corde gessere, vel imprudentes, vel incauti, vel vt lenius dicamus, leues homines potius censebuntur.

Verum postermò, inquies, is, qui abs te modo acri increpatione feritur, ad mores emendatiores se contulit, pœnituit, fleuit, seque deiecit, meliora post hac acturus mente proposuit: Quis hoc negat? Sed needum eo longiore temporis spatio benè vixit, quo male; atque eius ipsius temporis, quo rectè forsitan aliquid egit, vix ad paucos fama peruenit, cuius tamen diuturnæ insolentiæ sonus, non dico exiliore, vel tinnitu vel sibilo auditum simpliciorum fratrum saltem tenuiter instigauerat, qui possent pro charitate ac timore Domini fratri, qui ex alto lapsus fuerat, tenerius compati, aduertentes diligentius, scriptum esse: *vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, attendens te ipsum, ne & tu tenteris*: sed, quod est longè acerbioris molestiæ, ne durius interpreter, veluti horridi clangoris tuba, infamiæ veridicæ crepitus aures populorum offenderat, id quod latinius fortassis aliquis diceret fetulentissimus flagitiorum nidor, abominabiles putores exhalans, delicatiores fragiliorum nares molestia grauiore compleuit.

Qui & ipsi, dico populos, dico fragiles, cum in virtute fluctuantes, in vitijs præcipites sint, sicut per exemplorum lumen poterant à nobis ad vitæ correctionem vtcumque, imò maxima ex parte, iuuari; ita e contrà ac multo magis si ad illos vitæ nostræ impuritas aliquando perueniat, tùm ruunt, tùm desperant, & Dei seruos ac doctrinam veritatis contemnunt, quando nos, qui eis vitæ candorem, salque doctrinæ, siue splendorem eruditionis, & saporem sanctimoniæ præbere debuerimus, conspiciunt in sceleratorum morum fœditate versari: Quid præterea illud quam deplorandæ iacturę est, quod ex nobis sæculi homines, & Deum & diuina despiciunt, sanctimoniam integrorum hominum spernunt, neminem rectè incedere arbitrantes? Religionem quoque

iniurioſe ſubſannant, & quæ de vitijs, & virtutibus, deque pœna, & præmio prædicamus, fabulam putant: quum ea, quæ nos audiunt verbis tonantibus minaciter ſtruere, vident factis blaſphemantibus, & vitæ impietate deſtruere. Quo certè ea fit ſane res non parua dictu, vt cum per impia ſtudia perditæ vitæ noſtræ, Dei ſummi nomen in populis fecerimus blaſphemari, pœnis ingentibus, quæ nos profectò pro ſceleribus manent, conſpecta cunctis, in noſtrum dedecus, peccata luamus.

Quæ & ipſa ſi protecta à nobis ſtudio, ac cura pudoris, etiam maiora mala quam publica fuerant, clàm hominibus feciſſemus, nemine, qui rectè ſapiat, ambigente venialiora apud Deum futura fuiſſe, certiſſima Religione credendum eſt. Nam ſi omnis aduerſus Deum culpa ſemper cauenda eſt, quæ conſcientiam noſtram grauiter vrgeat, quandoquidem minutiora peccata prorſus vitare non poſſumus, intereſt tamen ac multum diſtat, idque per omnem modum, inter occultum fragilitatis lapſum, & publici ſceleris impudentiam: quoniam in altero vnius diſcrimen per internum mentis mœrorem atque dolorem Deum ſibi propitium peccator lugens conciliat: in altero autem multorum ſcandalum, per inexpiabile facinus cenſuram vindictæ Domini cumulo peccantibus augeſcit: præſertim ſi is, qui errat, ſua impudenter commiſerit, quemadmodum ciuitas in montibus conſtituta, aut per religionis famam, aut per doctrinæ gloriam, aut denique per virtutis ingentis opinionem latere non poſſit. Etenim *omne animi vitium*, dixit quidam, vereque dixit, *tantò conſpectius in ſe crimen habet, quanto qui peccat maior habetur*.

Quo enim pacto docebo alios ſanctitatem, quam ipſe non facio? cum etiam iuxta ethnicum, caput artis ſit, docere quod facias. Ruſticus quoque ſator, manu quidem, non ore in terram, quam coluerit ſemina iacit. B. Cyprianus Carthaginenſis orator, Chriſtianus, Martyr, atque Epiſcopus, *nihil prodeſt*, inquit, *verbis proferre virtutem, & factis deſtruere veritatem*. Sed & noſter Hieronymus peritior ſenex, hoc ipſum aſſerit. Erubeſcit, inquiens, quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conſcientia. Nos quoque licet minimi & ignari, aliquando in familiaribus epiſtolis diximus: *Splendeat enim licet ſermo doctrinæ, exardeat & ædificet, niſi vitæ ſanctimonia componatur, citius ſordet, languet, defloreſcit, emoritur*.

Cum igitur ille, qui, vt tibi videtur, à me iniuſte reprehenditur, in hoc hominum genere, qui alios docent, vel ſe ipſe conſtituerit, vel ſit ab alijs conſtitutus, nec tamen emendationis eius exempla vlla tùm ad nos perueniſſent, quum illa in eum ad domeſticos ſcriberemus, eidem tamen ipſi, ſi non me fallit memoria, veniam apud Dominum non negauimus, quaſi non poſſet vita fieri emendatior, verum inſtaurationem exemplorum ad proximos flagitauimus, vt rectè viuendo primum, ac tùm deinde docendo, nunquam deſiperet. Nam in eo Euangelicæ eruditionis præcellenti nimis officio, vt veritas ait, *Si ſal euanuerit in quo ſalietur? Ad nihil valet vltra, niſi vt mittatur foras & conculcetur*

tur

tur ab hominibus: Verumtamen ſi hæc mea in illum prouidentiſſima, vt ego ſentio, cautio tibi durior viſa eſt, conſule conſcientiam tuam, conſule rationem & æquitatem, conſule poſtremo bonos, & doctos, & ſapientes, ac rerum magnarum experientiſſimos viros, & tunc demum tanquam de ligno Moſayco amariores aquæ amnis Marath è veſtigio conuerſæ dulceſcent, vt quod tibi videbatur amarum, mella parturiat.

Neque enim quia vulnera non palpamus, ſed pungimus, vt ſalubriter corrupta ſanies producatur; ideò inclementes habendi ſumus: quum potius non ſolum periti medici eſſe, ſed planè pij, nemo, qui ſapit, ambigit, ſi quando ſcientiore doctrina maluerit *dolendo ſanare, quam tolerando perimere* (2). Contraque medicus ille crudelior omni ratione putabitur, qui parcens plagę non parcit vitæ, & nè exaſperet vulnus, ſaltem intercipit, aut magis prorſus interimit. Eas namque dumtaxat ægrotationes ſolere medicos relinquere nouimus, eaſque plagas medicamentorum fomentis illi quidem ſagaciter curare deſiſtunt, quas ſanitatem priſtinam, aut morbo aut morte ſemel amiſſam, recuperare poſſe deſperant. Cura igitur medicationis, & teſtimonium vitæ eſt, & ſpes quædam ſalutis, qua ad inſtaurandæ bonę valetudinis finem, integro corporis robore peruenire ſicut ſatagimus, ſic ambigimus: Proindè bonæ quoque ſpei quiſque credendus eſt, ſi fratribus diligentius medeatur, nec propterea pius non erit; ſi illud per deſiderium ſanitatis aſperius egerit, dummodo hoc ſeruauerit. *Ne quid nimis*.

Quo certè fit, vt ne ipſe quidem bonorum monitor, durior à quoquam haberi debeam, tanquam medicator acerbior, qui ſtudio ſanandæ conſcientiæ, non temeritate perdendæ ſalutis, acriter de fratre, non modo ad homines, ſed ad Dei ſeruos quidpiam ſcripſerim, qui mecum pari deſiderio, ac fortaſſis, pro illorum virtute animi, longè maiore, infirmitatem fratris ad purum ac perpetuo curari exoptant. Itanè tu nos putas adeò truces? vt ſolam ſeueram putemur habere pietatem, ac non magis piam ſeueritatem, quando & homines ipſi, & Chriſtiani ſumus, vt Religionis altioris, qua indigni cenſemur, faſtigia ſileamus: quæ planè cuncta in nobis nomina, veluti firmiora argumenta, ſigna ingentiſſima præferunt, oblatæ ſpontè clementiæ, quando & homo immanitatem abijcens belluarum, lenitatem manſuetudinis affert, & Chriſtianum nomen gratiæ vnctione demulcet, & religio indulgentiam erranti in nos fratri prætendit: Alioquin nec Religio vlla, nec humanitas prodeſt, & Chriſtianum quoque vocabulum fruſtra perſonat, ſi illi in peccantes non ineſt pietas, propterea quod, & homo infirmitatis, & chriſtianus ſuauitatis, & religio ipſa humanitatis noſtræ nos admonet.

Scimus enim nos eſſe per paſſionem carnis ad reſiſtendum peccato fragiliores, vt poſſimus & alijs cadentibus compati, quippe qui ſumus & ipſi circumdati infirmitate: Non ignoramus inſtituti noſtri miſericordiſſimam diſciplinam, qua atrocitas vindicantium mitigatur, cum in regula, quæ norma vitæ eſt, apertius dicitur, *& cauere debent fratres, ne iraſcantur, & conturbentur, propter peccatum alicuius: quia ira, &* con-

conturbatio in se, & in alijs impediunt charitatem. Nouimus nos illum habere pastorem, qui perditam ouem humeris clementibus ad relictas retulerit; qui propositam prodigi filij pœnitudinem osculo pij Patris complexus, gaudio collacrymatus, exceperit: atqui infinita huius generis sæpè legimus, tenemus, amamus, docemus; ne non sit nobis inclementia sola seueritatis, sed potius seueritas pietatis: Si igitur corripimus, & diligimus, in eo laudandi sumus, quod bona duo pariter ista coniungimus.

Tu si alteram solam malueris, in eo coarguendus eris, quod duo bona illa maxima ab inuicem separas: quæ si cognata non sunt, nec vsquam bonum aliquod esse possunt; quum aut sola seueritas atrocem nimis, non hominem, sed latronem, aut sola clementia nimis effœminatum factura sit; quandoquidem in altero ferina crudelitas, in altero muliebris dissolutio parietur. Deo igitur miserante suppetunt nobis hæc omnia, quæ misericordiam pollicentur, adeò vt possimus non solum inquietos corripere, sed etiam pusillanimes consolari, & eosdem, atque omnes patienter perferre: Verum ita censeo nobis misericordiam prædicandam, vt induti virilem animum, muliebrem molliciem, magno cum virtutis dedecore, minimè induamus; quum sanctos viros, ac vere viros, sępè legamus, in castigandis insolentibus, nullius vnquam pertimuisse potentiam, non infamiam veritos, non insectationem timentes à veritate tutanda nullatenus destitisse. Nam quę aliæ sunt causæ veriores, præter admodum paucas, cur noster Hieronymus, vir imprimis & sanctimonia & erudirione præditus, nec minore celebritate famæ insignioris & authoritate toto orbe præclarus, tam graues obtrectatores in omni vita sua perpessus sit, nisi quod aduersus corruptorum hominum scelera, quos semper dure momorderat, acriùs depugnare contendit, rabidos canes claua increpationis percutiens, & perditos quoslibet in vitijs carpens, zelo tuendæ veritatis, grauiter insectatus est.

Quæ sanè, vel sola ratio, sicut sibi hostes complures acerbissimos peperit, ita quoque, & grauissimos viros, ac bonos rerum æstimatores, qui pretium Christi, hoc est veritatis, se esse professi sunt, miro sibi amore conciliauit. Qui & ipsi, cum iudicio clariore fuerunt, hodieque non desunt, casta quidem sententia, præstantissimo testimonio Hieronymo extitere, non modo eloquentiæ, atque doctrinæ, quæ per se patent quam in illo excellenter præfulserint; verum etiam sanctitatis, grauitatis, virtutis, & quod ad causam, de qua agimus, documentum nobilissimum affert; ausu corripiendorum magno & libero animo malorum, flagitiosorum, perditorum cæteris pręstitisse, meritò pre dicatur. Qui etsi satyra, tamen salutari seueritate vitiosos adeo sapienter coarguit; vt, sicut facetissimis moribus, decentissimis motibus, ardentissimis exhortationibus, diligentibus veritatem aptè nimis atque elegantèr blanditus est, Ita quoque terribiliter plectere illos nouerat, quos de virtutibus virorum illustrium perdite agitatos, æmula cum inuidia amarus liuor æquiore pœna torquebat.

Huius beatissimi viri, ad profliganda ex hominibus vitia, pro sua in-

ingenti virtute, ac ſanctitate ardentem in malos animum, erectam linguam, armatum calamum, cruentam pietate manum, imperiti quidam, & ſtolidi homines, &, quæ Dei ſunt, minimè capeſcentes, de animi impetu, de impatientia mentis, de atrocitate naturæ, deque libidine vindicandi ſeipſum, manare procaci temeritate exiſtimant; peruerſa planè ſententia, atque impio ſenſu trucem illum, non grauem oratorem potius arbitrantes? Hi penitus neſcij ſunt, & omninò ignari, eam cœleſtis reuera æmulationis in beato pectore flammam, non niſi de zelo piæ ſæuientis iuſtitiæ, tanquam de fornace ardentiſſimæ charitatis, ſuauiter conflagraſſe. Qui tamen eius amor, vt fragiliores, pro quibus emendatis, aut emendandis emori maluiſſet, cum carnem ſaperent, inique accipientes, offendit; ita quoque ſanos, & integros nimis delectat, proculdubio rectè putantes ea vel maxima, fortiſſimaque virtute Deo placuiſſe Hieronymum; qua & Moyſes, & Phinees, & Elias, & Matathias, & Ioannes quoque Baptiſta, ac reliqui conſtanti virtute præſtantiſſimi viri coram Domino claruerunt. Quorum omnium ad gerendas cauſas Dei tantum ardentis zeli, & intrepidæ mentis, aduerſus impios virtus enituit, vt nullorum de rerum probè geſtarum eminenti ſplendore, minus reprehenſionis & plus laudis in ſcripturis ſanctis reperias, ſi diligenter obſerues, quam illorum, quorum pro Deo probandæ æmulationis, & ſanctæ impatientię feruor, contra impudentes excanduit.

Huius generis exemplis virilibus nos edocti, Paule Frater, & cum ſcribimus, & cum dicimus, errantes reprehendimus, ingenio quidem mites, etſi increpationibus nimium mollibus hominibus videamur atroces. Sed tu frater, vt te ſentire coniectamus, pariter & perſpicimus, alia longe via incedis. Nam ita te delectant duæ poſtremæ apoſtolicæ clauſulæ, conſolamini ſcilicet puſillanimes, patientes eſtote ad omnes, vt primæ prorſus obliuiſcaris, qua præcipitur debere corripi inquietos, in quo planè iniquus iudex facilè comprobaris, nec via regia liberius pergere, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, ſed offenſo & obliquo magis itinere, & male vtrinque deflexo calle, deuia quæq; carpere. Nam vbi inter hęc mollia tua documenta fraterna erit correctio? quam Dominus de abditis peccatis dumtaxat fieri præcipit, quum de palam productis non ita fieri opus ſit. Cauendum itaque tibi ſummopere cenſeo, ne per lenitatem miſericordiæ, remiſſio ſeucritatis ſit abolitio veritatis, ſi licentioſa compaſſio iuſtitiam propulſare conetur: quoniam ſapientiſſimus, ac pijſſimus ille noſter Samaritanus, nec vinum ſine oleo, nec oleum ſine vino vulneribus erepti hominis à latronibus tantum adhibuit; ſed, meliore conſilio, vtrumque permiſcuit.

Nos abundantiore clementia vſi, qua de re gratiam potius nobis quam indignationem habere debuiſti, fecimus obtecta monitione, quod aperta increpatione facere poteramus, & quod commodius arbitrati ſumus, per intermedios fratres, qui poſſent præſentes ore ſuo ſecretius corrigere fratrem, quam ego per literas illius generis, hoc eſt, ſeu dulciores, ſeu aſperiores, potuiſſem abſens vnquam effi-

efficere. Longe nempè vis alia persuasionis est, eademque praestantior, si coràm & gestu, & verbis, & ore, & voce, & vultu, & oculis ad bonum homines exhortemur, vel a malis deterreamus; quam si mortuis, vt ita dicam, apicibus causa vlla agenda sit, cum in præsentia quidem corpore facta pronunciatio mentem ipsam, tanquam illam manu orator contrectet, viuaciter explicet, in absentia verò industria literarum, quamuis cultarum, negligenti quodam & velut emortuo simulacro vix corpus affingat.

Sed quoniam quatuor iam apostolicæ sententiæ locos insignes passim per omnem Epistolam, vt sumus polliciti, explicauimus, & ad finem currit oratio, omnem sermonis nostri modum, ad te Paule frater conuerto. Amicum illum, de quo ea scripsi quæ mihi certè iustissima visa sunt, si fortè ex veritate, quæ fragilibus amarior esse solet, mœstior factus est, *non graueris* (te oro) *illum meo nomine blandius consolari*, (3) cuius certè me amicum profiteor, si se tamen ad frugem melioris vitæ conuerterit, aut quùm forte iam perfectè conuersus sit, quod neque ipsi factum inficimur, neque in dies forte id, quod reliquum superest, diffidentia exterriti desperamus: eidem me ipsum, & totum, & sinceriter dedo, siquidem in quo cœpit, auctore Domino, conetur dedita opera veraci integritate persistere. Nec si frater est, acriter ferat, quod æquissimo animo ferendum esse & ęquitas ipsa, & ratio omnis consulta bene institutis animis facilè persuadet. Equidem quod ad meam sententiam, ac iudicium attinet, rectissimè, vt opinor, de illo sum ratus, vt scilicet homo longioris, & quod est maius, notæ vbiq; impuritatis, & si correctus iam sit, humiliorem tamen prius pœnitentiam multiplicis errati subiret, quam eminentiam illam tantam loci superioris procaci temeritate conscenderet, deque suggestu honoris peruersa animositate contenderet, vnde tandem elatus corruat, & vnde, necdum pleniùs docendis ab illo hominibus dignissima satisfactione conciliatus, turpiter rideatur: non tam docturus populos, quam ea, quæ docuerit, per contemptum eorum, quibus scandalo fuerat, funditus euersurus.

Nam ea natura est illius Apostolici rostri, quod religiosius pulpitum nominamus, vt quemadmodum sensu graues, doctrina præditos, & nitore vitæ, ac fama fulgentes, pręclaros viros altius efferat; ita quoque, si qui inepti, ac leues, si qui ignari, ac impuri, atque obscuri, in illud ad agendas causas temere se ingesserint, abijciantur, propellantur, contemnantur: & eo ipso loco amplissimo, omnique frequentia hominum, nescio quo spiritu, conclamantibus horribiliter cunctis, abominabiles conspuantur; ac si symia, quæ altiùs prouecta, & plus conspecta, patentibus, vt dicitur, natibus, plus despicitur. At vero vt, quæ nostræ partes esse videntur, digno titulo terminemus, nobis omnibus imprimis, Paule frater, rectè agendum est, si boni esse velimus, curandumq; magnopere, quominùs argutos homines, sed integros viros potius imitemur: sunt enim qui ineptias suas fraudibus mendaciorum celantes, homines se ostentent, quum monstra sint, & arte dęmoniaca quotidie

tidie fallant nullo negotio imperitos; magnoque detrimento veritatis, per ſpeciem ſanctimoniæ ſimulant probitatem, quam perditiſſimis moribus nequiter perſequuntur.

Ab his, vt ſemper diutius longè abſimus, ille nobis rogandus eſt, qui factiones theatralis impietatis, & laruialium morum ſpurcitias execratur, cordaque hominum probans, renes quoque & animos intima contemplatione ſerutatur: taleſque cupit habere ſeruos, quibus ſimplicitas pro ſapientia, rectitudo pro fortitudine, timor pro tutela aduerſus compugnantes Dęmones computetur. Quo quidem excellenti faſtigio ille Beatus Iob, inuictæ patientiæ murus, & conſtantiæ firmiſſimæ decus, præſtitiſſe cunctis mortalibus prædicatur, Domino aſſerente ad Sathan ac dicente: *nunquid conſideraſti Seruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in vniuerſa terra vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*: Quod genus eximiæ laudationis, ſicut de illo ſcriptura trina repetitione congeſſit, ita nobis, Paule Frater, diuinitus tribuatur in Sanctæ atque indiuiduæ Trinitatis, & fide & dilectione, atque actibus bonis omnem vitam noſtram rectè degendam ſtabili ſanctitate conſumere: Amen. Vale ex Brixia 1446.

N O T AE.

Nota I.

Quod quædam in fratrem illum &c. Ex his, aliſque B. Alberti verbis, duo mihi colligenda cenſui, alterum non paruam partem Scriptorum eius nobis deeſſe, quæ vel omnino perierint, vel adhuc in tenebris deliteſcunt. Nam imprimis nihil in hunc hominem editum nobis ſuppetit. Deinde Vvaddingus affirmat eum aliqua Græce ſcripſiſſe: ſed horum nihil hodie ſupereſſe videtur. Et ſane credi non poteſt hominem tam eruditum, & calamo, linguaque promptiſſimum, & eloquentem, in ſummis ordinis & Eccleſiæ negotijs, per plures annos in Italia & Oriente occupatum, præcipuis eruditionis in Italia capitibus familiarem, Principibus, & Primis Ciuitatibus proficuum & charum, non plures fortaſſis dediſſe literas, & orationes, & negotiorum monumenta, tùm Gręcè ad Grecos, tùm latine ad reliquos Eccleſiæ Miniſtros, in Oriente, & in Occidente, Principes, Prælatos, & amicos, quam omnia fortaſſis quæ nos hic proferimus: ex quibus multa non ordinis tantum, ſed Eccleſię ipſius & Principum, atque ipſius Eugenij Pontificis negotia, & diuerſa, aduerſaque ſtudia circa Baſileenſem, & Florentinam Synodum, & ſchiſma Felicianum, ſi extarent, diſcere poſſemus: nec nuda vel obſcura, ſed ipſius eloquentia, & explicandi facilitate clarius explicata, & eleganter ornata, præter plurimas Epiſtolas, quas in his extantibus ipſe ſe ſcripſiſſe teſtatur, ſed quæ nullibi comparent. Cur autem non extent, præter edax rerum tempus, non aliam inuenio rationem, quam quod partim negotia Secretius magis tractanda, quam publico communicanda fuiſſent; partim etiam ſupinam incuriam Fratrum, in quorum manibus relicta fuerunt; Nam ipſa diplomata, & decreta originalia Eugenij Pont. & Concilij Florentini, quæ ad ipſius miniſterium ſpectabant, adeò malè habita fuerunt in Cœnobiolo Citonenſi, vt Feſulas non ante annum Chriſti 1615. circiter ea transferri oportuerit, & melius collocari; idque zelo, ſtudioque vnius Patris Vltramontani, apud Antouium à Trejo, Generalem tunc Ordinis Vicarium, interpoſito, vt fu-

fusius narrat Vvaddingus, ipsius Treij familiaris, & Regiæ eius ad Paulum Quintum Pontificem Legationis Theologus, pro Immaculatæ Conceptionis Matris Dei honore promouendo.

Alterum quod colligo est, B. Virum, non obtrectationis, inuidiæ, aut maledicentiæ affectu, vel hanc Epistolam contra malæ vitæ prædicatorem, vel alteram aduersus Quæstorem, aut alia id genus scripsisse: sed ordinis conseruandi decoris & famæ, auertendique sæculi scandala, & verbi Dei contemptum, ipsorumque malorum hominum emendationis, & salutis zelo, & summa charitate, & prudentia; tum quod ad eos tantum scripserit, qui intra Religionem, vel familiaribus monitis, vel authoritatis vsu, ea mala auertere, & possent, & ex charitate, ac officij iustitia deberent; tum quod ipse in hac & alijs epistolis id solidè demonstrat, quod ipsius, & sanctitatem, & scientiam, & zelum boni communis, & publicum prædicandi munus maximè decebat.

Nota II.

Dolendo sanare quam tolerando perimere. In margine huius loci nostri codicis insignis eiusdem sensus est sententia S. Hieronymi, quam cum absque verborum alteratione textui inserere non potuerim, malim hic adnotare, quam omninò omittere. Sic autem se habet: Putridæ carnes ferro indigent, & cauterio: Non est medicinæ culpa, sed vulneris, cum crudelitate clementi non parcit Medicus, vt parcat: sæuit vt misereatur: *in Epistola ad Amandum*.

Nota III.

Non grauueris illum meo nomine blandius consolari. His, præter cætera, manifesta fit charitas, & compassio Alberti versus peccantes, ipsumque acrius increpantem, non homines, sed vitia, & scandala publica persequi voluisse.

EPISTOLA CXXV.

BEATISSIMO PAPÆ NICOLAO.

ARGVMENTVM.

Hoc anno ab Incarnatione Domini non à Natiuitate computato 1446. die 23. Februarij obijt Eugenius Quartus laudatissimus Pontifex, & successit illi non minoris virtutis die 6. Martij Thomas Sarzanensis, Nicolaus Quintus appellatus. Huic pro reuerentia Sedis Apostolicæ scribit Albertus, Eugenij mortem amare lugens, Nicolao ipsi omnem fœlicitatem, & Apostolicas vires ad sustinenda dignitatis onera precatur, suaque obsequia, sicut Eugenio præstitit, sic ipsi humiliter offert.

LVctuosissima nouæ cladis atrocitas, & recentis orbitatis molestissimus mæror, Nicolae Papa Sanctissime, atque omnium Pontifex maxime, quo Deus noster solus bonus, solus omnipotens, siue per misericordiam siue per iudicium nescio, suaueolentis memoriæ Eugenium, olim Beatissimum Orbis Papam, sed nunc, vt mea fides fert, in

in cælis longe beatiorem, parentem quidem communem omnium Chriſtianorum, *verum peculiariter noſtrum*, (1) de medio rerum mortalium nuper eduxit, eripuit, abſtulit, me planè miſerum, atque plangentem, tam grauiſſimæ, tamque inclementi doloris acerbitate vexauit, hodieque vexat & angit, vt nullo me (ſi tibi, vt par eſt, in hac re mea fragilitas palam pateat) neque fortitudine aut conſilio regere, neque temperantia qualibet à mærore valeam continere. Quo fit, vt qui mihi potiſſimum apud te, qui illum tanto officiorum ſtudio meritò excolebas, illius licet ſanctæ defunctionis, imo dormitationis in Domino ęrumnoſam calamitatem, quod ad nos attinet, deplorandam ſtatueram; ea inter multos, ne dicam, ſupra multos moleſtia animi afficiar, quæ me ipſum magis plangere, ac mærere, quam illum lamentari compellat. Verum ratio conſulta, à luctu grauiore me reuocans, ſpe quidem futuræ erga electos Domini miſericordiæ conſolatur, ſed nec minus præſenti compenſatione bono animo iubet eſſe: nam æger animus meus, qui de illius religioſæ vitæ abſentia nunc quoque vehementius cruciatur, à ſua defectione magna ex parte eleuatus eſt: quandoquidem tuam Beatitudinem, illius Summi Apoſtolatus faſtigium, ſumma cum pace Eccleſiæ (quod omnibus atque omnium maximè mirum eſt) prouidentia diuina iuſſit accipere, &, ſi accomodatius dicitur, præcepit aſcendere: vt tu qui diu, & tua ſponte, & Deo faciente, *in poſtrema menſa recubuiſti*, (2) repentina promotione inuitantis ad nuptias ſubito ad ſumma proueheréris. Qua de re fieret, vt ſicut probata ſanctione veritatis coram ſimul diſcumbentibus tibi honos accreuiſſe dignoſceretur; ità tu quoque loci humilioris, vnde ad altiora traiectus es, perpetua recordatione admonereris: quo in altero gratus, in altero non elatus, & ſtabili firmitate, & firma ſtabilitate confirmareris: Sed tibi in ſumma rerum poſito cum maximis præſidijs opus ſit; cumque ipſe, aut, quod dicitur, noctua Athenas, aut ſus Mineruam, imò Magiſtrum Eccleſiarum docere non debeam, neque negotioſiſſimo eſſe oneri, plura quidem dicenda, ſi tempus ac facultas ſuppeditarent, melius ad Deum oratione concludam. Ad onera ergo ingentia tanti honoris, vt ſapientiam Pauli in diſponendis, vt manſuetudinem Moyſis in tolerandis, vt Petri conſtantiam, & authoritatem in coercendis, ita quoque integritatem, ac ſanctimoniam Apoſtolicam tibi diuinitus tribui & opto, & ſpero, & peto: &, ſi Domini miſericordia largiatur, conatibus orationum exoro. Ego vt finem faciam, & ſi nullius momenti ſim, pro virili mea, cum opus erit, de munere Chriſti, is tibi futurus ſum, qui ſanctæ memoriæ Eugenio hactenus ſemper extiti: Dominus te tueatur omnipotens, Beatiſſime Papa. Ex Ferraria 1447. xv. Martij.

NOTAE.

Nota I.

Verum peculiariter nostrum. Non se solum, sed totius Franciscanæ Regularis Obseruantiæ professores intelligit, erga quos paternam Eugenij & peculiarem diligentiã sic breuiter explicat Vvaddingus tom. 5. anno 1447. num. 5. *plurimum ei debet Minorum sodalitium, præsertim ea pars, quæ ab Obseruantia Regulari nuncupatur, mirum in modum, & celeri incremento eius auxilio & fauoribus propagata.* Alberto nostro nihilominus quam peculiariter addictus fuerit vel diplomatum eius verba, à nobis alibi descripta, demonstrant.

Nota II.

In postrema mensa recubuisti, repentina promotione. Erat Thomas Medici Sarzanensis filius: dum Bononiæ primis literis incumberet, B.Nicolai Albergati, illius Vrbis Episcopi, viri vitæ sanctimonia, doctrina & rebus pro Romana Ecclesia fortiter, prudenterque gestis celeberrimi, patrocinio potitus, eiusque liberalitate sic adiutus est, vt Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ lauream, cum pietatis & doctrinę laude adeptus sit: Hinc Episcopi familiæ præfectus, & Ecclesiæ Cathedralis Canonicus euasit, atque ex tam paruis initijs, & ex vltimis Cardinalibus Eugenij, tanquam à postrema mensa euectus, eodem anno se Bononiensem Episcopum, mox S. R. E. Cardinalem, ac Summum Ecclesię Christi Pontificem admirari potuit: Vvaddingus tom.5 ad annum 1447.num.6. refert trinam Beati Ioannis Capistrani prophetiam de futuro Thomæ Summo Pontificatu: scribunt etiam authores Vitæ B. Nicolai Albergati, eum in Cælis Beatum, Thomæ per somnium apparuisse, eandemq; dignitatem illi prædixisse: quibus non sunt dissimilia eadem de re somnia, alterum ipsius Nicolai Pontificis, alterum Friderici Imperatoris, quæ refert Aldoinus, in additione ad Ciaconum nouissimæ editionis; vt non immerito (vt ibidem habet Ciaconus) Cardinalis Portugallensis, è conclaui egrediens, interrogatus, quem Pontificem creassent, responderit: *Non nos Nicolaum, sed Deus Pontificem elegit, & destinauit.* Certè Nicolaus ab actis sui Pontificatus egregiam laudem, famamque retulit, in quo vbique Deum sequi conatus est.

Ad Lectorem animaduersio.

IN Proloquio ad B.Alberti Opuscula, benigne Lector, promisit compilator in Epistolis proferendis ordinem temporis obseruare, idque quo ad annos facile præstare potuit, & reipsa præstitit. Sed quia earum pars magna è Codice Capistranensi, posterius allato, desumpta est, in quo, quanquam anni, locique nota singulis sit adscripta, sed mensis, & dies non vbique adnotatur; non adeo facile fuit, ordinem dierum vel mensium intra annum obseruare; Licet ergo vel coniecturis ex materia ipsa capiendis, vel alijs indicijs colligi potuerit, quæ prius, quæ posterius eodem anno scripta fuerit, maiori tamen temporis, & laboris compendio visum est eum ordinem obseruare, quo in ipso Codice scriptæ sunt, coniecturas illas notis, vbi opus fuerat, adiunctis reseruando. Quod ad ipsas Epistolas prænotandum erat: quod, nescio quo errore, omissum fuit: vnde hic ad calcem animaduertendum duximus.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,

In quo prior numerus paginam, secundus columnam designat.

A.

Cul-

Fons

Alia

F I N I S.

REGESTVM.

.. § A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm

Omnes ſunt Duerniones, præter Principium, ideſt § qui eſt Ternio.

ROMAE, Apud Io. Baptiſtam Buſſottum: 1688.

Superiorum permiſſu.